728127

MAGYAR NEMZETI

28127

DECURIÆ
ANNORVM TERTIÆ

MISCELLANEORUM
MEDICO-PHYSICORUM

Sive

EPHEMERIDUM
GERMANICARUM
ANNUS
NONUS & DECIMUS.

Csicsó Lajos kereskedő ller
ajándéka (Hatvan u.)
Kap. 1906: 811



DECURIÆ
ANNORUM TERTIÆ

MISCELLANEORUM
MEDICO-PHYSICORUM

sive

EPHEMERIDUM
GERMANICARUM

ANNUS
NONUS & DECIMUS.



Ephemeridum Physico-Medicarum
Decadis III.
ANNUS I. & X.

MISCELLANEA CURIOSA
SIVE
EPHEMERIDUM
MEDICO-PHYSICARUM
GERMANICARVM
ACADEMIÆ
CÆSAREO-LEOPOLDINÆ
NATVRÆ CVRIOSORVM
DECURIÆ III.
ANNUS NONUS
&
DECIMUS
Continens
Celeberrimorum Virorum
Tum Medicorum, tum aliorum Eruditorum in Germania,
& extra eam,
OBSERVATIONES
Medico-Physico-Anatomico-Botanico-Chirurgicas
Cum
APPENDICE
&
Privilegio Sac. Cæs. Majestatis.

PERPEL... SLAB. KIR. VÁROS MÚZEUMA

Edita 1706.
Sumtibus Academiæ, Norimbergæ, Francofurti, & Lipsiæ
apud ENGELBERT STRECK.
Literis Christiani Sigismundi Frobergii.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

AVGVSTISSIMO INVICTISSIMOQVE

IMPERATORI

JOSEPHO

GERMANIAE HVNGARIAE
BOHEMIAE DALMATIAE CROATIAE
SLAVONIAE BVLGARIAE BOSNIAE
SERVIAE ET RASCIAE

REGI

AVSTRIAE SVPREMO DVCI
DVCI BVRGVNDIAE BRABANTIAE
LVCEMBVRGI
STIRIAE CARINTHIAE CARNIOLAE
WIRTEMBERGAE TECCAE
AC DVPLICIS SILESIAE

PRIN-

PRINCIPI SVEVIAE
COMITI LIMITANEO
BVRGOVIAE MORAVIAE ET LVSATIAE
PRINCIPALI
HABSPVRGI PFIRETARVM KYBVRGI
ET GORITIAE
PROVINCIALI ALSATIAE
DYNASTÆ HENETORVM PORTENAVIAE
ET SALINARVM
PRINCIPI PIO JVSTO FELICI
TRIVMPHATORI PACIFICO
ARTIVM DOCTRINARVMQVE PRAESIDIO
ASSERTORI AC CONSERVATORI SVO
INDVLGENTISSIMO
FIDEM ET CVLTVS AETERNI RELIGIONEM
ALLIGAT
MAIESTATI EIVS
DEVOTISSIMA
ACADEMIA LEOPOLDINA.

Cum

Cum ante hos quindecim, & quod excurrit, annos ob susceptum Hungariae Regnum votiva TIBI gratulatione nostra litaret pietas, atq; inde, quinquennio vix absoluto, Augustum pariter Romani Regiminis diadema solemni pariter laborum anniversariorum oblatione veneraremur, non postremum hunc officii sui fructum tulit Academia, quod istud

)( )(stu-

ſtudium, tum Divo LEOPOLDO, Maximo Piisſimoq; Genitori Tvo, tum vel maxime TVAE, Imperator Augustiſſimae, Majeſtati vehementer probatum eſt, ut clementiſſimae in ordinem noſtrum propenſionis & indulgentiae multa, eaq; illuſtria admodum, & gloriæ decorisq; pleniſſima extiterint ſubinde documenta. Nunc, ubi (quod in perpetuum bene vortat!) communibus omnium votis obſequendum putaſti, ut tutandum, difficillimis hiſce temporibus, ſuſciperes Imperium, cujus fortunam inde a nativitate, curas ac onera jam a compluribus annis ſuſtinueras, poſtquam impreſſum animis devotiſſimi cultus atq; obſequii ſenſum omnis fere natio certatim profeſſa eſt, nos quoqve ad ſacratiſſimos pedes venerabunda ſubmiſſione provoluti, importunæ potius

tius garrulitatis, quam ſilentii crimen ſubire præoptavimus. Propitia hactenus inter tot tantasq; adverſitates fuerant fata Germaniæ, & ſub Divi Parentis TVI auſpicio imperioq; in ea ſummarum rerum momenta proceſſerant, quæ ſicuti non niſi Divino nutu ſuſcipi potuiſſe ac gubernari palam erat, ita, quin Eo extincto ante confecta tot bella & expeditiones proſpere feliciterq; deductas, aut intercciderent penitus, aut variis gravata impedimentis obhæreſcerent, vix prudentium quisquam ſuſtinebat dubitare. Eveniunt (DEO immortali æternæ ſint gratiæ!) contraria iis, quæ hoſtes noſtri expectaverant, ut is, quem perpetuo vivere optaſſent omnes, Imperatorum Maximus, adhuc ſupereſſe, adhuc ſpirare, adhuc regere populos, debellare hoſtes

ac rebelles, tueri ſocios exiſtimetur. Nam cum æternitati Romani Imperii benigna DEVS ſidera temperaret, Optimi Feliciſſimique Parentis fato tam proſpera rerum conſequutione, Incomparabilis Filii ſucceſſionem contexuit, ut ejusdem virtutis heres, eorundem conſors auſpiciorum, quibus ILLE Conſilio & Induſtria prævaluerat inter ornamenta adoleſcentiæ TVÆ lauros componeres, victoriis annos diſtingueres, Patriam præclara ſpe, exteros beneficiis, orbem terrarum gloria impleres ac exornares.

Servet TIBI *hanc mentem, qui dedit, o Fortiſſime Imperator, ſervet illam indolem, quantæcunq; molis capacem, illas curas in ardua omnia vigiles, & nova indies germinare faciat incrementa Domus Auguſtæ, quæ reliquorum in orbe Chriſtiano ſtemma-*

tum

tum ignes fulgore provocat, nobilitate superat, ut quæ certa atq; indubia spe, Divina bonitate freti, præcepimus, brevi ad votum omnia evenire conspiciamus; vindicatam ex maximis, quibus adhuc subjacet, periculis Rempublicam, auctam & ornatam bonis legibus Patriam, defensos socios, rebelles profligatos, expulsos Regni alieni invasores, restitutum Iberiæ sub intolerabili jugo fatiscenti suum CAROLVM, *extensos Imperii fines, & ad antiquum usque limitem prolatos, firmata civium virtute munimenta, conjunctas amicitias, amplificatas opes, cuncta domi foris q; tranquilla, & consilio, auctoritate, clementia in duraturæ securitatis nexum coagmentata.*

Imponat mox aliquando Divini Numinis Gratia tot bellorũ successibus gloriosum diem, & pace quam plurimis populis late restituta, Victor nationum, tyrannorum Domitor, Pacator orbis, quacunq;

patet ejus ambitus, unanimi gentium acclamatione conſaluteris! Nobis equidem ſuffecerit in parte ejus obſequii, quod non dedignata eſt olim Majeſtas TVA, hunc quoq; libellum jam apparere, nullo tametſi adſcititio cultu ad aulæ lautitias adornatum, ſed argumento nihilominus ſuo, & offerentium animis in fiduciam admiſſionis haudquaquam difficilis ſeſe attollentem. Non enim, niſi præclara a nobis heic deſcribuntur, atq; illuſtria Naturæ Matris opera & miracula, quæ ſane in TE uno, Præglorioſiſſime Imperator, experiri videtur voluiſſe, quantum poſſit, ac dotes, quas unquam habuit, omnes largiſſima utiq; profuſione præter modum diſpenſavit. Hanc noſtri officij, ex mandato ac lege obeundi, pietatem commendet devotiſſima ſupplican-

cantium pro ſalute TVA animorum religio.

DEVS TE *amet, Cæſar Auguſtiſſime, qui* TE *ſemper amavit, quem* TV *ſemper amaſti, humani generis amor ac deliciũm!* DEVS TE *ſervet, qui* TE *ſemper ſervavit, amandum* TVIS, *timendum hoſtibus terrore panico perculſis, & formidabilem!* DEVS TE *amet ſervetque, ut Tuos diu amare ac ſervare poſſis, habeatque quem timeat diu inimica libertati noſtræ natio, & metu juſtiſſimo intra regni ſui terminos cohercita dediſcat aliquando exoſam Divis pariter atque mortalibus illam invadendi ac diripiendi, quæcunque commoda videantur, inſolentiam & inhumanitatem! Sic & publica omnium ſalus, ſalvo Principe, ſtatuminabitur, & ſubjectiſſima cumprimis noſtra, quæ adhuc circa Auguſtum limen verecundantur, obſequia vires ſument*

ment eo usque deinceps progressuras, ut, si propitio serenoque nunc vultu admissi atque excepti fuerimus, illa, quæ a nobis unice jam desideratur, ingenii sermonisque facultas ex hisce haud dubie auspiciis nova continuo incrementa capiat, in perpetuum inde, ad mensuram exsuperantissimi favoris, producenda.

CATA-

CATALOGUS
EXCELLENTISSIMORUM VIRORUM.

Qui pro Nono & Decimo Tertiæ Decuriæ Anno Ephemeridum Physico-Medicarum, Observationes communicarunt.

Dn. D. JOHANNES PETRUS ALBRECHT, Rev. ac Celſ. Epiſcopi ut & Civitatis Hildesheimenſis Archiater, Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES LUDOVICUS APINUS, Archiater Seren. Principis Palatini Solisbacenſis, in Univerſitate Altdorffina Prof. Publ. Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES CHRISTOPHORUS BAUTZMANN, Medicus in Ducatu Bremenſi Regius.

Dn. D. CONRADUS BARTHOLDUS BEHRENS, Medicus & Senator Hildeſienſis, Acad. Cur.

Dn. D. MATTÆUS BLAW, Medicinæ in Univerſitate Friburgenſi Prof. Publ. Acad. Cur.

Dn. D. RUDOLPHUS JACOBUS CAMERARIUS, Medicinæ in Univerſitate Tubingenſi Prof. P. Hortique medici Inſpector. Acad. Cur.

Dn. D. DANIEL CRUGER, Seren. ac Potentiſs. Regis Boruſſiæ & Elect. Brand. Archiater, nec non Poliater Stargardienſis, Acad. Cur.

Dn. D. GEORGIUS DETHARDING, jun. in Univerſitate Roſtochienſi Anat. Prof. P.

Dn. D. JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS, Med. in Universitate Giessensi, Prof. P. primarius, Acad. Cur.

Dn. D. GEORGIUS TOBIAS DURR Sereniss. & Potentiss. Electoris Palatini Consiliarius & Archiater, Physicus Augustanus, Academicus Curiosus.

Dn. D. JOHANNES ÆGIDIUS EUTH, diversorum Principum Consiliarius & Archiater, Practicus Hagiensis.

Dn. D. GUSTAVUS CASIMIRUS GAHRLIEP von der Mülen/ Ser. ac Potent. Regis Borus. atque Elect. Brandenb. Archiater. Acad. Cur.

Dn. Lic. CHRISTIANUS FRIDERICUS GARMANNUS, Physicus Chemnicensis, Acad. Cur.

Dn. D. MARCUS GERBEZIUS, Poliater Labacensis, Acad. Cur.

Dn. D. EBERHARDUS GOCKELIUS, Archiater Würtenbergico-Weiltingensis, Physicus Ulmensis, Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES CHRISTOPHORUS GOTTWALDT, Physicus Gedanensis,

Dn. D. JOHANNES CASPARUS GRIMMIUS, Ser. Duc. Saxon. Isenac. Archiater, & Poliater Lipsiensis, Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES BENEDICTUS GRUNDELIUS, Com. Pal. Cæs. Incl. Styriæ Statuum Physicus, & Marpurgi Practicus, Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES JACOBUS HARDERUS, Ser. Princ. & March. Badensis Archiater, Com. Pal. Cæs. & in Universitate Basileensi. Med. Prof. P. Acad. N. C. Adjunctus.

Dn. D. PHILIPPUS JACOBUS HARTMANNUS, Medic. & Hist. in Universitate Regiomontana Prof. P. Acad. Cur.

Dn. D. CHRISTIANUS HELWICH, Practicus Uratislavienſis Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES MAURITIUS HOFFMANNUS, Ser. Marchionis Onoldino - Brandenb. & Solisbaco - Palatini Consiliarius & Archiater, nec non in Univers. Altdorffina Prof. P. Acad. N. C. Adjunctus.

Dn. D. JOHANNES GEORGIUS HOYÉRUS, Poliater Molhusanus, Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES HENRICUS HOTTINGERUS, Poliater Tigurinus, Acad. Cur.

Dn. D. ALPHONSUS KHON, Collegii Medici Ulmensis Senior & Decanus, Reip. Ulm, Physicus ordinatius.

Dn.

Dn. D. JOSEPHUS LANZONUS, Protomedicus Ferrarienſis, Acad. Cur.

Dn. D. SAMUEL LEDELIUS, Phyſicus Nobilitatis & Civitatis Grünbergenſis Siles. Infer. Acad. Cur.

Dn. D. SIGISMUNDUS LEDELIUS, Jur. Utr. Doct. Com. Pal. Cæſ. & Syndicus ſtatuum Budiſſæ, Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES CHRISTIANUS MENZELIUS, Seren. ac Potentiſs. Regis Boruſſiæ & Elect. Brand. Archiater, Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES MURALTUS, Phyſicus Tigurinus, Acad. Cur.

Dn. D. ANDREAS MYRRHEN, Ill. Com. ab Erpach Archiater & Phyſicus Michelſtattenſis, Acad. Cur.

Dn. D. DANIEL NEBEL, in Univerſitate Marpurgenſi Prof. P. Acad. Cur.

Dn. D. CHRISTIANUS FRANCISCUS PAULLINI, Poliater Iſenacenſis, Acad. N. C. Adjunctus.

Dn. D. GEORGIUS SIGISMUNDUS à POGATSCHNIG, Poliater Labacenſis, Acad. Cur.

Dn. D. VITUS RIEDLINUS, Reipubl. Ulmens. Phyſicus, Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES WILHELMUS ROMBERG, Exercitus & Præſidii Manheimenſis Medicus Electoralis Palatinus, Acad. Cur.

Dn. D. HENRICUS von SANDEN.

Dn. D. GUNTHERUS CHRISTOPHORUS SCHELHAMMERUS, Seren. Duc. Holſat. Archiater, & in Univ. Kilonienſi Prof. P. primarius, Acad. N. C. Adjunctus.

Dn. D. GOTTLIEB SCHOBER, Medicus Regius Revalienſis & Regii Collegii Medici Holmienſis Aſſeſor Acad. Cur.

Dn. D. LUCAS SCHRÖCKIUS, Archiater & Com. Pal. Gæſ. Nobilis, Phyſicus Auguſtanus, Acad. N. C. Præſes.

Dn. D. JOHANNES HENRICUS STARCKIUS, Conſil. & Archiater Pruſſiacus, Medicus in Univerſitate Regiomontana Prof. P. ordin. Acad. Cur.

Dn. D. MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, Med. in Univerſitate Gieſſenſi Prof. P. Acad. N. C. Adjunctus.

Dn. D. DAVID CHRISTIANUS VALTHER, Ill. Comt. Schönburgic. Conſiliarius & Arch. Phyſicus Glauchavienſis, Acad. Cur.

Dn. D. CHRISTIANUS VATER, in Universitate Wittenbergensi Med. Prof. P. & Physicus Provincialis Saxonicus, Prof. P. Acad. Cur.

Dn. Lic. JOH. MELCHIOR VERDRIES, Practicus Giessensis Acad. Curios.

Dn. D. WILHELMUS HULDERICUS WALDSCHMID, Medicinæ & Philosophiæ experim. in Universitate Kilonienſi Prof. P. ordin. Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES BAPTISTA de WENCK, Com. Pal. Cæs. Incl. Statuum Ducatus Styriæ Medicus, & Physicus Græcensis, Acad. Cur.

Dn. D. JOHANNES BAPTISTA WERLOSCHNIGG, Styriæ in Austria Super. Physicus, Acad. Cur.

D. JOHANNES PAULUS WURFFBAIN Archiater & Comes Palat. Cæsar. Physicus Norimbergenſ. Acad. Nat. Curios. Ephemeridum Director.



CA-

CATALOGUS OBSERVATIONUM

Anni IX. & X.

Ephemeridum Naturæ Curiosorum.

Observ. *Pag.*

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

1. De Febre Lethargica in strabismum utriusque oculi desinente. 1
2. - Hernia Pubis ab obstetrice quadam pro Utero habita ac pessimè tractata. 3
3. - Morsu Canis non rabidi leviori, ast pernitioso, 5
4. - Intempestivo Pudore Ægrotis noxio, 7
5. - Hydrope lethali, ex assumta nimia Balsami Sulphuris Terebinthinati quantitate. 10
6. - Lienis Ruptura â forti percussione, Cadaverumque jam sepultorum ac iterum effossorum inspectione quandoque valde necessaria. 10
7. - Arthritide Vaga ex Terrore, intestini vero Procidentia eodem subito sanata. 16

8. - Indiciis ex Pulsu desumtis nonnunquam fallacissimis. 19
9. - Ipecacuanha famoso illo contra *Dy*senteriam specifico. 21
10. - *D*entium ex Tabaci secundum Neotericorum inventum, fumatione, insigni læsione. 24
11. - Insectorum Ovis sine prævia Maris cum foemella conjunctione, nihilominns nonnunquam fœcundis. 26
12. - Iridis Solaris in planitiæ Terræ conspectæ, nonnullis Phœnomenis 28

Dn. D. JOHANNIS CASPARI GRIMMII.

13. *De* Delirio jocoso & ridiculo, exnimio abusu spiritus frumenti, composito. 29

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

14. *De* Curiositate Silesiaca 30
15. Ex Germinatione Nuclei â malo in Ventriculo, mors. 31

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

16. *De* Morte ex Scabie male curata. 32
17 - Mania in cœco, ex nimio Puellæ amore. 32
18 - Phthiriasi Oleo Olivarum curata. 33
19 - Venæsectione in gravida absque ulla noxa uno quoque gestationis mense celebrata. 33
20 - Cachexia cum Hydropis principio, Ulcere in Crure â Natura aperto, sanata 34
21. - Variis liquoribus infusis in Venas Animalium Variorum, & circa hæc Observatis. 34

Dn. D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII.

22. *De* Venæsectione imminente Partu salutari. 36

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSHNIGG.

23. *De* Febre Quartana curata, ejusque infallibili remedio. 37
24 - Hydrope Anasarca curata. 39
25. - Podagra curata. 40
26. - Febre Petechiali curata. 40

27. De Febre Maligna Musica curata. 41
28. - Alvi adstrictione contumaciſſima curata, 41
29. - Ischuria renali curata, 42
30 - Mirabili Piscatione. 42

Dn. D. GEORGII DETHARDINGII FILII,

31. Ex Anatome Lithiasi laborantis, ex infelici sectione defuncti. 43

Dn. D. SAMUELIS LEDELII,

32. De usu Olei. Majoranæ insigni in Epilepsia, 47
33 - Variolarum reliquiis periculosis. 48

Dn. D. JOHANNIS CHRISTIANI MENTZELII,

34. De Muliere Sexagenaria Venerea Lue laborante & absque Mercurio adhibito salivante. 49
35. - Ægro Lue Venerea laborante, duodecies Unguento Mercuriali largirer inuncto, absque tamen insequente salivatione. 50
36. - De Puella per sex septimanas continuò Epileptica, cum cœcitate, surditate & loquelæ amissione. 51
36 - Uteri Spasmo. 52

Dn. D. WILHELMI HULDERICI WALDSCHMIDII,

38. De Admiranda memoriæ felicitate rustici cujusdam Holsati. 54
39. - Sabulo aurei splendore in Urina calculosi. 55
40. - Præpostero calidorum usu in febribus acutis. 56
41. - Hydrope unico purgante temerariè licet exhibito, feliciter curato. 57
42. - Hydrope purgantibus potius quam sudoriferis curanda. 58

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

43. De Ossibus inter pleuram & tunicam pulmonum genitis. 59
44. - Horrendo & inaudito hactenus vulnere. 62
45. - Calculis per octennium ferè in Urethra gestatis, 67
46. - Gallina cœca Pilulis Cochiis curata, 68

Dn.

Dn. D. JOHANNIS WILHELMI ROMBERGII.

47. De Verme in Hepate. 69

Dn. D. JOHANNIS ÆGIDII EUTH.

48. De Oligaimia. 70
49. - Manuum ambarum curvatura & ἀδυναμίᾳ. 72
50. - Phlegmone & ejus progenie. 74

Dn. D. MATTÆI BLAU.

51. De Febre Chronica Vicennaria. 77
52. - Febre Quartana Chronica sæpius recidiva feliciter curata. 80

Dn. D. CHRISTIANI FRANCICI PAULLINI.

53. De Ovo quadrato. 85
54. - Contractura subitanea à Vermibus. 85

Dn. D. JOHANNIS MURALTI.

55. De Arteria in Venæsectione læsa. 86

Dn. LIC. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

56. De Epilepsia à Terrore. 87
57. - Epilepsia à terrore diuturna & incurabili. 114

Dn. D. JOHANNIS MAURITII HOFFMANNI.

58. De Viro fulminis Jctu repente exanimato. 121
59. - Hæmorrhagia Uterina, fluore succedente sanioso, Atrophia tandem insecuta lethali, & post mortem in corpore aperto, notabilibus. 122
60 - Diarrhœa cum excretione pellicularum plurimarum. 125
61. - Tumore ex pudendo femineo enato, feliciter ablato. 125

Dn. D. JOHANNIS JACOBI HARDERI.

62. Ex Anatome à gravi dorsi Vulnere defuncti. 126
63. De Line triplici. 127

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

64. De Tussi cum involuntaria excretione alvi. 128
65. - Natura in Opere suo non turbanda. 128
66. - Simplicium Utilitate. 129
67. - Amentia à terrore. 131

68. - Polygono Marchico coccifero. 132

Dn. D. SIGISMUNDI LEDELII.

69. De Singulari in Hypochondriaco symptomate. 135
70. - Globo plumbeo in Fonticulo. 133

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

71. De Figore intempestivo. 134
72. - Fructibus prunorum monstrosis. 137
73. - Sono quodam dubio. 138

Dn. D. EBERHARDI GOCKELII.

74. Ab Inhabitatione conclavis nuperrime extructi & concamerati, ac Calce noviter illiti, mala & periculosa symptomata excitata. 139
75. De Milite ex improviso convulsionibus Epilepticis sine manifesta causa tentato, ac spatio aliquot horarum trucidato. 141

Dn. D. ALPHONSI KHONII.

76. De Pertinacissima Vasorum Mesenterii Hepatisque obstructione sale Tartari Volatili feliciter reserata. 142
77. - Chirurgia infusoria, ejusque ope Chronicis & ferme desperatis quibusdam morbis egregiè depulsis. 144
78. - Passione Colica, cum cruciatibus intensissimis, Mercurii Vivi beneficio ex Voto sublata. 146
79. - Passione Iliaca gravissima ab Hernia intestinali excitata, mediante Mercurio vivo prospere devicta. 147
80. - Flumine tacti curatione. 149

Dn. D. GÜNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMMERI.

81. - De Urina calculosi sanguinem mentita, calculis materiam exhibente. 150
82. - Urinis in febb. cum sedimento fallacibus. 151
83. - Hectica cum Urina bona. 152
84. - Itinere ad Insulam Maris Baltici. 153

Dn D. MARCI GERBEZII.

85. De Modo frangendi soleas ferreas, clavosque & findendi Vitra, fissaque seu diffracta rursus glutinandi 158

Dn. D. LUCÆ SCHROECKII.

86. De Aphonia Singulari. 160

Dn. D. JOHANNIS CASPARI GRIMMII.

87. De Depressione Cranii per Cataplasma ex Herbis aromaticis curata. 162

88. - Infante Tussi convulsiva ex dentitione difficili per IX. hebdomadas laborante. 162

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

89. De Calculo Cordis in Hydropico. 163
90. - Urinæ suppressione à Calculo, post sextum diem, soluta. 165
91 A Mercurio intempestivè assumptò, post biennium exorta febris maligna, Ptyalismo soluta. 166

Dn. D. JOHANNIS BENEDICTI GRUNDELII.

92. De Napello, Bella donna Clusii, & Ranunculo hortensi. 167

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

93. - De Rore Melleo vitioso. 171
94. - Nebula singulari, febris malignæ lethalis causa. 174

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

95. De ingenti & tragico affectu ab exili causa. 175
96. - Sudore Moschum redolente. 179

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

97. De Adamantis innoxia deglutitione. 180
98. - Febre in Tympanitidem desinente feliciter curata. 183
99. - Epilepsia in febrem Acutam desinente lethali, in eodem, cum subjuncta Cadaveris defuncti Anatomia. 184
100. - Anatomia Cadaveris, ab ulceribus Tibiæ defuncti. 186

Dn. D. DANIELIS CRÜGERI.

101. De Vesicatoriorum efficacia. 188

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

102. Ex Anatomia à Partu difficili defunctæ. 189
103. - Anatome Hœdi Hermaphroditi. 191
104. De Utero Ovillo Hydropico. 194
105. - Ex Anatome Puellæ triennis, Mesenterio in tumorem Sanguinolento suppuratum conglobato. 194

Dn. D. JOHANNIS WILHELMI ROMBERGII.

106. De Puerulo absque Cranio & Cerebro nato. 197
107. - Febre Petechiali, Ictero superveniente soluta. 198
108. - Narium, gingivarum & uteri Hæmorrhagia subitanea, cum petechiarum eruptione absque febre. 200
109. - Fatali Chinæ Chinæ usu. 201
110. - Pluvia cruenta falso credita. 202
111. - Hydrocephalo insigni. 202
112. - Rara hydropis specie. 203

Dn. D.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

113. De Morte ob tineam male curatam. 204
114. - Quartana febre Ebrietate curata. 204

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

115. De Tremore totius Corporis insigni. 205
116. - Pede sponte decidente. 206
117. - Scirrho Tali dislocati. 207

Dn. D. CHRISTIANI HELWICHII.

118. De Hæmorrhoidibus Oris. 208
119. - Hæmorrhoidibus Vesicæ. 217
120. Complectens Relationes quasdam de Vulneribus ad diversos Judices factas. 222
121. De Apostasi per secessionem cum atrocibus doloribus conjuncta in scirrhum sanguineum degenerante. 226

Dn. D. DANIELIS NEBELII.

122. De Crepatura Ventris in Hydropica, feliciter sanata. 230
123. - Amaurosi Ozonæ superveniente, salivatione Mercuriali sublata. 232
124. - Judicii & Memoriæ imbecillitate, post lethargum, tandem accedente Epilepsia lethali. 232
125. - Tumoribus Pedum monstrosis. 234

Dn. D. GEORGII TOBIÆ DÜRRII.

126. De Morbo Caduco curato. 240
127. - Vermiculis cum Urina cruenta putrida excretis. 243

Dn. D. MATTHÆI BLAU.

128. De Artemisiarum Carbonibus. 244
129 - Mira Virtute radicis Varbasci Anti-apoplectica. 246

Dn. D JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

130. De Mira labiorum intumescentia. 284
131. - Secundinarum in Nævis maternis delendis noxa. 249
132. - Rosis proliferis. 249
133. - Gravidæ Cancrorum nimio appetitu, in Infantem propagato. 251
134. - Flatuum per Membrum Virile copiosa eruptione. 251

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ de WENCKH.

135. De Ligno Lentiscino. 252
136. - Duobus Viris Styriacis fluxum menstrualem sanguinis per penem patientibus. 258

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.
137. De Diluvio Tempestuoso. 261
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
138. De Febri maligna, tumore brachii soluta. 265
139. - Dolore capitis pertinaci, nullis cedente remediis in Canem transplantato. 265
140. - Fluore albo, salivatione sponte orta, sanato. 266
141. - Phthisi à Vermibus. 266
142. - Gonorrhæa pertinaci, rotulis nostris fugata. 266
143. - Umbilici Hæmorrhagia. 267
144. - Abdominis tumore sponte sanato. 267
Dn. D. VITI RIEDLINI.
145. De Calculis è naribus extractis. 268
147. - Galli Gallinacei Vindicta sat acri. 271
148. - Ischuria cum Cervice Vesicæ arctius clausa, lethali. 273
149. - Sempervivo in sero post Erysipelas è pede manante, parum conducente. 275
150. - Signis quibusdam Herniam intestinalem antecedentibus. 276
Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSCHIGG.
151. De Epilepsia ex terrore, curata. 278
152. - Lunatico curato. 278
153. - Lepra Curata. 279
154. - Motu hysterico ex Uteri abscessu falsò pro Epilepsia habito feliciter curato. 280
155. - Saccharo Lactis. 281
Dn. D. LUCÆ SCHRÖCKII.
156. Ex Anatome Puellæ Asthmate & convulsionibus defunctæ. 284
Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOTTWALDT.
157. De Mola in Gallinæ Ovario reperta. 285
158. - Crucifixo in medio Fagi Arboris Trunco natura depicto. 287
159. - Mola Vesiculari per Naturalia Matronæ cujusdam præter spem procidua. 288
160. - Equiseto submarino Orientali, lapidefacto. 289
Dn. D. CHRISTIANI VATERI.
161. De Polypis Cordis frequentibus. 290
162. - Anevrismate mirabili Arteriæ magnæ in Thorace à contusione, & fractura costarum orto. 292
163. - Morte subitanea in æstu Venereo. 293

164. - Ru-

164. - Ruptura cordis ab Ictu Thoracis. 293
165. - Ossiculo in cerebro nato. 294
166. - Fibris Cerebri in Hydrocephalo recens nato evidentius observatis. 294

Dn. D. JOHANNIS HENRICI STARCKII.

167. De Infante hydropico ex mala Diæta Matris in lucem edito & feliciter curato. 295
168. - Inveterato fluore albo, tribus tantum remediis feliciter curato intra XIV. dies. 297
169. - Infante semiannum agente ex malitiosa excandescentia Obstetricis, in purpuram scorbuticam incidente, cum Maculis cutis Violaceis & erosione variarum partium excretoriarum. 298
170. - Calculo Vesicæ canis extracto. 301
171. - Calculo Vesicæ cum Materia quadam ossea in Arteria Aorta circa Iliacas, observata. 301

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP. (304

172. De Enormibus & funestis flatuum in corpore humano tragœdiis. (307
173. - Motuum convulsivorum Universalium raro & notabili exemplo.
174 - Hystericæ passionis admirandis symptomatis. 309

Dn. D. JOHANNIS WILHELMI ROMBERGII.

175. De Fractura ossis humeri rara. 309

Dn. D. JOHANNIS MAURITII HOFFMANNI.

176. De Spina Ventosa oppido rara, cum insigni ossis femoris dextri fractura, ejusdemque notabili fragmine per abscessum separato. 310
177. - Aqua pericardii in Bove habita. 312
178. - Aneurismatis felici à se curatione. 314

Dn. D. JOHANNIS LUDOVICI APINI.

179 De Abscessu Tunicæ Intestinalis glanduloſæ. 315
180. - Spina bifida. 321
181. - Hydrocephalo in Infante recens nato curato. 323

Dn. D. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI.

182. De Spiritu Vitrioli, collyrio optimo. 324
183. De Tumore mirabili ex incantatione. 326
184. - Stranguria periodica. 327
185. - Epilepsia Juvenis Cachectici Venæsectione curata. 328
186. - Hæmorrhagia narium in Sene octuagenario saluberrima. 328

Dn. D. JOHANNIS CHRISTIANI MENTZELII.
187. De Puerpera febri maligna miliari sive Purpera alba cum Vesiculis pellucidis ceu crystallinis laborante. 329
188. - Mira & obstinata Cephalalgia. 331
Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.
189. Ex Historia & Anatome Gemellorum Coalitorum Anno 1702. M. Martio in Prussia natorum. 332
190. De Sceleto Gemellorum coalitorum Janiformi. 341
191. (a) Ex Uteri Ovilli, collo in ligamentum coalito, fœtuque adulto emortuo, Anatome. 344
191. (b) De Duobus Abortibus Humanis Oviformibus. 350
192. - Secundiæ Abortivæ Ovo Cotyledoniformi. 359
Dn. D. HENRICI à SANDEN.
193. De Sarcomate cancroso ex cavitate genu pedis sinistri, ab externa parte propullulante. 361
194. - Ano Imperforato. 364
Dn. D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.
195. De Portentosa avenæ in Agro Uxoricidæ cruentatione. 366
Dn. D. SAMUELIS LEDELII.
196. De Pediculis post tertianam. 367
197. - Febre ardente à contagio erucarum. 368
198. - Venæsectione in decreptis proficua. 369
Dn. D. MARCI GERBEZII.
199. De Liene citra sanitatis læsionem exciso. 370
200. - Epilepsia ex Erysipelate refrigerato. 371
Dn. D. GEORGII SIGISMUNDI POGATSCHNIGK.
301. De Lapidibus Conchylii Figura signatis. 372
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
202. De Brachii dolore ex imaginatione. 375
203. - Variis in Anatome repertis. 375
204. - Chirurgia infusoria in Canibus. 376
205. - Scabie crescente Luna aucta. 377
206. - Urina frigida in febre Maligna. 377
207 - Diabete solo Aquæ ferratæ usu curato. 378
208 - Febre Tertiana simplici cum surditate symptomatica. 378
Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.
209. De Insigni Tumore feliciter curato. 379
210. - Granis Uvarum ac pomorum per umbilicum p. n. pervium expressis. 382
211. - Ce-

211. De Ceraſorum Lapillis, alvi pertinaciſſime obſtructæ & mox ſubſecutæ mortis cauſa. 383
212. Defectum Uvulæ ab ortu, vicinæ reſarciunt partes ſine ullo incommodo. 384
213. De Colica ſpaſmodica, convulſiva manuum ac pedum tonica, terrore incendii ſubito curata. 384
214. - Simia Atrophia ex tumoribus ſteatomatoſis meſenterii demortua. 386
215. - Excandeſcentia hæmorrhagiæ uteri fermè incurabilis cauſa, tandem ſanguine excreto propinato, curata. 386
216. - Viſcerum dislocatione. 387
217. - Simia Menſtruata. 387
218. - Atrophia lethali, ex obſtructione glandularum meſenterii ac viſcerum coalitu cauſſata. 387
219. - Sympathia indiſtans agente. 388
220. - Arſenici noxa. 390
221. - Morbo complicato. 391

Dn. D. CONRADI BARTHOLDI BEHRENSI.

222. De Lethali Vomitus Vehementia. 398

Dn. D. MARCI GERBEZII.

223. De Corde Magno. 399

D. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

224. De Borraginis noxa. 400
225. Vulnere Thoracis gravi cum inſigni Pectoris contuſione feliciter ſanato. 401
226. - Catameniorum fluxu in Muliere octoginta trium annorum. 402
227. - Ulceribus pedum per ſpontaneam Gonorrhæam curatis. 404
228. - Diarrhæa colliquativa, Diabethe notha, ſoluta. 405
229. - Barba ab Odontalgia præſervatrice. 407
230. Ex Anatome Juvenis, Ulceribus Thoracis in pectus penetrantibus defuncti. 408
231. De Cadaveris Fœminini Omphalocele prægrandi defuncti ſectione. 410
232. - Nephritide Calculum mentiente. 411
233. - Monſtro humano abſque ſexu, pedibus, &c. in excreſcentiam caudiformem deſinente. 413

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUZMANNI.

234. De Morte ex Vulnere Inteſtini recti. 416

235. - Menſium fluxus immodici remedio. 417
236. Ex Anatome Crapula defuncti. 418
237. De Morte ex nimia Panis ingurgitatione ſubitanea. 431

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

238. De Catalepſi biduana, cum Palpitatione Cordis horrenda in moribundo. 422
239. Ex Anatome Pueri Aſcitici. 422
240. - - - - Puelli Rhachitici anatome. 424
241. - Anatome Cachetici Pleuropneumonici. 421
242. - De Calculo Veſicæ Unciæ unius pondere, citra ſectionem excreto. 425
243. Ex Anatome Phthiſici. 425
244. De Mammæ ſiniſtræ exulceratione in Cancrum apertum faceſſente, curata. 427
245. - Venæſectione puerulis bimulis, trimulis, quieñibus, ſepteñib. &c. utiliter adhibita. 428
246. - Ictero & doloribus Colico-Nephriticis è Calculis cyſtidis felleæ. 430
247. - Paralyſi digitorum quorundam particulari, ob ſectionem venæ baſilicæ malè paractam. 430
248. Ex Anatome hydropici. 431
249. De Febre lenta ἐκλυτώδει, antiſcorbuticis imprimis & Martialibus ſubacidis tandem expugnata. 432

Dn. Lic. JOHANNIS MELCHIORIS VERDRIES.

250. De Febre maligna loco Petechiarum, Aurugine Critica corpus deturpante, non ſine ſucceſſu felici. 433
251. - Medulla in oſſibus femoris gallinæ Lapidea. 434
252. - Agno Hemaphrodito. 435

Dn. D. GOTTLOB SCHOBERI.

252. De Tumore cranii, Cephalalgiæ, Guttæ Serenæ & tandem Apoplexiæ Cauſa lethali. 436
254. - Eſſentiæ Ambræ vi hypnotica. 437

D. JOHANNIS PAULI WURFFBAINII.

255. De pollice pedis dextro gangrænoſo feliciter ſeparato, in Viro ſeptuagenario majore pancratice jam vivente. 438
256. - Mercurii Vivi uſu interno non lethali, & de Judiciis Criminalibus caute dandis. 439

CÆSA-

CÆSAREO-LEOPOLDINÆ ACADEMIÆ NATURÆ CURIOSORUM EPHEMERIDUM MEDICO-PHYSICARUM DECURIÆ TERTIÆ ANNUS NONUS & DECIMUS.

OBSERVATIO I.

DN. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI,

De Febre Lethargica in Strabiſmum utriusque oculi deſinente.

IN iis, qui tenerioris adhuc ſunt ætatis, ex prava conſuetudine, dum ſcilicet oculi ad unum aliquem ſitum, ſurſum vel deorſum, ad dextram aut ſiniſtram ſemper moventur, ſtrabiſmum oriri, eundemque præprimis in infantibus in cunis adhuc jacentibus ac aculos ad hunc vel illum ſitum fixos habentibus iſta, ut tali ſitui quaſi aſſuescant & in eo poſtmodum permaneant, ſæpiſſimè obſervari, notiſſimum eſt. In ætate provectioribus, niſi â primis annis hôcce viſus vitiô correpti fuerint, idem malum rariùs generari, mecum forſan plu-

rimi fatebuntur : Nonnunquam tamen id fieri, sequentia edocebunt. Annô 1695. Virgo hujus loci, viginti circiter annorum, honesti cujusdam civis I. F. filia, in Febrem incidit continuam, acutissimâ cephalalgiâ, siccitate oris & aliis, quæ in ejusmodi morbis acutis notari solent, symptomatibus stipatam, quorum tamen præcipuum circa hoc subjectum in summa ad somnum propensione consistebat, quæ quô magis capitis remittebat dolor, majus majusque capiebat incrementum, ita, ut, quoties à Somno excitaretur, toties in eundem relaberetur profundissimum. Administratis omnibus ex arte, quæ in tali casu Methodus Medendi injungit, haud tamen impediri poterat, quin somnolentus hicce Ægrotæ status in undecimum usque diem constanter perseveraret, quô tandem, salutari quôdam obortô sudore, quævis hujus febris lethargicæ symptomata pacatiora fiebant, excussôque præternaturali Somnô paulatim pristina membris accedebat alacritas vigorque. Parentes mecum ob morbum haud parum periculi antea minitantem feliciter devictum, sibi gratulabantur, abjectôque omni doloris sensu, quem filiæ antea ipsis incusserat infirmitas, de plenaria ejus sanatione haudquaquam dubitabant; neque quoad Febrem dictam Lethargicam vanam hancce fuisse spem, eventus docuit, utpote à qua omninô liberata, integras recuperavit vires. Ast, obductam jam doloris cicatricem mox refricuit inexpectatum aliquod Accidens mœrorem animique curam, quæ jam quodammodô consenuisse videbatur, haud parùm de novo exagitans: Scilicet, à quo tempore meliori prædita erat valetudine, oculorum talis advertebatur distorsio, quæ pupillam in utroque versus palpebram adigebat superiorem, inferiori bulbi parte ultra ejus dimidium non nisi album referente. Verbô! Strabismus utriusque aderat oculi, pupillâque rebus videndis haud rectè oppositâ, ut objecta conspiceret, capitis deorsum versus inclinatione habebat opus. Vocatus ad spectaculum hocce visendum auxiliumque ferendum, in ipso prandio Filiam cum parentibus mensæ assidentem deprehendi, ubi primô statim intuitu morbum cognovi, qui & aliàs ex ejus actionibus satis conspicuus fiebat: Quoties enim ex patina hoc vel illud edulium cultrô, vel etiam cochleare sumere annitebatur, toties errorem committebat, rarò scilicet ipsam attingendo patinam, sed ejus limites haud parùm transgrediendo. Recordabar statim, quemadmodum plures morbi non rarò translatâ per metastasin eorum causâ, ad alias partes novarum afflictionum exstitere autores, (ut enim pauca saltem ad nostrum casum facientia commemorem, Lethargum criticâ surditate solutum sistit Zacutus Lusitanus. *Prax. Med. admir. Lib. 1. Observ. 18.* & Strabismi post Epilepsiam relicti, mentionem faciunt

faciunt Ephemerid. Nat. Cur. *Dec. 1 Anni 3. Observ 162.*) Sic quoque in præsenti Casu aliquid Materiæ Morbi ad Musculos oculorum attolentes quos superborum nomine Anatomici insignire solent, delatum, convulsivam & tetanicam in iisdem produxisse affectionem, judicavi, cui propterea antispasmodica varia opposui, non neglectis Topicis, Vesicatoriis & aliis, quibus molestam hancce visus læsionem curari posse censui; Quam sedulum verò in suggerendis adminiculis me gesserim, permansit nihilominus illa per tres ferè menses insuperabilis, quibus elapsis, victas tandem dedit manus, prædicta virgine nostea integrâ sanitate ac optimô fruente visu.

Observatio II.

Dn D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI,

De

Hernia pubis ab obstetrice quadam pro utero habita ac pessimè tractata.

NOcivos inter errores, quos ab imperitis Obstetricibus sæpius committi quotidiana docet Praxis, meritò ille, quem jam referendi animus est, locum habet, dignus sanè, cujus hic aliqua fiat mentio. Mulier quadraginta circiter annorum, venditione Malorum Citriorum hic loci victum quærens, Anno 1694. incidit in contumaciſſimam alvi constipationem ac torminibus colicis misere torquetur, succedente mox continuô vomendi conatu cum anxietatibus præcordiorum. Prout igitur mos obtinuit, ut mulieres in suis morbis priùs vetulas ac Obstetrices, quàm expertos ad auxilium vocent Medicos, sic & illa, de qua nobis sermo est, earundem quandam accersi curat, remedia ex ea anxiè expetens. Obstetrix plurima de utero malè affecto blaterat, ac ipsi unicè causam morbi adsignat; id quod audaciùs multò affirmat, dum denudatò abdomine in inguine sinistro protuberantiam quandam gallinacei ovi magnitudine advertit; quâ conspectâ, uterum à sede naturali discessisse eumque ob id indignabundum, tormina & alia symptomata ciere, imprudenter exclamat, addens, sui jam officii esse, ut eundem contrariô motu ad naturalem redigat locum, quô factô futurum, ut quævis mala iterùm evanescant. Quid fit? Ægrota dictis Obstetricis verbis aures præbens, hujus fidei & curationi se committit, ait

infaustô admodum eventu; Illa enim ter quaterve quotidie infirmam accedit repositionique puratitii uteri operam dans, tumidam partem premit, fricat, vellicat, trudit pellitque versùs interiora, nihil interim remittente malô, quin potiùs eôdem magis magisque in deterius ruente. Hinc permotus maritus, meum efflagitat auxilium, utque citò citiùs adejus me conferam uxorem, summopere petit. Adsum statim ac miseram in deplorando invenio statu, fœtidas jam & stercoreas copiosè evomentem sordes. Quæro ex marito, num in uxore unquam vel umbilici, vel pubis observaverit herniam? Respondet ille, planè sibi ignotum esse, quid herniæ nomine veniat, (Er wisse nicht / was ein Bruch zu sagen sey?) benè quidem se scire, quòd uxor ab aliquo tempore quendam in pube senserit tumorem, haud tamen se credere, eundem adhuc adesse, cùm adhibita Obstetrix illum nil aliud, quàm uterum fuisse perhibuerit, qui sede suâ naturali relictâ, sinistrorsum versus oberraverit; cuncta præterea enarrabat, quæ ab illa ad reponendum uterum hactenus peracta erant, annectens, juratò fermè eandem edixisse, quòd ille jam debitum iterùm occupet locum, factisque omnibus, quæ sui muneris esse putaverit, Medicus jam sit consulendus, qui cæteris Accidentibus idoneô subveniat consiliô. Impetratâ tunc licentiâ inspiciendi locum affectum, Bubonocele oculis statim occurrit, omnium malorum quæ hactenus Ægrotam excruciârant, vera causa; Ast, quod maximè dolendum erat, Tumor à pessima obstetricis contrectatione, violentis trusionibus, frictionibusque inflammatus, plane ad suppurationem tendens, mirum sumserat incrementum ad labia usque pudendorum jam proserpens. Detestor temerariæ hujus vetulæ frivolum omninò facinus injectisque nonnullis Clysmatibus ac per os exhibitis iis, que emolliendi virtute prædita alvi exonerationem promovere possent, brevi, Deo sit laus! ejus naturalem iterùm obtinuit apertionem, cum vomitus stercorei notabili remissione meliorique paulò post adspirante Sanitatis aura. Ulceris interim, quod sponte apertum, puris ingentem eructavit copiam, Chirurgo cuidam commissa est curatio, cujus dexteritate & diligentiâ, istud quoque, licet post aliquot demum menses, feliciter consolidatum est: Quot verò molestiæ ac tædia interea Ægrotæ tum ob dolores exin obortos, tum ob ægritudinem animi, quam ob partium genitalium quotidie repetitam deligationem pudor naturalis causabatur, fuerint devorandæ, norunt omnes, qui tum temporis cum illa conversantes ob-

ob puniendam Obstetricis temeritatem haud adeò fausta huic apprecabantur.

OBSERVATIO III.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De morsu canis non rabidi leviori, ast pernitioso.

ANni 1687. undecimô Aprilis circa mediam noctem vocatus ad Dominum M. 22. annorum, Studiosum Juris ac cujusdam hujus loci Senatoris filium, in miro eundem deprehendo statu: Sitiebat vehementer, corpus hinc inde jactitabat, anxius valdè erat circa præcordia, spasmus aderat cynicus & artuum præcipuè notabilis convulsio. Statim sibi pereundum esse putans, de restitutione plenaria omninò desperabat. Interim nec ullum pasfionis Colicæ, nec febrilis invasionis præstò erat signum: Pulsus equidem quodammodo celerior percipiebatur, haud verò præcesserat frigus, horror, pandiculatio, dolor lumborum & qui hujus farinæ sunt alii febrium vel intermittentium, vel continuarum præcursores. Sæpius in hæc verba vociferando, vel ejulando potiùs prorumpebat: Væ meis manibus emortuis jam & stupidis, ita, ut eas vix amplius sentiam! Quas propterea inspiciens, erysipelaceô quôdam colore tinctas vidi, dextrâ tamen præ sinistra magis rubente. Cœnaverat præcedenti vespera adhuc bene & optimo cum appetitu cibum sumserat; duabus verò post horis, dicta subitò ipsum invaserant symptomata, quibus tempore mei accessus magis magisque exagitabatur. Inquirenti mihi sedulò in eorum causam, suspicio haud sine ratione, assumti in cœna forsan cum esculentis vel potulentis veneni oboriebatur, unde citissime Tartari Emet. M. grana duo ipsi exhibui, additâ mixtura quâdam alexipharmacâ, vomitorii operatione finitâ, cochleatim sumendâ. Quô factô domum redux, lectum peto somnô fruens, sexta verò matutina ad Ægrotum denuò me conferens, eundem semel saltem amarulenta quædam evomuisse, usurpatis verò postea dictæ mixturæ aliquot cochlearibus, per duas horas somnum cepisse cognosco; Anxietas quoque quodammodo remiserat, convulsionibusque pacatioribus visis, ut residuô mixturæ utatur & corpus ad blandum comsudorem, injungo. Circa undecimam meridianam, rursus ponat ipsum visitans, paululum quidem eum sudâsse, anxietates verò & cæ-

tera symptomata recruduisse comperio, ita, ut quò se verteret, nesciret; Mira insuper digitorum dextræ præsertim manus contorsio & retrorsum versus incurvatio advertebatur, unde exquisitiùs eam contemplans, haud procul ab articulatione carpi cum brachio in illa regione, ubi pulsus explorari solet, exiguum aliquod vulnusculum, vel potiùs fissuram acutô quasi instrumentô inflictam ac cicatrice jam obductam conspicio; Interroganti mihi, quænam ejus causa, respondet Pater, heri circa quintam vespertinam filium cum cane ei familiari lusisse, hunc verò, postquam ipsum aliquatenus irritârat, levi eum petiisse morsu, unde, quicquid viderem vulnusculi, esset superstes. Neque tamen verosimile sibi videri, præcipuè cum canis non fuerit rabidus (quem dato alliciebat signô, satisque comiter & sine ullo furoris vestigio hero suo & omnibus præsentibus abblandientem, mihi monstrabat) occasione inflicti vulnusculi ejusmodi horrendam symptomatum syndromen produci potuisse. Ad quæ, vel maximè id fieri potuisse, regessi, pessimèque cum Ægroto actum fuisse, ostendi, quòd tamdiu veram ejus infortunii causam celaverint; Quam unicè igitur dicto canis morsui adscribens, partem læsam scarificari ac cucurbitulam ei imponi jubeo; Quæ adminicula, cum ille admittere nollet, aquâ salsâ vulnus fricari remotâque sic cicatrice Topicum ex Aq. Theriac. Spir. Theriac. camph. & aliis calidissimè sæpius imponi curo; Postea datis aliquot dosibus salis volatilis Viperarum, paulatim quævis evanuêre symptomata ac brevi profecit ita Ægrotus, ut optimè cum pristina in gratiam rediret valetudine.

Apparet ex hisce luculenter, in omni morsu cavendum esse, etiamsi non rabiat animal. Haud equidem Bellonio adstipulari possum, qui, referente sic Bonetô *Labyr. Med. extr. p. 353. §. 93.* quemlibet canis dentem virus gerere asserit; Neque hoc in negotio salivæ caninæ per inflictam plagulam sanguini communicatæ tot miseriarum causam tribuerem, quin potiùs facerem cum iis, qui in similibus morsibus ab animalibus haud venenosis illatis, nihil veneni ad sanguinem læsi subjecti pertingere, sed quævis symptomata à nervosarum fibrillarum per morsum excitata vellicatione, lancinatione, distensione ac spasmodicis per consensum aliarum partium contractionibus oriri judicant, uti hanc sententiam Doctissimus Dominus Melchior Friccius *Paradox. Med. 7. p. 171. & 195. seq.* haud ita pridem optimis corroboratam argumentis erudito exhibuit Orbi. Cæterùm non planè inaudita me hic proposuisse, docet institor ille, cujus

jus Martinus Listerus *Exerc. de Hydrophob, p. m. 127.* meminit, qui demorsus à cane non rabido, per plurimos annos subinde in quacunque corporis parte, præsertim in pene, sævissimos percepit cruciatus. Sic Forestus *Obs. 27. lib. 10. de Cerebri Morb.* de Monacho quodam refert, quòd à canicula, quam in sinu fovit, dum confessioni vacaret auriculari, in labiis commorsus sit, ex quo postea factus fuerit rabiosus; Cui Historiæ in Scholio subnectit Exemplum, celebris illius JCti Baldi, qui itidem ludendo cum sua canicula, morsus ac in maxima rabie & metu aquæ extinctus est. Discant hinc illi, quibus canum in delitiis est consortium, ne temerè nimis ipsorum fidant blanditiis; Facile namque fieri potest, ut & hi adulatorum æmulentur mores, qui, dum maximè abblandiuntur, summam non rarò intentant perniciem.

OBSERVATIO IV.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De intempestivo Pudore Ægrotis noxio.

QUemadmodum Verecundia viro egenti unutilis, compluresque mortales reperiri, quibus in negotiis civilibus magno bono fuerit, nihil omninò puduisse, rectè à nonnullis asseritur; Sic in morbis, quoties urget necessitas, pudorem abjiciendum esse, plurimi hactenus in suis Scriptis sedulò inculcârunt. Sic Pastor ille, cujus Ephem. *Dec. 2. An. 4. Obs. 157.* fit mentio, quòd de fluxu suo hæmorrhoidum nil medico diceret, mortis præmaturæ facta est victima. Simile pudibundi cujusdam Hernioſi, qui aliàs curari potuisset, legitur Fatum apud Helvvigium *Observ. Med. 107.* Sic Matrona diuturnô fluore albô detenta, præ pudore Medicorum detrectans auxilia, lethalem uteri incurrit exulcerationem, ubi ex Regner. de Graaf Theoph. Bonet. Polialth. *Tom. 3. p. 68. seq.* meminit. Hildesiæ quoque jurium Practici Spanmanni quondam vidua, referente sic Clar. Dn. Brechtfeldiô *in Act. Hafnienſ. An. 1671. Obs. 108 p. 199.* Erysipelate tum medium corpus cingente, tum alterius tibiæ laborans, illudque præ pudore dissimulans, lethi ante tempus degustavit acerbitatem. Hisce & similibus forsan ab Aliis Observatis sequentia, quæ propria suggerit Praxis, adjungere placet. Annô, ni fallor, 1688. Capitaneus quidam M. S. robustus, formosus, in flore ætatis constitutus,

tutus, unicus Parentum Filius, qui pulchram quandam hujus loci virginem ardenter diu amaverat, ejusque nuptias non semel, frustra tamen hactenus tentaverat, morbo corripitur iliacô; Adest pertinax alvi constipatio, acutus intestinorum dolor; sequitur mox sitis intensissima, vomendi continuum desiderium ac frequens assumti potus flavedine jam tincti, aliorumque postea stercoream plane spirantium mephitin per os ejectio. Manet in hocce miserando statu ad septimum usque diem, vel quòd nihil periculi morbo subesse existimaret, vel quòd veram ejus causam, uti postea comperi, propalare nollet, sine ulla adhibita Medicina, nullius, quicunque etiam Medicorum ipsi commendaretur, admittens accessum. Matris tandem lachrymis & precibus commotus, me accersi concedit; Vix cubiculum ingrediens pavimentum variis undique conspurcatum inquinamentis, quæ evomuerat, conspicio, teterrimô nares feriente odore; Unde facilè conjiciens, quid morbi Ægrotum lecto teneat affixum, propiùs me ad eum converto; Pulsum vix perceptibilem, pedes manusque frigidô madidas sudore, faciem Hippocraticam & nulla non mortem ante fores prænuntiantia signa, mentem interim adhuc satis sibi constantem loquelamque robustam (qualia Iliacis ad ultimum usque halitum vitæ non rarô constanter adesse, sæpiùs observavi) in ipso deprehendo. Imminentem igitur lugubrem hujus morbi catastrophen dum mente volvo, astantes, imò ipsam matrem cubiculô exire jubet æger, haudque parùm me consternatum his præter propter alloquitur verbis: Non me fugit, Domine Doctor, quantâ curâ ac sedulitate in morbis aliàs me Tuô sublevaveris consiliô; Æquum proinde fuisset, ut citiùs ac initiô statim hujus infirmitatis tuam denuò implorâssem fidem; Quò tamen veram hujus negligentiæ cognoscas rationem, neque ex diffidentia erga Tuam dexteritatem, neque ex alia causa id factum scias, nisi ex solo pudore, qui, ut ulli radicem morbi aperirem, hactenus permittere noluit; jam verò ad hasce redactus miserias, consultius duco, ut ea, quæ ad hoc usque tempus occultare placuit, tuo exponam conspectui: Quibus dictis quælibet removet integumenta, retractôque induviô denudatum mihi monstrat Scrotum, magnitudine capitis infantilis, durum, Sphacelatum ac nigrô colore conspicuum; Quô factô, vides jam, pergit in suo alloquio, verum tot cruciatuum patienti à me animô toleratorum fontem; Reliquum est, ut tria jam obnixè abs Te petam; Primò, ne ulli hominum, præ primis verò notæ illi Puellæ, quam tantoperè

toperè hactenùs adamavi, verbulum de hocce meo aperias malo; Secundò, si illô me adhuc liberari posse censeas, ut nihil eorum, quæ ad recuperandam pristinam sanitatem quicquam conferre possunt, intermittas; Tertiò verò, si nihil spei pro detegenda meliori valetudine superesse existimes, ut candidè mihi id indices, quò destitutus spe ulterioris commorationis in hac vita ad cœlestem illam, beatumque prout veros decet Christianos, me præparare possim discessum. Ad quæ, consideratis bene omnibus circumstantiis hocce dedi responsi: Teneri quidem quemlibet Medicum, ut, si quid sub fide silentii ipsi committatur, nulli quicquam de eo referat; Interim in præsenti negotio non opus esse tantâ sollicitudine, cum in tali versetur statu, in quo ipsius Enterocele propalata respectu matrimonii, quod cum memorata virgine inire hactenùs tantoperè expetierit, impedimento ampliùs esse nequeat; Vix enim eum ad aliquot horas superstitem futurum, meque propterea tam audacter tristè hocce aperire nuntium, ut abjectis quibuslibet mundanis cogitationibus ad cœlestem confugiat Medicum, viamque animæ pandat ad gloriosam ejus in Cœlo receptionem. Bene se res habet, regerit ille satis animosè, neque magis me tibi devincere potuisses, quàm quòd absque vanis promissis nudam mihi edisseras veritatem; Quibus verbis prolatis, Confessionarium accersi curat, acceptôque cum summa devotione viaticô, quô salutarius dari nequit; vix post duas vel tres horas inter preces adstantium, suam DEO, à quo illam acceperat, reddidit animam

Eôdem Annô longè meliùs salutis suæ rationem habebat certa quædam matrona, mercatoris N. M. uxor, 36. circiter annorum, tertium tum temporis imprægnationis agens mensem: Dum enim subitò in totalem ischuriam incidit, ac intra quatuor dies ne guttulam urinæ emittit, abdomen interim mirum in modum intumescere cœpit, insolitamque respirandi difficultatem advertit, meam sibi proficuam operam credens, ut eâdem ipsi præstò sim, desiderat: Cui petito lubenter annuens, advolo, ac, ne quid negligentiùs in ipsâ accideret curatione, in cuncta scitu mihi necessaria diligenter inquiro. Ob dorsi vehementes dolores calculi initiô oboritur suspicio, quæ tamen nullis aliis signis ejus præsentiam confirmantibus, mox iterum disparet. Diuretica fortiora, ob metum, ne sanguinem, vel etiam ipsum ex utero deturbarent fœtum, propinare haud consultum duxi: Ut interim liberum lotio conciliarem exitum, internis æquè ac externis

auxiliis omnem lapidem movi; Aſt cuncta incaſſum & irritò planè conatu, urinæ ſuppreſsione nihilominùs continuante ac varia alia in ſcenam producente mala. Dum igitur, quid ulterius agendum, anceps fermè hæreo, fortè fortunâ in hanc incido quæſtionem, an in partibus genitalibus quendam ſentiat tumorem? Ad quam illa erubeſcens negativè reſpondet; Ob vultus colorem mutatum, ſuſpecta mihi erant ipſius verba, unde certiora mox remedia promittens, ad tempus diſcedo, domumque veniens Obſtetricem, cujus operâ aliàs in partu uſa erat, vocari curo, cui Ægrotæ expono morbum etiam atque etiam ei injungens, ut ad ipſam properet partium genitalium luſtrationem, &, ſi quid præter naturam in iis deprehendat: quod forſan præ pudore illa mihi confiteri noluerit, ſtatim de eo me faciat certiorem. Sedulò hæcce, quod ipſi injunctum peragit, paulòque poſt ad me revertens, in vagina uteri tumorem quendam hærere, imò extra illam hunc quodammodò propendere refert. Cognoſcens hinc aliquem vaginæ prolapſum adeſſe, à quo Urethra ita comprimatur, ut urinæ tranſitum deneget, intempeſtivam Fœminæ miratus ſum verecundiam, quæ facilè in mortis diſcrimen ipſam adducere potuiſſet; Juſſi igitùr extemplò, ut obſtetrix ipſius repeteret ædes, adhibitôque Topicô quôdam emolliente, quod in Pharmacopolio parabatur, absque omni violentia tumorem ſurſum verſus reprimeret, ad ejus relapſum verò impediendum, Pilam uterinam vaginæ immitteret. Abit illa dictis morem omninò gerens. Vix verò ſublevatô tumore liberatôque ſic meatu urinariô à ſua compreſſione, lotium in maxima prodit copia ac liberè poſtmodum ſine ullo efflu-xit impedimento, ita, ut mulier dicta ad hunc usque diem bellè ac pancraticè vixerit.

OBSERVATIO V.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De

Hydrope lethali ex aſſumpta nimia Balſami Sulphuris Terebinthinati quantitate.

ANnô 1687. venit ad me Wilh. Halbbauer, miles quondam hujus urbis, in vicino nobis pago Emmerthen tunc degens; venit, inquam,

quam, vultu lurido, cachectico, ventre ascitico, tumido, ita, ut propter summam ejus expansionem vix respirandi ipsi esset libertas, multò minùs præ illa insigniter tumefactos intueri posset pedes. Vix meum intraverat domicilium, cùm ob debilitatem ex molestissimo itinere contractam scamno semianimis quasi insidere cogeretur. Exhibitis illi nonnullis, quæ ad manus erant, refocillantibus, recollectisq; exinde aliquatenus viribus, mihi quærenti, unde in deplorandum huncce incidisset statum? respondet, se jam aliquoties Febris tertianæ intermittentis paroxysmum perpessum esse, cui quòd manibus victus sibi quærendus, cùm diutiùs vacare non potuerit, tandem, ut eum profligaret, sequens opposuerit remedium. Emerat scilicet ab illis hominibus, qui aquas, olea destillata & similia hinc inde circumferunt venalia, phialam Balsami Sulphuris Terebinth. drachmâ unâ cum semisse circiter repletam, dictâ autem Balsami quantitate omni, vini adusti unciis sex infusâ, ferculum hocce paulò ante imminentem Paroxysmum aliquot haustibus animosè ingurgitarat, haud tamen adeò auspicatò effectu: Frigus equidem febrile cum horrore & pandiculationibus solitis haud ampliùs in conspectum prodière, ast æstu continuò & intensissimò correptus, omnia sensit inflammata, Tantaleâque siti afflictus, tenuiori & rusticanò illò potu, quem Nostrates Kavent vocant, exsatiare sese non potuit. Sequentes aliquot dies in eodem transegit statu, nisi quòd lancinantibus & rodentibus intestinorum doloribus miserè excruciatus fuerit, quibus tandem remittentibus pedes intumescere, venterque in Asciticam talem, quam adhuc præ se ferebat, assurgere inceperunt molem, paulatim hâc tantum sumente incrementum, ut rupturam abdominis quis metuere potuisset. Quid multis? Efflagitat ille remedia; Præscribo hæc lubenter suggeroque pro renata, de plenaria interim curatione ob varias causas fermè desperans. Ille ob curtam suppellectilem præparationem negligit Medicamentorum, repetit suum in dicto pago domicilium, omniaque soli committens naturæ abit ad plures, egregiò documentò, quàm pessimè sibi consulant, qui sine velis & remis sanitatis navem fluctibus ac remediis tradunt empiricis

OBSERVATIO VI.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De

Lienis Ruptura à forti percussione, Cadaverumque jam Sepultorum ac iterum effossorum inspectione quandoque valde necessaria.

AN corpora semel humata post aliquot dies rursus effossa inspicere teneatur Medicus, scio apud nonnullos in disquisitionem veniisse, aliis affirmativam, negativam aliis tuentibus. Meum non est, decisô quôdam hancce componere litem, qui tamen, si, quænam hac de materia mihi sit sententia, quis scire cuperet, inter Cadavera maximam partem jam putrefacta, & illa, quæ quidem terræ per aliquot dies jam commissa, notabilem tamen ob varias causas nondum subiêre corruptionem, distinguerem, ac ratione illorum Medicum ad inspectionem cogi non posse, ratione horum verò illum ad eandem administrandam vel maximè teneri, neque, quia Reipublicæ interest, ut maleficia haud maneant impunita, ullam tunc excusationem locum invenire, assererem. Ratio utriusque asserti ex sequentibus magis eluceset: Ante plures annos in Præfecturæ Calembergensis pago quodam Schlitten dicto, vexillifer aliquis Equitum ex Militia Hannoverana, cui hospitium apud rusticum hujus loci assignatum erat, in quasdam cum suo Hospite, nescio ob quas causas, incidit rixas, quibus equidem compositis ipsi tamen simultas cum hoc intercedit, ita, ut infensum re ipsâ testificandi animum sedulò quærat occasionem. Quæ quoque sequenti die Dominicâ se offert: Dùm enim dicti loci incolis, quòd in proprio Templo Sacra matutinô tempore non celebrentur, horum gratiâ ad haud procul dissitum pagum, Jeinsen, sit eundum, inter alios etiam memoratus Rusticus cum vexillifero, ille quidem pedibus, hic equô vectus, Templum frequentat; Finitis verò Sacris, dum quilibet proprias repetit ædes, Vexillifer Rusticum aliquot passibus præcedentem concitatô insequitur equô, velocique hujus cursu ipsi appropinquans simulansque, ac si præter intentionem id fieret, dextrô pede ocreis munitô ipsius Hypochondrio sinistro tam violentum infert ictum, ut semimortuus in terram concidens, vix vitæ amplius præ

se

se ferret vestigium. Vexilliferô callidè satis agente, ac si planè eorum, quæ Hospiti suo acciderant, esset ignarus, reditumque ad hospitium suum maturante, alii ejusdem Pagi incolæ ex Templo ad sua properantes domicilia, Rusticum humi prostratum in dicto inveniunt statu, ac ejus faciei aquam frigidam adspergendo, corpus quoque diversimodè agitando, id efficiunt, ut suis eundem paulatim ad se redeuntem in propriis ædibus reddere possint. Adventanti huic infirmo statim in hypocausto sternitur lectus & omnia ad ejus membra frigore quasi congelata (Accidebat enim hoc paulò post Festum Nativitatis Christi) iterùm refocillanda suppeditantur. Interim Uxore & cunctis Propinquis ad inopinatum huncce casum obstupescentibus nesciisque, unde subitaneum hocce infirmo obtigerit accidens, hic tandem magis sibi redditus, totum negotium pleniùs enarrat. Advertens id Vexillifer, fugâ salutem sibi quærit, dum interea Rusticus ob animi deliquia & alia Symptomata supervenientia magis magisq; in deterius ruens, omnique Remediorum auxiliô destitutus, ipsô die, qui sequitur, subitò cum morte commutat vitam. Ob lugubrem hunc Casum consternatio oritur inter omnes, non tamen adeò de Facti ad Magistratum delatione, quàm de funere Defuncto faciendo sollicitos, qui quoque tertiâ post obitum die solenni sepulturâ Terræ committitur. Interea hac de re rumor undique disseminatus ad ipsos tandem Præfectos Calenbergenses proserpit, quibus Factum ad Aulam Hannoveranam deferentibus, per Mandatum propriâ manu Serenissimi Ducis Johannis Friderici beatissimæ memoriæ subscriptum, seriò injungitur, ut Cadaver jam ante novem dies Terræ datum iterùm effodi meque cum Chirurgo quodam citissimè ad ejus inspectionem evocari curent. Satis fit illi Mandato omni sedulitate, me quoque acceptô curru & literis, sine mora cum desiderato Chirurgo ad designatum Pagum Schlitten iter ingrediente: Quô demum confectô, effossum cadaver suo adhuc capulo inclusum in Cœmiterio nostro sese offert conspectui, quod igitur in aptiorem locum delatum nobis traditur examinandum. Adsunt Alii stantes à parte vexilliferi Criminisque excusandi gratiâ, prætexentes, Defuncti corpus jam tredecim dies exanimatum, decem verò terrâ obrutum fuisse, unde non potuerit non ipsius substantia putrefieri ac in talem corruptionis devolvi gradum, ut hôc rerum statu Medici certi quid de causa Mortis ex ejus inspectione depromere nequeant; Quibus silere jussis, Alii Defuncti Familiæ magis addicti, sese opponunt,

Præfecti inprimis hanc Excusationem nec planè pro nihilo habentes, nec tamen omninò approbantes, ut Mandato Illustrissimi satis fiat, injungunt ac standum hìc esse judicio Medici & Chirurgi, pronuntiant, quos propterea monent, ut sine Conscientiæ læsione, quicquid sui sit muneris, sedulò exequantur. Cadaver itaque denudatum, exteriùs recenter emortuo haud absimile nobis visum est, nisi quòd abdominis Musculi hinc inde putredinis labe infecti quodammodò conspicerentur. Fœtorem emittebat tolerabilem; In Hypochondrii sinistri regione percussa, Suggillatio magna, abdomen verò valde expansum insignique mole turgidum conspicuum erat; Quô demum incisô, omentum cum intestinis flatibus adhuc haud parùm distensis prosiliebat, quibus in latere dextro remotis, viscera vel subvel iisdem adjacentia quoad colorem, figuram & alias circumstantias à naturali statu vix descíverant, dum contra iisdem intestinis à sinistro hypochondrio dextrum versus revolutis, cuncta extravasato sanguine perfusa videbantur, cujus cruoris fontem ac scaturiginem nobis investigantibus, ipse monstrabat Lien, utpote in cujus parte convexiori duæ notabiles fissuræ altè satis penetrantes & quarum singulis minimus imponi potuisset digitus, deprehendebantur. Nullus ex Præsentibus aderat, qui non ex fortissimo à vexillifero inflicto ictu rupturas hasce Splenis ortum duxisse judicâsset, de quo etiam nulla mihi manebat dubitatio, cùm apud varios alios Autores similes legantur Casus, Excellentissimusque D. Christianus Vaterus Observationem à nostra parùm differentem *Ephemerid Dec. 2. An. 8. Obs. 197. p. 498.* nisi quòd Cadaver, de quo agit, omni suggillationis vestigiô caruerit, cum Erudito communicaverit Orbe, sic, ut labor noster, quanquam in Corpore diu jam humato, haudquaquam fuerit frustraneus, sed ejus beneficiô affatim de causa constiterit Mortis.

Haud adeô felicem in ea detegenda aliô me fuisse tempore, quam huic annecto, palam faciet Historia. Scilicet quartus jam agitur annus, quô tempore æstivô in vicinia hujus urbis ante Præfecturæ Steuerwaldensis pagum Sorsem dictum, inter rusticum & messorem quendam, forsan de rebus nihili, pessimæ oriuntur altercationes; A verbis venitur adverbera, dumque Rusticus alteri cedere coactus fugam meditatur, ob sepimentum transcendendum in illa retardatus, celeriorem sui persecutionem impedire nequit, unde adversarius nactâ hâc occasione, omnem exuens humanitatem, falce, quâ aliàs frumenta demetere solent, illius occiput cæsim petit gravissimôque illa-

illatô vulnere sese dat in fugam. Traditur miserrime sic sauciatus curæ Empirici cujusdam ante Urbem in Monte S. Mauritii tum temporis degentis, qui quid cum eo peregerit, vel quâ ratione vulneris medelam instituerit equidem resciscere haud potui, Rusticum interim tertiâ post acceptam plagam hebdomade, ex hac migrâsse vita, pro certo asserere queo. Tertio post obitum die, hic à propinquis sepelitur & quintô post sepulturam, idem jussu Magistratus Episcopalis effoditur, mittiturque ad me, ut cum Chirurgo Cadaveris lustrandi ergò citò appearem, exploratâque conditione vulneris, de ejus lethalitate fideliter referam. Properavimus igitur circa secundam pomeridianam Cœlô tunc maximè æstuosô existente ad dictum pagum, quem vix intraveramus, cùm teter quidam odor nares graviter feriens de Cadaveris visitandi nos clanculum admoneret conditione, qui eò molestior sentiebatur, quò propinquiores cœmiterio, in quo illud omnium oculis expositum erat, reddebamur, intolerabilis tandem nobis visus, quam primùm illud ingrederemur. Curiositate rei allecta varii generis hominum ibidem conspiciebatur Corona, naribus vel Salviæ, Rutæ vel Hysopi foliis obturatis in Cœmiterio deambulans, aliis Balsamorum illitione, vel etiam Suffimentis ex Thure & similibus fœtorem arcere conantibus, qui tamen maximè prævalens, quamvis sui spernebat emendationem ac tam abominabilis cuilibet, afflabatur, ut potiùs nos ipsos ab omni operatione coërceret. Interim ne nihil non ejus, quod nostri muneris, tentâsse videremur, propiùs ipsum Cadaver nostris lustramus oculis, ipsiusque Caput vidimus planè monstrosum, putridum, nigrum, insigniter tumidum, ita, ut naturalem magnitudinem in triplo ad minimum superaret; In Facie complanata & compressa admodum, vi nasi, oris, vel oculorum apparebat vestigium, cujus deformitatis causam in capulo haud satis profundo ejusque operculo neutiquam concavo, sed plano, non frustra quæsivimus, utpote quæ omnia à Scriniario lucro forsan inhiante majori, nimis compendiosè fabricata, ad continendum tamen Cadaver beneficiô clavorum sibi invicem violenter satis adaptata erant; Quam quoque fortiorem faciei compressionem, ad subitaneam hancce Capitis computrescentiam ac internum Tumorem haud levem præbuisse ansam, firmiter nobis persuasimus. Cæterùm vidimus quidem Vulnus occipiticæsim factum satis grande, immissoquo Specillô utramque Cranii laminam penetravimus; ast fœtor, quali in vita deteriorem me nunquam

quam percepisse testor: ac summa partium putredo nos ab omni ulteriori deterruit labore ; Unde quoque relictô cadavere ad discessum nos paravimus, ac re infectâ, quicquam certi de vulneris lethalitate pronuntiare haud potuimus.

Utrumque Casum in majorem initiò datæ Limitationis elucidationem prolixiùs, quodammodo hic delineare placuit : Sicuti enim in priore vix Medicus excusari potuisset, qui, quòd Cadaver jam perplures dies fuisset humatum, ejus propterea apertionem & visitationem recusasset ; Vera namque mortis causa hôc modô in obscuro mansisset, quam tamen scire Magistratum ad punienda delicta maximi interest ; Sic in Posteriori quis eidem vitio vertet, si ad evitanda pericula propriumque tuendum corpus, quod sanè ab ejusmodi fœtidis effluviis notabilem facilè posset contrahere labem, inspectionis munus haudquaquam aggrediatur, idque eò magis, dum putredinem & corruptionem partium altiùs ita proserpsisse advertit, ut certi quid exinde determinare sit impossibile : Frustra enim omnis instituitur actio, cujus finem ut attingamus, nihil relinquitur spei.

OBSERVATIO VII.

Dn D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI,

De

Arthritide vagâ ex Terrore, intestini verò Procidentia eôdem subitô sanata.

TErroris respectu Sanitatis humanæ incommoda loquuntur tot celebrium Autorum Observationes, ut labore hancce meam communicandi, facilè supersedere potuissem ; Interim quid vetat illis & alias superaddere, quæ, quòd forsan ob has vel illas circumstantias ab iis differant, Lectori haud adeò ingratæ erunt. Paucæ jam effluxêre hebdomades, cum hujus loci quidam Secretarius cum sua conjuge è lecto surgens descendensque de Scala, quæ ad inferioris contignationis ducit hypocaustum, forte fortunâ gradum quendam haud adeò accuratè observat ac gravi propterea lapsu terram versus præcipitatur ; Ex quo ipso tamen parum ei accidit mali, nisi quòd in dextro humero leviter contuso motus, quædam ad nonnullos dies perciperetur impotentia, brevi tamen post illitam aliquoties Aquam Anhal-

haltinam iterum ceſſans. Uxor interim deſcendentem à tergo inſequens maritum, dum labenti præſidium ferre nequit, terrorem lapſu ejus ſibi incuſſum vociferatione & planctu miſerabili teſtatur. Maritus igitur dum ſine notabili noxa ſuum fert lapſum, ejus Uxor tale quod reſpectu ſui terroris de ſe gloriari nequit; Vix enim horæ ſpatium præterlabitur, quô illa dolores in variis corporis membris, potiſſimùm verò in dorſo & lumbis ſentire incipit; Accedit motus pedum impotentia, ſæpiùsque mutatur Morbi Scena ita, ut dolores, qui hanc jam invadebant partem, paulò poſt in alias transferrentur, ſopitisque pedum cruciatibus illicò ſcapulæ afficerentur & his demum tranquillis alia iterùm membra iidem occuparentur, noctu magis quàm interdiu ſævientes. Verbô ut me expediam, Sale ſcorbutico præcedentem terrorem magis commotô & ſui juris factô, Arthritidi vagæ, quam cum nonnullis Neotericis Spaſmorum Scorbuticorum nomine ſatis commodè exprimi poſſe puto, feneſtræ erant apertæ, quâ quoque dicta Ægrota per plures dies vehementer affligebatur, tandem convenientibus Remediis: quæ inter Cinnabarina cum pulvere Lumbricorum terreſtrium & tantillo Opii maritata, omnibus aliis palmam præripiebant, abhocce malo feliciter liberata.

Cæterùm Terrorem in dicta Muliere tam nocivum præter opinionem in aliis admodum proficuum fuiſſe, uti paſſim in hiſce Ephemerid. & alibi legitur, ſic Obſervatio, quam quidem non ex propria Praxi, ſed Relatione Viri cujusdam Reverendiſſimi fide maximè digni trado, affatim teſtatur. Vocatus quondam D. Rottendorffius Medicus Scriptis & Famâ apud Poſteros adhuc ſatis celebris ad Celſiſſimum quendam Epiſcopum, procidentiâ ani eundem deprehendit miſerè afflictum, contra quem morbum Balneum ex Limacibus Cœlô pluviosô in hortis repentibus cum ſufficienti Aquæ quantitate Referendiſſimus Epiſcopus inſigne ſentit levamen prolapſumque inteſtinum facilè poſtea reponitur. Præſcriptô tunc idoneô vitæ regimine non neglectis iis, quæ Ani relapſum præcavere poſſunt, laudatus Medicus ad ſuos revertitur. Poſt ſemeſtre tempus Reverendiſſimô Epiſcopô, neſcio ex qua cauſa eôdem correptô malô Rottendorffii opera denuò imploratur, qui quoque ſine mora ſeſe ſiſtens, locum inſpicit affectum, ac non tantùm ultra modum inteſtinum prolapſum, verùm etiam ejusdem ad præternaturalem quandam duritiem & inflammationem obſervat diſpoſitionem. Admoti tunc con-

venientis cujusdam Epithematis ope, Symptomatibus his mitigatis, Sellam inversam in medio conclavis collocat, Celsissimumque, Ægrotum denudatis clunibus ipsi ita imponi jubet, ut intestinum propendens suo semper pateat conspectui; Obtemperatur sedulò, dum interim laudatus Medicus extra conclave ferrum candefactum clanculum sibi tradi curat, cujus alteram extremitatem variis linteis obvolutam manibus tenens, hypocaustum denuò intrat ac concitatô gradu rectà ad Posteriora Ægroti tendit; Qui conterritus hôcce spectaculô, quid ferrô candenti intendat? dum quærit, regerit Rottendorffius, necesse esse, ut illud ejus ano intrudat: Simulante igitur hôc, ac si jam dicta exequi vellet, Reverendissimus adhuc magis obstupescens hisce verbis; Du solt dir den Hencker thun / subitò subsultat, caligasque attollendo dum contra atrox hocce Remedii genus sese defendere annititur præter omnem expectationem intestinum ad locum suum naturalem omninò retrocessisse deprehenditur, egregiô, exemplo & Terrorem tempestivè excitatum inter proficua Remedia suum nonnunquam sibi vendicare locum, Cujus Observationis fidem eò minùs suspectam credo, quò magis eandem contra Rationem haudquaquam pugnare, imò forsan aliàs ante Rottendorffii tempora similem per Terrorem medendi methodum cum fructu adhibitam fuisse, novi, quam vivis quasi coloribus Rodericus à Castro *Tract. de Morb. Mulier. Lib. 2. Sect. 2. Cap. 16. p. m. 266. seq.* depictam refert: Præstat (sunt ejus verba, digna sanè, quæ huic inserantur loco,*) Cauterium actuale ignitum (loquitur autem de Uteri Prolapsi reductione) manu ostentare, ac simulet Medicus vel Obstetrix velle partem tangere; ita enim Natura retrahitur & cum ea Uterus ipse, aut pars aliqua, si quæ sit, quæ extra promineat, aut rectum intestinum, aut alia. Vel, si mulier timidiuscula sit, vivi mures filô ligati cruribus repentè submittantur. Scribit porrò, retulisse sibi quondam Andream Valcacerum, Chirurgiæ in Academia Salmanticensi Professorem, Vulnus quendam in ventre accepisse, per quod intestina egrediebantur; quæ ut reducerentur in suam sedem, nullum aliud Medicamentum profuisse, quàm candens ferramentum magnum, quod coram Patiente gestans vulneri se applicaturum finxerit ejusque rei subitô terrore è vestigio intestina in suum locum reducta fuisse. An igitur prædictus Rottendorffius Rodericum à Castro imitatus fuerit, an verô ex proprio invento (fuit enim Medicus ingeniosissimus,) in hancce juvandi inciderit Methodum, pro certô equidem asserere

non

no audeo, qui interim, cùm plures Testes plus probent, quàm unus, in majorem utriusque fidem ac ad summam Terroris in corpora nostra efficaciam ostendendam oblivione hæcce sepeliri, admittere nolui.

OBSERVATIO IIX.

Dn. D. JOANNIS PETRI ALBRECHTI,

De

Indiciis ex Pulsu desumptis nonnunquam fallacissimis.

QUicquid etiam Tsinenses de infallibili quasi ex Pulsu quasvis Corporis humani infirmitates cognoscendi glorientur certitudine, facimus tamen cum illis, qui eorum peritiam in hoc negotio admodum lubricô niti fundamentô asserunt, imò maximam partem Doctrinæ eorum de Pulsibus tanquam nugatoriam & vanarum pollicitationum plenam, floccipendunt, præprimis verò inculcantes, antequam quis de Ægrotorum pulsu aliquod ferat judicium, optimè examinandum esse, an etiam is ipsis sit naturalis ac in rectà eorum valetudine idem deprehendatur? In quo, uti aliàs sæpius Medicos deceptos esse passim legitur, sic de me ipso testari possum, notârunt-que id non pauci haud sine admiratione, quanquam utriusque carpi Arteriæ haud adeô profundè jaceant, pulsusque exactè satis â Medicis applicatis digitis cognosci queat, eundem tamen mihi quoad vires & corporis actiones satis robusto à prima juventute ad hoc usque tempus debilissimum & celeriorem constanter fuisse, ita ut illi, qui extra Professionem Medicam viventes artem pulsus explorandi haud ita callent, sæpiùs eundem percipere non potuerint, deceptique hôc modô, arterias meas plane pulsante destitutas esse motu putarint. Aliter quodammodò se res habet cum quadam hujus loci Virginum Religiosarum Superiore quam Dominam Nostrates vocant; Ad eam viginti quatuor abhinc annis primâ vice accersitus in Febre ardentissima, quâ tum temporis detinebatur, cùm utriusque Manus attigissem Pulsum eundemque satis robustum & æqualem, imò ratione celeritatis naturali simillimum deprehendissem, Bonô animô sitis, erga Adstantes dicebam; Neque enim præsente tali Pulsu aliquid mali metuendum. Ad quæ una ex cœtu regerebat; Cave, Domine, ne falacissimum in nostra Domina Tibi imponat signum,

upote, quæ hoc, uti cuncti Medici, quorum operâ antea sæpiùs usa est, unanimiter confessi sunt, præ cæteris habet singulare, quòd in Morbis acutis pulsus pristinæ indolis ac satis sanus constanter ipsi maneat. Neque falsa mihi narrata esse in ipso Morbi expertus sum decursu: Etiamsi enim nostra Ægrota ingenti premeretur æstu, siccitasque oris ac faucium, Vigiliæ, Deliria & Convulsiones morbum comitarentur, pulsus tamen nulla unquam observabatur notabilis mutatio, quinimò, quemadmodum Febris ardentis tempore à naturali ac sanò haudquaquam declinabat, sic devictô morbô recuperatâque Sanitate ejusdem ab illo, quem corpore adhuc ægrotante adverteram, aliqualem differentiam nullatenus annotare licuit. Sic aliis temporibus variis Febrium generibus, imò ante biennium Pleuritide exquisitâ eandem Dominam laborâsse recordor, in quibus morbis Pulsum semper antiquum obtinuisse, neque ratione tarditatis, celeritatis, vel aliarum circumstantiarum notabilem unquam præ se tulisse varietatem, plures mecum testabuntur ejus Ordinis Religiosæ, quæ tunc ipsi fuerunt præsentes. Ex quibus apparet, quàm cautè, si ex pulsibus aliquid certi prædicere velimus, sit procedendum; Uti enim in Priori Casu, quem de me ipso retuli, facilè Medico Subjecti, quod præ manibus habet, sufficienti cognitione destituto, vanus & panicus planè incuti posset terror, ita, ut ex timore periculum præsagiat, ubi nihil minus adest, ac omnia potiùs sunt in vado; Sic in posteriori eidem cuncta omnis discriminis expertia videri, haudque leves consequenter in ipsa curatione committi posse errores, quis non videt? Apparet exhisce, inquam, quàm malè sibi consulant Ægroti, qui Vertumnô mutabiliores ab ordinariis & iis, quibus ex longa Praxi ipsorum Complexio nota & cognita est, sine ulla causa ad alios transeunt Medicos; De qua Materia, cùm in *Idea Medici Consultantis*, quam propediem prelo submittendi animus est, prolixiùs acturus sim, hic loci nihil addo interim unicum hoc silentio præterire nequeo, idem, quod à Tulpio, Claudero nonnunquam passim observatum legi, & mihi aliquando in Reverendo quodam Patre Soc. JESU (cui, ni fallor, cognomen erat Schrencken) obvenisse: Cùm enim ad eum auxilii in quodam morbo ferendi gratiâ accersitus, pulsum attingerem, in utraque manu nullum ejus apparuit vestigium; Attonitus, hærens ejus causam ex me quærentibus aliis adstantibus Patribus, aperui eam fideliter, hominemque absque ullo me invenisse Pulsu dixi; Ad quæ subri-

subridentes illi referebant, operam & oleum me perditurum esse, si in hoc individuo Pulsus explorandi gratiâ interioris Carpi quærerem Arterias, quas singulari Naturæ lusu in exteriori & opposita manus parte inter pollicem & indicem collocatas ac fortiter satis pulsantes me deprehensurum esse affirmabant. Monstratâ sic viâ illas facilè detexi, ac ex iis æquè bene ea didici, quæ scitu mihi necessaria erant, ac si in naturali loco situm habuissent. Cæterùm, qui plura de Pulsuum insigni nonnunquam fallacia scire avet, consulat L. Bellini Tract. de Puls. *p. m. 73.* Excellentiss. Pechlini *Libr. 2. Obs. Phys. Med. 5. p. 209. seq.* Boneti Labyr. Med. extric. *p. 22. §. 62. seq.* Tulpij Observ. Med. *Libr. 3. cap. 45.* David von Hoogstraten Dissert. Epist. de hodierno Medicinæ Statu *pag. 21.* Excell. Viti Riedlini Lin. Med. passim. Sempronium Gracchum aliosque.

OBSERVATIO IX.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De

Ipecacuanha, famoso illo contra Dysenteriam specifico.

QUanquam laudem omninò mereantur illi, qui pretiosis Exoticis domestica, præsertim si easdem possideant vires ac morbis edoma dis æquè sufficientia existant, præponunt remedia, atque hôc modô sumptibus frustrà aliàs ab Ægrotis impendendis, haud parum consulunt; Nunquam tamen illorum mihi adeò arrisit opinio, qui proscriptis planè cunctis peregrinis ex suis Pharmacopoliis solis freti domesticis, cujusvis morbi tentant Sanationem, omne id, quicquid ex aliis affertur Terris, contemptim exsibilantes, cùm tamen sciam tales ipsos nonnunquam in quibusdam morbis solis domesticis oleum & operam perdentes, ut Laureolam tandem ex hac vel illa curatione obtinerent, nolentes volentes ad Exotica, e. g. in Febribus Quartanis ad Corticem Peruvianum, refugium suum sumpsisse. Maneat igitur utrisque sua Laus, maneat, inquam libertas tamdiu hisce utendi, donec materiæ medicæ domesticæ nondum satis exhaustæ, Plantarumque præ cæteris vires in occulto maximam partem adhuc jacentes, Curiosorum indagatione ulteriori feliciùs detectæ sint, ita, ut pretiosioribus ex Indiis & aliis Regionibus ad nos pervenientibus, carere

queamus Remediis. Egregiè sanè uti contra Exoticorum Osores scripsit Excellent. D. Mich. Bern. Valentini *Tract. de Polychrest. Exot. in Præfat.* Sic inter alia, quorum ab Exteris nobis communicatorum ventilationem eruditè satis ibidem instituit, Radicis quoque Ipecacuanhæ *l. c. Disp. 2. p. 15. seq.* historiam & vires doctissimè exponit. Quamvis autem ratione ejusdem Medicaminis & Guilielmo Pisoni, & Viro Perillustri Dno. Leibnitzio, nec non Dno. Helvetio juniori, Practico felicissimo (cui pro singulari affectu, quô nonnullis abhinc annis Lutetiæ Parisiorum Filium meum excepit, multum me obstrictum hîc loci profiteor) plura debeamus, nescio tamen, qui fiat, quòd in ejusmodi Peregrinorum exhibitione utplurimùm simus timidiores, neque facilè, nisi eorum virtute in aliis satis probatâ, ex illis salutem quæramus. Saltem de me ipso hoc testari possum, qui experientiâ propriâ de Radice hacce Brasilienst destitutus, diu tergiversatus sum, antequam apud meos eam in usum vocarem Ægrotos. Tandem verò præterlapsi Seculi Annô penultimô id, cujus periculum in aliis facere nondum ausus eram, in me ipso experiendi obtulit sese occasio. Sub declinatione enim Æstatis ac Autumnalis temporis appropinquatione, posteaquam præter morem ac consuetudinem (Fructibus enim horariis parùm delector) aliquoties Nuces degustaveram avellanas, abdomen satis irrequietum sentio, continuis fermè per aliquot dies Borborygmis, Adstantibus etiam molestis, id vexantibus: Quorum rationem variis obrutus negotiis, haud adeò exactè habens propriamque, dum Aliorum saluti invigilo, negligens, tandem lancinantibus & acutis intestinorum corripior doloribus, iisque circa mediam noctem ex somno expergefactus, ad alvum deponendam quandam sentio stimulationem in Diarrhæam primò, exquisitam verò postea Dysenteriam desinentem: Spatiô namque 24. horarum quinquaginta & plures habui Dejectiones easque cruentas omninò, præcedentibus quamlibet intensissimis circa umbilicum cruciatibus, æstu quoque febrili, siccitate oris & aliis Symptomatibus morbum comitantibus. Lecto hôc modô affixus, præmissô Rhabarbarinô, & usurpatâ postea Potione ex Diascordio ac aliis Appropriatis nihil fermè sensi levaminis, quin potiùs morbô incrementum capiente, viribus verò ob continuas dejectiones mirum in modum decrescentibus, vix effugissem periculum, nisi bonis avibus ad Ipecacuanhæ usum transitum feciſſem. Quartô scilicet morbi die manè circa septimam, ejus scrupulum unum in cerevisia calida hausi, unde mox obortâ nauseâ ac singulari ad vo-

mea-

mendum propensione, quinquies serosum quendam ac amarulentum per os reieci humorem. Cruentum alvi profluvium illô die cum insigni corporis debilitatione continuavit, nox valde irrequieta insecuta est, cum somno turbulento ac æstu membra admodum exurente. Sequentis diei tempore matutinô, dicti pulveris grana viginti quinque assumsi cum simili quoad vomitum effectu. Interea ab hoc tempore melior valetudini adspirare cœpit aura, ventriculô in prandio jusculum ex hordeo decorticato avidiùs appetente ac quibusvis Symptomatibus à pristino furore multùm remittentibus. Tempore pomeridianô bis saltem alvus ad sui depositionem absque torminibus, nocte verò ne semel quidem sollicitata est, quam quoque placidô fruens somnô transegi. Nihilominùs insequenti Luce tertiâ vice dictâ Ipecacuanhæ usus sum dosi, cujus beneficiô denuò plurimis amarulentis ex corpore deturbatis, omnia postmodum meliorem haud frustrà promittere videbantur valetudinem, quam quoque, DEO sit Laus, tam firmam obtinui, ut integris viribus in hunc usque diem quam plurimis præesse potuerim Ægrotis; neque recordor. ullam ex usu memoratæ Radicis mihi remansisse molestiam, nisi quòd post tertiæ doseos assumtionem, in quartum usque diem, contumaciissimâ alvi detentus fuerim constipatione atque induratas fæces emolliendas Olei Amygdalini & aliorum opus habuerim usu, quorum ope & hoc tandem, quicquid fuit incommodi, feliciter superavi. Quemadmodùm igitur Medicina hæcce exotica mihi ipsi in Dysenteria ex Diætæ erroribus enata (alios enim illô tempore nec in urbe nec extra eam hôc morbô decubuisse non memini) optimo fuit auxilio; sic Æstate præteriti anni, quâ epidemicè magis in plures mortales sæviebat, propriô audacior redditus exemplô, in Aliis quoque ejus vires exploravi, ast non semper eôdem successu: Nonnullos quidem à molestissimo malo dysenterico citô ejus usu liberatos esse, alios interim, vi morbi medicaminis efficaciam omninô spernente, nihilominus occubuisse, eventus docuit. Ante omnia verò notavi, illis, quibus primis statim morbi diebus Radix nostra fuit propinata, certiùs omninò exindè obtigisse auxilium, quàm Aliis diuturnitate ejus magis enervatis, qui vel rarò aliquod, vel plane inde nullum sensêre levamen, vel etiam si quid commodi ex ea perciperent, illud momentaneum valde fuisse, morbô mox pristinam induente indolem ac longè alia requirente administricula, quibus ejus edomari posset ferocia; Ad quem tamen scopum attingendum quàm tædiosâ temporis nonnunquam opus fuerit morâ,

vix

vix exprimere possum, qui longè citiùs absque exhibitione hujus Specifici me eundem assequi potuisse, parum abest, quin planè mihi persuadeam. Imò & hoc minimè reticendum, verissimum me id advertisse, quod quoque supra laudatus Valentini *l. c. C. 4 p. 26.* fideliter inculcat, mali nimirum ominis rem esse, si post usum hujus Radicis nec anxietas, nec vomitus, nec nausea, nec sedes sequantur Ægrumque tunc ut plurimùm perire. Sicuti autem observavi, id ut plurimum tum contingere, cùm Radix in augmento, vel potiùs statu morbi exhibetur, sic nullô tunc insequente vomitu &c. paulò post sudorem frigidum faciei & artuum mortem ante fores prædixisse comperi: Ex quibus igitur hactenus didici, hujus Exotici in Dysenteria effectum haud adeò certum esse, ac Corticis Peruviani in Febribus intermittentibus, initiòque statim morbi, nisi ancipiti eventu medicari velimus, ejus usum instituendum esse, habitâ simul optimâ virium ratione. Uti verò ex plurimis Observationibus innotuit, Corticem de Peru non saltem in febribus, sed multis aliis morbis periodicis, imò in Affectu hypochondriaco, Lumbricis intestinorum & similibus corporis infirmitatibus egregiam conferre operam; Ita & Ipecacuanham præter ejus virtutem Antidysentericam in variis Febrium generibus, præcipuè si diarrhæam habeant comitem, suô haud carere fructu, uti ab Aliis jam annotatum legitur, sic haud ita pridem in pertinaci Fluore albo, quâ Fœmina quædam nullam ex aliis Medicamentis persentiscens opem, diu enervata erat, tres ejusdem doses me suasore exhibitas, optimè profuisse testari possum, similibus in casibus, ut hujus operationis certior fiam, id imposterum tentaturus.

OBSERVATIO X.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De

Dentium ex Tabaci secundùm Neotericorum inventum, fumatione insigni læsione.

NOvum Modum fumandi Tabacum, Excellentissimus Dominus D. Joh. Jac. Franc. Vicarius *Ephem. Dec. 2. An. 8. Obs. 27.* erudito communicavit Orbi, qui sanè ob rationes prægnantes l. c. additas proficuus satis videtur, ita, ut Nobilissimus Autor ingenioso hujus inventi ergò laudem omninò mereatur. Interim haud ægrè feret, dum

dum in illorum gratiam, qui fortè hocce novô Tabacum haurienda delectantur modô, peregrinum aliquem effectum, quem tum in me ipso, tum in nonnullis aliis expertus sum, ob oculos pono. Haud equidem illis me annumerari velim, qui Nicotianæ fumô satiari nequeunt; sed fistulâ ori admotâ maximam temporis transigunt partem; Neutiquam interim inficior, ab illis Annis, quibus ad medicam me applicui Praxin ac cum pluribus morbis contagiosis mihi res fuit, contra has præservationis ergò me dicto fumo ita assueviſſe, ut finitis visitationibus Ægrotorum domum revertens, ad Ptyalismum excitandum & salivæ miasmatibus forsan imprægnatæ morbosis excretionem promovendam Tabaci aliquali usu, tanquam remediô præservatorió minimè contemnendô me munire soleam. Quamprimùm igitur laudati Autoris curiosam de nova & proficua fumandi Methodo Miscell. curiosis insertam observationem legebam, hæc sanè rationi valde congrua mihi arridebat, ita, ut nonnisi secundùm ejus normam per spongiam scilicet acetô imprægnandam fumum haurirem: Mense verò vix exactô, quô nimirum hôc modô haud sine delectatione proceſſeram, acutâ corripior Odontalgiâ vix ullô remediô pacabili, quam cùm in plurimis Nicotianæ fumô haud rarò assopitam noscerem, post ejus tamen usum prædictâ Methodô institutum, magis magisque exacerbari deprehendi. Post vehementes demùm dentium, penultimi molaris præprimis in maxilla inferiori, cruciatus hujus versus dextram siti, insignem adverto erosionem, qui, dum magis magisque excavatur, intolerabiles mihi peperit dolores, nullis remediis (Evulsionem enim cane pejus & angue reformidabam) nisi soli cauterio actuali tandem cedentes, utpote quô non tantùm his finem feliciter imponebam, sed & ipsius cariei progressum efficaciſſimè ita inhibebam, ut ab illo tempore respectu dentium, ab omnibus molestiis liber permanserim. Accuratè igitur ponderatis cunctis, quæ Odontalgiam illam cariemque dentis in me causari potuerint, prægnantes adfuêre rationes conjecturandi, potiorem causam vaporibus acidis, (quorum saporem quilibet hôc modô Tabacum fumans haud obscurè deprehendit) cum hujus Exhalationibus simul ori sese insinuantibus dentibusque forsan haud parum nocivis, tribuendum esse: Quàm probabilis autem hæcce etiam visa fuerit conjectura, nolui tamen fidem omninò ipsi adhibere, nisi in nonnullis Aliis eôdem modô Nicotianam fumantibus similem plane vidiſſem effectum; Cujus propterea mentionem hoc loci facere volui, gloriam suam interim

ipsi invento ejusque Nobilissimo Autori relinquens dignissimam, existimansque, nisi respectu dentium memorata exinde m tuenda esset noxa, suppeditatam novam fumandi methodum Tabacophilis ut utilem valde, sic quoque longe gratiorem futuram.

OBSERVATIO XI.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De

Insectorum Ovis sine prævia maris cum fœmella conjunctione nihilominus nonnunquam fœcundis.

OVà, quæ vocant subventanea, sterilia esse, neque pullos ex iis excludi, vel propterea hactenus omnes unanimiter statuerunt, quod, quanquam in Ovo omnium omninò partium rudimenta contineantur, necessarius tamen cum eo masculini seminis sit contactus, utpote cujus beneficiò illa in actum deducantur, ac talem novi motus acquirant impressionem, quæ à solo mare in fœminam amplexus tempore transfunditur, & sine qua ova neutiquam dici queunt fœcunda. An in quovis Animantium genere semper hæc ita se habeant, in medio relinquo; Neque enim in re tam ardua, ubi recta quidem Ratio in affirmativam inclinat, Experimenta interim de singulis tot viventium Creaturarum speciebus sumere, haud ulli datum est, certi quid asserere ausim, præsertim cum nec apud Autores, qui de Generationis Negotio suas hactenus communicârunt Meditationes, contrariæ Sententiæ multa invenire liceat testimonia. Scripsit interim paucis abhinc Annis Ingeniosissimus D. Stephanus Blancardus ad Celeberrimum D. Joh. Lud. Hannemannum (quorum utrumque tanquam Amicum sincerum & optimum colo venerorque) se possidere Araneam, quæ quatuor annis peperit ova, ex quibus iterum araneæ sunt productæ: Se tamen posse affirmare, quòd nullus masculus adfuerit, semper tamen procreatæ sint araneæ &c. Uti hoc prostat Ephem. *An. 3. Dec. 3. Obs. 55. p. 65.* Oppidò sanè rara legenti mihi visa sunt talia, præcipuè cùm rationem locò citatò additam esse, nimirum omnia insecta Hermaphroditas & utriusque Sexus haud potuerim comprehendere; scrupulusque constanter hactenus animo inhæserit, etiamsi animal quoddam sit hermaphroditicum genitalibusque instructum utriusque Sexus, haud tamen hinc aptum videri, ut in sei-

se ipsum pro lubitu agat ac ea exerceat, quæ tam à mare, quàm fœmella ad congressum & fœcundationem requiruntur; Quanquam Clarissimum Hannemannum, prout l. c. aliquatenus promisit, hunc nodum doctè & pro more suo, aliquando fore soluturum, nulla mihi sit dubitatio. Uti verò & ipsi Blancardianæ de Araneis Observationi fidem denegandi haud est animus, sic, quò minùs id fiat, sequentia me impellunt. Ante tres circiter Annos, sub finem Junii, dum in horto meo intra mœnia hujus urbis sito, obambulo, fortè fortunâ Chrysalidum (uti ita erucas prima vice in ovale ut plurimùm vel similis figuræ corpus transformatas appellare solent) quædam species è foliis Ribesiorum propendens, meo sese offerebat conspectui, colore fusca ac quoad magnitudinem haudquaquam inter minores referenda. Ego, ut viderem, quale aliquando exinde proveniret animalculum, eandem sub vitro in Ædibus ejusdem horti abscondidi. Circa finem Julii ejusdem Anni prodiit Papilio formosus ex albo flavescens, hirsutus quodammodò & satis magnus, similis fermè illi, quem curiosus ille quondam Medioburgensium Pictor Joh. Goedartus *Hist Nat. insect. Part. 1. Experim. 33.* delineat, nisi quod noster illum magnitudine longè superaret. Accuratè eum sub eodem servavi vitro, ita, ut nullius animalculi consortiô frui posset. Præteritis aliquot diebus copiosissimè edidit ova, quô factô paulatim tabidus factus vitâque exutus est. Cùm masculum huic Papilioni haud adfuisse certus essem & propterea ejus Ova subventanea ac sterilia esse judicarem, vix ampliùs eorum habui rationem, relictis interim iisdem oscitantiùs & sine omni cura sub dicto vitro per totum tempus hyemale. Ast præter opinionem rem aliter cecidisse, ultimi fermè Aprilis insequentis Anni comprobavêre dies, quô tempore forsan post varios labores Ægrotorum ergò exantlatos, ad aliqualem in Horto tum Animi, tum Corporis quærendam quietem, jucunda veris me invitaverat aura. Properans igitur ad ædium conclave, in quo Ova sub vitro antecedenti asservaveram annô, hoc in eodem adhuc situ deprehendi; Ad ipsa verò Ova oculorum vertens aciem, non quidem illa, sed eorum locô minutissimas erucas intensâ conspicuas nigredine huc illucve repentes observavi, quæ postea Microscopiô lustratæ, hirsutæ, & quoad omnes partes satis perfectæ conspiciebantur. Frustrà equidem iis alimentum quæsivi, cùm, quodquod etiam ex diversis plantis, fruticibus, vel arboribus apponerem, nullum tamen ad eorum videretur esse palatum; Unde quoque decenti suô caren-

tes papulô brevi expirârunt, hoc saltem attestantes, insectorum O va sine masculi cum fœmella edita conjunctione non semper existere sterilia.

OBSERVATIO XII.

Dn. D. JOHANNIS PETRI ALBRECHTI.

De

Iridis Solaris in planitie Terræ conspectæ nonnullis Phænomenis.

IRidem Solarem in Terris nonnunquam visam præ cæteris testantur Jacobus Rohault *Tract. Phys. Part. 3. cap. 17. § 31. 32.* & Excell. D. Christianus Mentzelius *Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. An. 5. Obs. 134.* ubi de illa in prato quodam figurâ hyperbolicâ conspecta agit, cujus Figuræ insolitæ rationem à Doctissimo Mathemetico Dn. Jacobo Bernoulli, uti ibidem *An. 8. Obs 144* explicatam legere licet, sic inter alias Quæstiones, quas laudatus Mentzelius occasione iridis à se notatæ movet, & hæc *p. 276.* habetur, anne scilicet Iris Parabolica, vel Circulari formâ in planitie terræ se exhibere queat? Ratione illius experientiâ destitutus, nil certi affirmare possum; Ratione hujus verò, Iridis nimirum Circulari figurâ præditæ; quod Dn. Mentzelio hactenus observare nondum contigit, id fortè fortuna die quintô Julii, Anni præcedentis Oculis meis obviam factum esse, hisce testari possum. Erat scilicet ipsa illa dies, quæ Civibus hujus loci quotannis Exercitij jaculatorij ergò solet esse solennis, cui Cœlô admodum serenô existente usque ad secundam Pomeridianam optima favebat tempestas, quô tempore Favonius subitò invalescens, superioremque aëris regionem nubibus undiquaque obducens, eandem præter jaculatorum spem, utpote quibus illô die serenitate Cœli nil gratius esse potest, turbidam ac pluviosam minitari videbatur. Neque vanas hasce fuisse minas, eventus docuit: Præterlapsô enim vix horæ spatiô, assiduos habebamus imbres, qui in magna copia ad sesquihoram defluxêre, ubi versus Occasum serenitate gratiori apparente, Solis lumen crassiores nubes dissipare radiisque suis Horizontem illuminare iterùm cœpit, continuante interim ad notabile tempus in verticali nobis Cœli parte pluviæ quasi stillicidiô. Commorabar tunc in ædibus Horti mei delectationis gratia exstructis cum nonnullis Amicis, & ecce! dum præ fenestra stans oculos versus terram varii generis Arboribus consitam

verto,

verto, Iridem admirandâ & solitâ colorum varietate satis speciosam semicirculi figuram accuratè referentem, conspicio; Jucundum sanè spectaculum erat, videre elegantissimum huncce arcum in terris, quem aliàs non nisi Cœlum versus attollendo oculos cernere licet; Neque fermè dubito, nisi excelsus à tergo murus obstitisset, deficientem Semicirculum æquè ac illum quem terra monstrabat, Iridemque sic completam rotundam à nobis visam fuisse. Exornavit dicta Iris Horti nostri planitiem ultra quadrantem horæ, quamdiu scilicet tenuis continuabat pluvia, quâ desinente cœloque post dissipatas nubes magis serenô iterùm existente, paulatim colorum varietatem exuebat, relictâ saltem ad tempus obscurâ quâdam flavedine, quæ ipsa tamen conspectui nostro paulò post se subduxit. Cæterùm notum est, Neotericos Physicos statuere, quòd duo homines unam eademque Iridem nunquam videant; Quia enim guttulæ imbrium coloratæ sub certo angulo circa axem visionis conspiciuntur, duobus verò hominibus differentes illi axes offeratur Iris: Quæ omnia uti prolixiùs explicat supra laudatus Rohaultius *l. c. §. 21.* Sic veritatem hujus asserti, nostra Iris egregiè ac oculariter planè confirmavit: Cùm enim loca huic confinia bene notâssem, (id quod ob præsentes Horti Arbores commodè fieri poterat) quoties ad unum vel alterum passum progrediebar, toties, prout gressum vel sinistrorsum, vel dextrorsum, vel aliter feceram, in alio loco Arcus noster conspiciendum se offerebat, qui tamen repetitâ priori statione pristinum iterùm occupâsse spatium deprehendebatur. Haud sine admiratione plures mecum idem viderunt Amici, evidenti & oculari hâcce demonstratione satis convicti, quòd Iridem quisque peculiarem intueatur.

[*Hildesiâ Augustam Vind. d. 11. Januar. A. 1701. missæ.*]

OBSERVATIO XIII.

Dn. D. JOHANNIS CASPARI GRIMMII

De

Delirio jocoso & ridiculo, ex nimio abusu Spiritus frumenti compositi.

ANnô 1700. Mense Septembris, Rhedarius quidam, mediæ ætatis vir, luxuriei, & imprimis Baccho, à multis retrò annis deditus, epotavit intra quatuor horarum spatium cum alio Compotatore insigni,

libras tres Spiritus frumenti compositi seu Aquæ vitæ; Quô factô Hercules iste in potando, abituriens procumbit humi, omnibus sensibus prorsus destitutus, & cùm hunc strenuum potatorem nemo præteriverit ob noctem ingruentem, pernoctavit ibidem subdiô quasi semi-mortuus: Manè expergefactus, domum redeundo, hunc ipsum domestici observârunt in summo caloris æstu, cum vomitu insigni, quare vocatus, ipsius pulsum deprehendi valdè robustum cum insigni spirituum ataxia, hinc venam in brachio secandam curavi, ipse autem potator erat ferè citra omnem rationis usum. Alterô die erat vestibus indutus, hinc inde in hypocausto oberrando saltabat, monetas in arena dispersas digitis quærebat, Crumenisecas in domo ipsius reconditos, uti sibi imaginabatur, maxima cum industria investigabat, tibiis canendo & semper jocosa proferendo cachinnabatur, imò quod maximum, tempore maximè pluvioso excurrebat per plateam, & tanti erat roboris, ut ipsum tres viri aliàs quadrati & robustissimi, domum reportare vix valuerint, lectum petere nolebat, quod inibi exerceretur actus venereus à duobus personis sibi notissimis, hinc sæpissimè digitis monstrabat, an nemo videret, quid in ipsius lecto ageretur. Phœnomena hæc delira continuavêre per integrum quatriduum, dies noctesq; sine omni somno ac quiete; Intra 14. tamen dierum spatium pristinæ sanitati plenariè restitutus fuit, per venæsectionem ter in largiore quantitate institutam, & per Medicamenta nitrata in majori dosi exhibita pro orgasmo sanguinis enormiore compescendo.

[*Lipsiâ Augustam Vind. die 14. Jan. 1701. missa.*]

OBSERVATIO XIV.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Curiositate Silesiaca.

TEmpore Majali plures dari homines, qui cum butyro & pane tenellas herbas, utpotè rutam, absinthium, lupulum, matricariam & plures alias miscent, locoq; præservativi matutinis horis comedunt, notum est in nostris oris, & ni fallor, etiam alibi. Hoc autem aliquid novi est, quod subjungo: Quidam nostrorum Nobilium loco harum herbarum assumunt sementem, die Saat, & instar præservativi æstimant. Est aliquis, qui singulis fermè septimanis novum

vum semen jubet spargere in certam aream huic rei destinatam, ut eò diutius sementem habere queat ad continuum usum. Annon aliquid vani subsit, hæreo; mundus regitur opinionibus. Quoad nutritionem aliquid concedendum esse, non diffiterer, si nempe nimis curiosi esse vellemus, utpote, quia in semente principium secalis, & consequenter panis latet: ubi autem præservatio à morbis in semente hæreat, non capio.

SCHOLIUM.

QUamvis aliquid vanitatis hîc subesse, cum Nob. Dn. Authore mihi persuadeam, primo tamen isti secalis germini medica virtus denegari nequit; à quacunque demum causa arcessere illam debeamus. Siquis crudiores in eo contentas particulas, dum ventriculo ingeruntur, fermentationem aliqualem subire, atque ita viscidiores ibidem alibique in corpore latitantes humores una commovere, alterare atque educere dixerit, fortasse non erraverit. Quin & nephritico adfectui obnoxiis, ab eadem fortè causa, præservandi auxilium illud suppeditare, experimento Clar. *D. Baldass. Timæi à Guldenklee* constat, qui secretum suum, præter anserinæ, etiam secalis succum suum esse, in *epist. & consil. med. lib. 3. epist. 32.* innuit, quem videlicet nomine Lecases per literarum transpositionem occultat. Aquam etiam ex adolescente secalino gramine in B. M. destillari, inque hepatis, renum & vesicæ intemperie calida, calculoq; pellendo efficacem deprædicari, *Jac. Theodorus Tabernemontanus in herbario suo* memorat; ut taceam, apud eundem embamma, ex ejusdem graminis succo, aliisq; rebus paratum, adpetitui excitando dicatum produci.

[*Luc. Schrœck.*]

OBSERVATIO XV.

DN. D. SAMUELIS LEDELII.

Ex Germinatione nuclei è malo, in ventriculo, mors.

VUlgatum dicterium est: nihil dicitur, quod non prius fuerit dictum, idem dicit & mea observatio, mutatis tamen aliquantulùm circumstantiis. Observatio 9. Decur. 1. Anni 3. meminit è Kirchero, arundinis, in fundo stomachi Elephanti radicati, in folia efflorescentis; Item Rustici, tria prunorum ossicula nucleis recluſis germinantia, vomitorio dato, ejicientis. His addo hoc: Thomæ Hunnen-

nenbergers, Pastoris in Königswalda Soror, diu ægrotaverat, variis nil juvantibus Medicamentis. Post obitum aperto cadavere, in ventriculo Nucleus mali repertus & visus, qui germen ad digiti longitudinem protruserat. Lehmann im Schauplatz des Meißnischen Ober-Ertz-Gebürges / pag. 938.

[*Missæ Grunberga Silesiorum Norimbergam d. 22 Jan. 1701.*]

OBSERVATIO XVI.

Dn. D JOSEPHI LANZONI,

De

Morte ex scabie malè curata.

CAutè scabiosos medicandos esse, ait *Acad. Leopoldinæ curios. decus. Amicusque meus semper colendus, Dn. D. Marcus Gerbetius, in Observat. 167. Decur. 3. Ann. 2. pag. 254.* & aliqua ibi exempla morborum à scabie intròpulsa ortorum affert, ad quam observationem curiosum lectorem remitto brevitatis causa; Addere solummodò hic mihi inpræsentiarum liceat, Militem quendam me nuperrimè observasse Annorum ætatis 41. temperiei melancholici fæda scabie laborantem, qui postquam ab Agyrta quodam Bononiensi, incognito unguento unctus fuisset, à scabie mundatus est; Mox febris maligna eum invasit cum delirio, convulsione, ac urinæ suppressione; & hinc die morbi quinta vivere desiit; cautè ergo scabiem medicandam fore, doceat hæc tragica Militis nostri historia, & nec temerè imposterum credendum Agyrtis ac Circumforaneis, qui absque methodo, ac Doctrinis, homines è medio tollunt.

OBSERVATIO XVII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI,

De

Mania in Cæco ex nimio Puellæ amore.

ASprum, & Codrum cæcos amantes, irridet *Martialis*, primum in lib. 8. epigr. 49.

Formam planè, sed cæcus diligit Asper.

& alterum in lib. 3. epigr. 15.

Plus

Plus credit nemo, quam tota Codrus in urbe &c.

Qui cæci amarunt illas quas formosas esse audierunt, & crediderunt; sed non viderunt nostris hisce temporibus etiam Cæcum vidi ego, ut cum Satyrico loquar, *qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ*, & tam vehementer eam amabat talique flamma cupidinis torquebatur, ut cum illi eam negassent Parentes nubendam, tanto affectus fuerit dolore, ut brevi maniacus factus, intrà quatuor mensium spatium, macie confectus, obierit.

OBSERVATIO XIIX.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De

Phthiriasi oleo olivarum curata.

RAra multa, & curiosa de phthiriasi collegit Dn. D. Schröckius, Acad. Nat. Curios. Præses dignissimus, in suo additamento ad Obsevat. 39. D. Johan. Heluigii, pag. 146. ubi inter alia, refert oleo ligni corylini pediculos fugari juxtà *Stockeri* experimentum. Ego etiam fateri possum Adolescentulam me nuper curasse à Phthiriasi, solo balneo olei olivarum; nudam enim bis in die in vase capaci dicti olei imponendam curavi. Sicque octo dierum spatio, perfectè sanatam vidi, absque alio ullo neque interno neque externo præsidio.

OBESRVATIO XIX.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI,

De

Venæ sectione in gravida absque ulla noxa unoquoque gestationis mense celebrata.

VEnam secari posse tutò in gravidis, docet inter alios medicinæ Magistros nunquam satis Laudatus Dn. D. Christianus Helvvichius Practicus Uratislavienses felicissimus, Ac. Nat. Cur. Collega eruditissimus in obsevat. 189. Dec. 3. An. 5. & 6. pagin. 437 ubi inter alia doctè ab ipso narrata refert, in Gravida venæsectionem celebratam fuisse sinè ulla moxà bis, ultimis gestationis mensibus; quare circà hoc quod nuperrimè egomet obsevavi in mea exercenda praxi enun-

ciabo : Erat mulier plethorica Annorum ætatis 29. sarcinatoris cujusdam nostri Ferrariensis conjux; quæ bis abortum passa, tertio, & quarto gestationis mense, tandem imprægnata, auxilium petit; quocirca jussi quovis mense venam aperiri in brachio, modo dextro modò sinistro alternative ; ultimis autem mensibus in manu salvatellam incidi curavi; & sic justo tempore peperisse puellum robustum ac vegetum; qui nunc sanus vivit cum matre, quæ illum lacte proprio, (ut vera Genitrix debet,) enutrit.

OBSERVATI XX.

Dn D. JOSEPHI LANZONI,

De

Cachexia cum hydropis principio, ulcere in crure à natura aperto sanatâ.

RUsticum quendam Annorum ætatis 46. Observavi, qui omissis exercitiis, arthritide laborare incepit, una cum obstructionibus utriusque hypochondrii & præsertim dextri, & in sinistro latere ob tumorem lienis difficulter decumbebat ; huic facies non nihil tumida erat cum colore lurido ; aderant & manuum, brachiorumque emaciatio, urinarum cruditas, rugitus ventris, febriculæ errantes, vespere præsertim ingruentes, usus aere aquæ corruptæ vaporibus inquinato, nec solis orientis radiis expurgato ; quæ omnia cachexiæ erant indicia, majorisque mali ante-ambulones, atque incipientem hydropē minabantur, cui accedebat jus hæreditariū, eo enim morbo parens mortis fata subivit, Natura verò, quæ sola morborum est medicatrix, sponte in Crure dextro ulcere fædo, magnam ichorosæ lymphæ quantitatem quotidiè amandavit, sicque intra mensem sanavasit ; & nunc sanato ulcere bona fruitur valetudine.

OBSERVATIO XXI.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI,

De variis liquoribus infusis in venas variorum Animalium, & circa hæc observatis.

CAnem ad tabulam ligatum se accepisse ait Clariss. Bagliuus in Romano Archilycæo Anatomes Prof. nostri amicissimus, in sua ter-

tia

tia dissertat. de experim. anatom. pract. pag. 104. ipsique jugularem dextram aperuisse & infudisse in illam uncias duas spiritus vini rectificati, sicque canem vix peracta syringatione expirasse adhuc ligatum; Nos autem nonnullas similes infusiones fecimus, & quæ observavimus nunc candidè exponemus:

I. Cani duorum Annorum, sano, venam cruralem sinistram perforavi, ac siphunculi ope vini optimi unciam unam in sanguinem injeci, & ligato vulnere liberum reliqui; qui statim hùc illùc inordinate currere cœpit, inde evomere; & post breve temporis spatium, alvum exoneravit & quod notabile fuit, sudore omninò perfusus, in terram se projecit, somnoque alto correptus, duorum dierum spatio dormiendo absque cibo ac potù vixit; posteà expergefactus latravit, comedit, minxit, nuncque sanus vivit, ut anteà.

II. Canem juvenem, & sanitate optima fruentem super tabulam vivum more anatomico ligavi; & ei aperta vena jugulari dextra, in sanguinem per syringam infudi Spiritus Chalcanthi unciam unam, & vix peracta operatione, canis emortuus est; aperto cadavere totum sanguinem nigri coloris, ac coagulatum in arteriis, ac venis observavi; viscera cætera alioquin sana erant.

III. Asello aperui venam cruralem in eamque infudi Spiritus Cornu Cervi ℈j. permixtum cum aqua rosarum ad unciam unam; ligato vulnere asellus se contorquere cæpit, posteà copiosè urinavit; nunc vero sanus est.

IV. Felem bene ligavit Rusticus quidam & mihi ligatum attulit, cui ego aperta vena crurali dextrâ propè inguina, per syringam infudi, spiritus sulfuris guttas V. in aq. vit. com. ℥ij. ligato vulnere novem horarum spacio expiravit; aperto cadavere, nigræ maculæ in hepate, liene, pulmonibus aliisque visceribus apparuere; & cruorem in vasis omnibus congelatum, imò vesicam urinariam non sero, sed sanguine plenam fætido, observavi

V. Cuniculo ad tabulam ligato aperui jugularem dextram, infusaque in eam drachma una Spiritus Salis dulcis vix peracta Syringatione, Cuniculus adhuc ligatus expiravit, quô aperto sanguinis coagulatio in pulmone tantum est observata; & in aliis locis, sanguis erat omnimodè dissolutus; Cæteræ partes erant sanæ &c.

VI. Aquam simplicem pluries infudi in venas variorum canum; omnesque sani evaserunt; in uno cane Spiritus nitri est infusus, & mortuus est, in alio Spiritus cerasorum nigrorum, & sanus evasit,

in duobus, spiritus fuliginis, & primus post quinque horas est mortuus; alter post duos dies, diris cruciatus vomitibus, extinctus est; in uno Cane infusa aqua Cinnamomi, dementia, cæcitas, surditas, ac rabies obortæ sunt, quibus post hebdomadem mors successit; in alio autem Cane, eadem aqua Cinnamomi injecta, nihil mali præter vomitum peperit. In sue quatuor mensium Spiritus Terebinthinæ infusus, necem intulit, qui tamen infusus in venam Cruralem Canis venatici nihil mali attulit; notavi verò Spiritum tartari, vitrioli, & salis ammoniaci infusum in venas animalium, semper mortem effeciſſe, quod etiam solo Sanguinis attactù oleum Tabaci intrà paucas horas fecit.

(*Ferraria Augustam Vind. d. 30. Jan. An. 1701. missa.*)

OBSERVATIO XXII.

Dn. D. ERNESTI SIGISMUNDI GRASSII,

De

Venæsectione imminente Partu salutari:

PRofusionem Sanguinis humani, qua nec in Pleuriticis indigeo, quamvis haud facile admittam, in Gravidis tamen Venæsectionem cum aliis in Arte & Prudentiâ Medicâ versatis & conspicuis viris sæpius perneceſſariam judico. Experientiâ enim non solummodo sed & ratione constat, quod beneficio hujus subsidii multi præcaveantur Abortus. Sed cùm raro Medici consilium justo tempore requiratur, hinc nec semper occasio suppetit, Venæsectionem eo, quo magis expediebat, tempore administrandi. Casûs ergo quandoque contingunt, unde neceſſitas suboritur ejusmodi ferre suppetias tempore etiam alias plane insolito.

Horridum ipsis gravidis est Symptoma eruptio Sanguinis uterini, quod, ni tempestivè remittat, sanguinis missionem omninò deposcit. Prostant exempla in Praxi varia, ex quibus hac vice occurrit, quod Fœmina nobilis annorum 32. septimô mense gravida largiorem imò enormem Uteri hæmorrhagiam Anno 1687. fuerit experta cùm febrili calore & doloribus abortum minitantibus, Adhibita remedia nonnihil remissionis sed inconstanter adferebant; ideoque cùm tandem fluxum, vivo sanguinis obstetricis indicio non ex

ipso

ipso utero sed inferius cùm impetu scaturiente, amplius cœrceri nescium, dolores quoque intensiores atque continui comitarentur, periculosus hic rerum status tandem sectionem Medianæ in brachio sinistro nolentibus licet extorsit, quâ peractâ, licet nec tum sanguineus fluor cessaret, tamen ab angustiis, quibus afflicta tenebatur, præcordialibus Parturiens alleviata, post paucas horas præmaturum, qui præcaveri nequibat, partum fœtus vivi quidem, sed ad 12. circiter horas saltem vitalis, feliciter absolvebat, cessante mox hæmorrhagiâ. Succedentium verò Lochiorum quantitas ideò haud minor fuit sed in quantitate solitâ, quamvis ante exclusionem fœtus tantam sanguinis jacturam jam fecisset Ægra, quæ superato puerperio hoc infaustô incolumitatem pristinam recuperabat.

Anno 1699. Alia mense ultimo partui legitimo vicina, terrore subitaneo perculsa, in eandem hæmorrhagiam incidebat. Tumultûs hujus interni majorem progressum haud tutò expectandum esse ratus, in brachio dextrô sanguinis missionem moderatam fieri curavi. Ægra sic quietior quidem reddita, sed horam vix transegit, ubi dolores partûs genuinos ingruere & tantâ constantiâ augeri sensit, ut paulò post gemellos feliciter in lucem ederet, alterô quidem post unam vel alteram horam iterum decedente, sed altero adhucdum superstite & vegeto, ipsâ vero matre salvâ manente & incolumi:

Venæ sectione itaque Matres in præsentaneo versantes periculo servatæ, ipsique infantes ab imminente in claustro materno suffocatione vindicati, in tam ancipitem vitæ tenellæ aleam forsan haud præcipitati, si medio gestationis tempore maturè ipsis fuisset prospectum.

(*Javerâ Siles. Augustam Vind. d. 11. Febr. An. 1701.* missa.)

OBSERVATIO XXIII.

SCHNIGG.

De

Febre quartana Curata; ejusque infallibili remedio.

QUæ antiquorum industria penetrare nequivit, hæc recentiorum sagacitas penetrat, & persanat. Febris quartana & hydrops superioris seculi Medicis scandala & larvata monstra dicta sunt,

quibus nos larvam deponimus, & ita infallibiliter curamus. Ego perplures quartanâ laborantes sic restitui:

℞. Salis absynth. Cent. min. card. bened. Tartari Vitriolati ā Gr. Viij. lapid. Cancrorum præparatorum Gr. XV. hunc pulverem aliquoties ante quarti vel quinti Paroxysmi insultū dedi, de in ℞. chin. chin. (vel rad gent) theriac. Andromach. ā ʒX. ocul cancrorum præparat. ʒij. ebor. ʒiij. f. cum s. q. syr. de absinth. electuar. dividatur in X. partes æquales. Sexdoses unâ horâ ante Paroxysmum succesſivè dandæ, reliquæ verò quatuor, servatâ 10. diebus quiete, sumendæ, & cedet febris certissimè, nec amplius recidiva metuatur.

SCHOLIUM.

MUltarum febrium intermittentium stato tempore recurrens paroxysmus, ingenia torsit; varii varias produxere causas, ego Salvâ aliorum authoritate dico, quòd perturbata, sanguinearum plus æquò acido-tartarearum particularum mistio Spiritum archeum in ventriculo eò usque molestet, donec quarto die quasi suppressus suam vim elasticam in sanguinis circulo promovendo exerere nequeat, Sanguis tum in majoribus, tum in minoribus venis stagnare incipiat, quæ stagnatio frigus, quia omne frigus in quiete, inducit, postquàm autem Spiritus archeus stagnantem sanguinem perterebravit, sanguinem in plus æquo citiorem motum, tunc corpus calescere, quia omnis calor in motu consistit, movit; & sic Paroxismorum invasiones fieri consueverunt.

Si autem plures particulæ in massa sanguinea ex vitiosa chylificatione communicatæ reperiantur, & frequentius Archeum impetant, fit, ut febres quartanæ, tertianæ & quotidianæ duplices contingant, prout scilicet p. n. in ventriculo acido-tartareæ particulæ degunt, & hæc quartanam, alcalicæ, lixiviosæ tertianam, viscidæ, salsæ quotidianam febrim inducunt. Siquidem non solum fermè morborum omnium, verum & febrium fomitem residere in ventriculo noverint ii, qui multoties procurato vomitu meliorationem animaduertêre. Hinc nullâ memoriâ moriendus Excellentissimus Dn. D. Fischer / Salisburgensis Archiepiscopi Consiliarius & Archiater, qui instar vade mecum vomitoria secum habuit, illaque plurimis ægrotis non sine exiguo solatio porrexit; vidi quendam fidicinem, qui manè frustum frigidæ Carnis vitulinæ ingessit, moxque

febrim

febrim quartanam contraxit, cui obviam eundo varias à variis accepit medicinas, ast in cassum, donec tandem ego in illo loco degens, carens omni alio medicamine, pulverem rad. gent. cum butyro recenti sumendum suasi, insuper me inscio vinum absynthites bibit, quo sumpto vomitum habuit, illamque per unius anni spatium in ventriculo residentem particulam carnis vitulinæ ejecit, quid non Radix gentianæ in his & similibus affectibus præstat? habet, de qua glorietur Germania, Chin Chinam Chinensibus relinquendo. Quare non possum sat mirari, quî aliqui in Medicinas exoticas ferantur, putantes, non æquè nostram, ac alienam terram saluberrimam ferre medicinam, cum tamen DEUS Ter. opt. Max. cuilibet Provinciæ, specialiter endemiis morbis oppressæ de necessariis providerit.

Ad objectionem (non una fert omnia tellus) respondeo non fert sibi inutile, concedo; non fert sibi utile & necessarium, nego; Germania in speciè Carinthia plurimum fert gentianæ, qua caret China, ad quid ergò sunt entia sine necessitate multiplicanda?

OBSERVATIO XXIV.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSHNIGG,

De

Hydrope Anasarca Curato.

ANNO præterito in alpibus Styriæ conveni rusticum per totum tumentem, ut vix ob genarum tumorem, apparerent oculi, & vix ob abdominis, scroti & pedum tumorem incederet, cui suasi ut radices gentianæ in taleolas scissas cum aliquibus granis juniperinis super ignitam tegulam ut proiiceret, & panno vel linteamine tectus, fumum corpore exciperet, ac crebrius tegulam aceto aspergeret, qui, hoc per paucos dies continuato usu, detumuit, & sanus venit gratias acturus. Huic non absimilem, nisi, quòd locò radicis gent. accipiat rad. ebuli, modum tradit Illustris Jonstonus in syntagmate Med. pag. 960. Hæc eadem cura me ipsum ex faucibus mortis eripuit, qui Græcii in Styria, majori syntaxi dum puer operam dabam, quartana febri laborabam, ex qua imperitè tractatâ, in totius corporis tumorem incidi, sed, DEO sint gratiæ infinitæ adhibitâ hac Curâ in hodiernum incolumis vivo.

OBSERVATIO XXV.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSCHNIGG.

De Podagra Curata.

NOvi duos, quorum unus cujusdam podogra laborantis ocreas dono accepit, alter simili miasmate affectas, in foro scrutario sibi comparavit, qui uterque paulò post indutis ocreis in crudelissimos Podagræ cruciatus raptus est, ut miseri quid agerent, cum eis pane vesci ex labore incumberet, nescirent, multis doloribus torti solamen quæritantes in non procul undique à stabulo æquorum, vaccarumquè collimantem lacunam pedes, manusque immiserê, & en! sensêrê levamen, iterarunt aliquoties, & disparuit crudelissimus ille artuum hostis, podogra & chiragra. Stercus Vaccinum, equinum, in arthriticis & Podagricis affectionibus Excellentissimus Paulinus in seiner Dreck-Apothecken / pag. 170, celebrat.

OBSERVATIO XXVI.

Dn. D. JOHANIS BAPTISTÆ WERLOSCHNIGG,

De Febre Petechiali Curata.

AD cauponem vocatus, & maritum & uxorem lecto affixum respiratione perdifficili, pectoris angustia, perturbatione & inquietudine summâ affectum, maculis plus lividis quam rubris undique stipatum inveni, uterque tantâ malignitate scatebat, ut totalem visionem deperdiderit, hîc, cum tardè vocatus, nec laxare, nec Venam secare potui. Quare præmisso enemate, hanc potiunculam quam Doctissimus D. Sorbaith, in sua Praxi fol. 316. mille manibus laudat, propinavi: ℞. Decoct. rad. vincetox. & levistic. cum M. fol. Galeg. fact. ℥iiß., syr. de scord. ℥ß., elect. Diascord. Fracast. ℥ij. pulv. pannon. rubr. ℈j. m. f. pot. hanc primis 2. diebus mane & vesperi iterare jussi, & citra omnem humanam spem convaluerunt.

OB

OBSERVATIO XXVII.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSCHNIGG.

De Febre maligna musica curata.

NOsco Virginem perquàm bellam, quæ ex nimia saltatione febri maligna correpta est, ad nullum sibi datum medicamen melius, sed imò deterius habuit, ut omnibus proxima exitio videretur. Parens de suæ charissimæ prolis salute sollicitus, omnia quæ salubria autumabatur, adhiberi curavit, sed frustra, postremo incidit ei, puellam nil musicâ magis amâsse, quam ut jamjam ab æterno imminente somno excitaret, convocat integrum chorum, & eum antè ægrè decumbentis lectum sistit, qui variis modulaminibus tristem Archeum adeò exhilaravit, ut depositò delirio & inquietudine somnum capere cœperit, hoc per sex horas tracto, expergiscitur sibi præsens, de nullo, quàm ventriculi dolore conqueritur, & quia futibundus & tristis Archeus pacatus fuit, multumq; caloris remisit, postridie sumsit Aq. laxat. Vien. ℥iv. dejecit aliquoties; nunc sana, proximè Connubio danda expectat suavitatem musices.

Simili Febri affectam filiam pulcherrimam, quæ ad melius vergebat, mater potu frigidæ aquæ occidit, quem Medicus dare summopere inhibuit, attamen mater plena amore filiæ, noctu surgit, & propinat hoc venenum, spiritum Archeum ex integro coagulans & fixans.

OBSERVATIO XXVIII.

Dn. D. JOHANIS BAPTISTÆ WERLOSCHNIGG.

De Alvi adstrictione contumaciſſima curata.

HAbui Fr. Capucinum curandum, qui ex potu nigræ cerevisiæ, fortè non benè defecatæ, in Colicos dolores incidit, hos sedatos contumaciſſima constipatio secuta est, denicq; clysterem & laxationem sprevit; hæc in nonum diem duravit, inter quod rempus aliquoties excrementa per os evomuit, circumstantes Ileum futurum augura-

bantur, nonnulli jam præsentem, ego tamen non omnimoda signa volvuli adesse credens, ideoq; spe aliqualiter fretus, curo fieri ex Butyro recenti, quod nunquam in aquam devenit, & aliquibus vivis cancris conquassatis, unguentum, hoc inunxi umbilici regionem, & super totum abdomen in lacte vaccino coctum manipulum filorum apposui, inq; horæ spatio quater repetii, & sic alvus soluta est, excrementum totum quasi pulverisatum nigricans excrevit, hoc ipsomet remedio & alium cerevisiarium postquam 11. diebus constipatus, felicissimè restitui.

OBSERVATIO XXIX.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSCHIGG.

De Ischuria renali curata.

HAbui sub mea cura plethoricum quendam, ut & phlegmaticum, qui uterque Ischuria renali pertinacissima laborabat; quod malum nec V. S. nec clysteribus, nec adhibitis in- & extrinsecus medicamentis cedere voluit, imò si quod introsumtum, mox vomitu iterum ejectum fuit. Malo itaque in uno ad 14. in altero ad 17.mum diem durante, quo tempore nec gutta urinæ exivit, Balneum aquæ dulcis fieri, eiq; insidere ægrotos curavi, quo tempore simul acidulas, quas Exc. D. Gründel in Roitschocrene sua doctissimè describit, propinavi, & quidem interpolatim; primi quatuor quadrantes per vomitum rejecti sunt; nihilominùs alios successivè propinavi, donec inter potandum vix non exanimes facti, & quasi naturâ resolutâ uterque copiosè urinare cepit.

OBSERVATIO XXX.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSHNIGG.

De mirabili Piscatione

IN mea patria, ad montem Pohanska gora, in Styria, ductus atq; ad piscationem invitatus fui, ubi in cacumine montis lacus quidam piscibus uberrimus conspicitur, in quo piscari cepimus, & quamprimum

mùm primus piscis hamo captus fuit, caudam ei piscator demordit, iterumq; in aquam projecit; & cur hoc faciat, cum ex eo essem scitatus? reposuit, ut sciam, quousque mihi piscari liceat, quamprimum enim piscem demorsâ caudâ capiam, cessare cogor, secus exorirentur imbres, grando, &c. Ille verò piscationem ulterius prosecutus est, qua centum & quinque pisces cepit, quorum ultimus ille fuit, cui caudam dentibus demordit; quo viso, à piscatione destitit. Ego fabulam mihi narrari putans, rogavi, ut hanc ipso facto confirmaret; qui petitioni meæ indulgens, piscari perrexit; sed vix hamo injecto, magnus ítrepitus in aqua fuit auditus, nubes ex aqua surgere, copiosissimumq; imbrem, nivem, grandinem, tonitru emittere expertus sum, & sic meam curiositatem timor exin mihi incussus inque fugam me adigens, largè compensavit. Arguo id ex quodam implicito pacto dæmonis fieri, & hoc, qui primò in eo lacu piscari cepit, fecisse. Liceat & hoc addere, non procul ab illo monte alium altissimum esse, sanctæ Ursulæ dictum, à templo Sanctæ huic dicato, quod in cacumine ejus visitatur. In hoc circa festum S. Jacobi in quadam religiosa peregrinatione cum essem, circa medium montem nubes erant atræ densissimæ, circa nos verò in cacumine summa serenitas & Solis radii calidissimi, in illis verò nubibus tempestas exorta, & fulmina sursum fibrata, ut in templo, me præsente, septem personæ fulmine tactæ obierint.

[*Rieda Augustam Vindelicorum. d. 18. Martii A. 1701. missæ.*]

OBSERVATIO XXXI.

Dn. D. GEORGII DETHARDINGII, Fil.

Ex

Anatome lithiasi laborantis & infelici sectione defuncti.

VEl ex omni parte, Vesicæ calculo laborare tremendum est morbi & cruciatuum genus, sive locum spectes, commodus satis est pro majori ejus incremento, id quod juga particularum sese illi applicantium, continuò parit; sive symptomata cogites, sunt dolores intensissimi, urinæ stillicidium molestissimum, agrypnia frequens, sive eventum mediteris, cruciat non enecat, affligit non opprimit, lenta modo tabe corpus destruit; sive medelarum genera consideres, desiderantur lithontriphica, liquores, qui in Vesica illum frangant, postulatis Medicis annumerantur, sectio ipso morbo gravior & periculo-

sior. Imò si & hæc admissa successu destituatur, argumenta ex triplici consolationum genere petita, nec animum miseri, nec corpus recreant, non nisi terribilium terribilissimum solatio est. Confirmet modo dicta vir 36. circiter annorum è plebe natus, qui per sexennium ex calculo Vesicæ laborans, varia decantata medicamenta saxifraga sine fructu abliguriverat, quando appulisse resciscens, Operarium Batavum, se calculos methodo planè recenti, tuto, citò, si non jucundè secare nosse gloriantem, spem remedii omnem in Lithotomia quærere & hujus duris se manibus curandum committere intensissimis cruciatibus tandem persuadebatur. Die hinc negotio huic stata, præsentibus & Medicis, quos invitatos insuper lubido incesserat, novum spectandi sectionis modum, & Chirurgis, animo ultra prosapiam magno se sectioni submittit, nec minori animo Lithotomus, haud quamvis Methodo illa nova seu per nates (nec enim in quibusvis individuis hanc succedere regerebat) sed cum apparatu, ut audit, majori illam aggreditur, vias parat calculo largissimas, eundemq; quem adesse digito explorabam ad prodeundum sollicitat admodùm, sed incassum: adeò calculi moles apprehensionem, duritiesq; contritionem cedentibus forcipibus negabat omnem, tantum multis molimínibus fragmentum extrahebat, primum pollicis articulum æquans. Duraverant irriti hi conatus ultra quadrantem horæ, & Lithotomus molem calculi & carnositatem quandam in Vesica obviam, sua molimina irrita facere videns, ac conquerens, re infectâ quicquid miser hic Heros, qui omnem ferramentorum vim stoica patientia tulerat, regereret, & cum vitæ suæ dispendio hostem interaneum protrahendum esse clamitaret, deligare vulnus & lecto ægrotum tradere cogebatur; Cognatis imò & spectatorum plurima parte secantis imperitiam, temeritatem, crudelitatem (taceo convitiorum genera & minas) culpantibus: Ast qui proximius crudelissimis his laboribus adstiterant, & Lithotomum se virum præstitisse observaverant, mitius ferebant judicium & calculum ipsum, sive quod propriis membranis sit involutus, sive mole sua omnem ejus cavitatem impleat, in causa esse, ut labores in irritum ceciderint, judicabant. Non nisi mors, qua se potius quam sempiterno dolore multari optabat patiens, hos conjecturarum nodos solvere poterat, quo ex lustratione Vesicæ impedimentum innotesceret. Beabatur ille voto suo, die à sectione duodecima & placidè, diarrhæa prævia exspiraverat, cum secundum optatam plurimorum licentiam defuncti corpus reserandi à cognatis nacti,

in

Fig. I.A





in eo eramus, ut quantum concessum, Vesicam ejusq; vasa in lucem protraheremus, quo in tamen & locus minus commodus, & spectatorum turba insolentior his sacris parum assueta, non levi obstaculo fuit. Protraximus illam tamen, quam Sphacelus in latere sinistro jamdum notaverat, & resectis tunicis, calculum non modo, sed & aliud quoddam corpus offendimus, ille sinistrum, hoc dextrum latus occupaverat (vid. Fig. 1.) Facili negotio eximebantur ambo, nec tunicis Vesicæ adhærebant, calculo pondus ℥viij. corpore adjacente ℥vijß. superante, insuper ille incrustationibus colore albicante conspicuis, tribus in locis exornatus apparebat, externa facie ad similitudinem renis humani, (quem tamen magnitudine superabat) accedebat. Foris gibbum, intus sinuosum, sinu calculi protuberantiam excipiente instructum, superficies illi lævis erat, nisi quod hinc inde ex membranarum adhæsione aspera; sub tali habitu calculos delitescere, omnes pronuntiabamus, & dum per medium findere eramus intenti, cultri verò aciem duriora quædam remorari observantes, magis in opinione firmabamur, quando divisum corpus non calculos sed ossa continere stupentes experiebamur. Mira hæc metamorphosis animum mox addebat, scrutinio, hoc quicquid erat, subjicere, & cum per loci angustiam non liceret, domi delatum examinare, nec sine oblectamento diversas illius substantias observare poteram, illa quæ peripheriam constituebat, membranarum instar mollis erat, inferior pars cervicem vesicæ spectans ad collum accedebat, medium distinguebant ossa granorum milii instar copiosissimè hinc inde sperſa, quorum præ aliis bina promontoriorum instar magis prominebant; callosam insuper substantiam distinguebat fissura locum insertionis ureteris dextri spectans, per quam serum transiisse suspicio est. Totam rem magis explicabunt ac ante oculos ponent Figuræ annexæ.

I. FIG. A.

aaaa. Vesicæ substantia valde incrassata.
bb. Ureteres.
c. Urethræ initium.
dd. Calculus.
eee. Incrustationes elegantissimæ.
f. Apophysis calculi sese vicino corpori insinuans.

II. FIG. B.

aa. Corpus membraneo-calloso-osseum justa magnitudine expressum
b. Processus ejus cervicem Vesicæ spectans.
c. Cavitas quam calculi Apophysis impleverat.
d. Membrana lacera.

gg Corpus membranoso-calloso-osseum.
h. Sinus calculum recipiens.
iii, Superficies lævis & lineolis distincta.

III. FIG. C.

aaaa. Corpus Membraneo-calloso-osseum per longitudinem sectum.
bb. Sinum monstrat ejusq; fissuram.
c. Sima inferior pars.
ddd. Ossa minima copiosissimè per medium ejus sparsa.
ee. Bina ossa promontoriorum instar prorepentia.
ff. Calloſa inferioris corporis substantia.
gg. Membranosa peripheria.
hh, Membranæ laceratæ.

c. Sima ejus inferior pars [illegible] calculus in Vesica accubebat.

IV. FIG. D.

Fragmentum calculi à Lithotomo diffractum monstrat.

Usus ex Anatome lithiasi defuncti.

(1.) Non est in Lithotomo, semper relevetur ut æger, nè ergò victoriam ante Triumphum.
(2.) Calculorum Vesicæ signa diagnostica multis modis eluduntur.
(3.) Lithontriptica præter nomen nil realitatis in se continent, modo non λιθοποιέτικα evadant.
(4.) Urinæ stillicidium quo frequentius, de cavitate Vesicæ oppleta testatur.
(5.) Fermenta partium, humores in membranas, callum, ossa, præcipitantia nulla dantur.
(6.) Triplex illa substantiæ diversitas, elegantissimè evincit, membranarum, callorum, cartilaginum, ossium, &c. compagem non inter se differre, nisi arctiore aut laxiore fibrarum connexione & rigiditate.

[*Rostochio Augusti Vindel. d. 9. A. 1701. missa.*]

Fig II. B pag. 46.



Fig. IV. D
pag. 46.



Fig. III. C pag. 46



X. e X.



OBSERVATIO XXXII.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De
Usu Olei Majoranæ insigni in Epilepsia.

EDidit D. D. Grav Tractatulum de Majorana, inque dedicatione geminum adducit exemplum, ubi oleum Majoranæ externè adhibitum, optimè profuit in invasione Epileptica. Adhibui crebrius hocce Oleum in Praxi 32. annorum singulari cum emolumento, tàm apud infantes quam adultos. Decumbebat pronuper puella unius Anni hic loci, sat vegeta, & per 14. dies continuo vomitu ejiciebat esculenta & potulenta quæ ingesserat. Accedebat inflammatio gingivæ cum eruptione dentium. Parentes rati hoc esse à dentitione, nihil dabant Medicamenti, Naturæ omne negotium committentes. Quia autem vires indies labascebant, & calor urens roridas corporis partes depascebat, capropter meum quærebant consilium. Adhibebamus Clysterem è lacte & Flor. Chamæmeli cum rejectione pituitæ viscidæ & aliquali lenimine. Ad temperandum calorem nutrici dabam refrigerans medicamentum: & ad alvum reserandam repetebamus enema, cum eodem effectu & exturbatione duorum lumbricorum. Calor per intervalla redibat, nec vomitus plenariè intermittebat. Interea puella creberrimè digitos ori immittebat, ob dolorem gingivæ, cumque calor augeretur ob conatum naturæ ad expellendos dentes, ingruebant etiam lenes convulsiones faciei & oculorum. Auxilium meum dum iterum poscebant, ordinabam ut oleum Majoranæ vertici, nuchæ, temporibus & naso illinerent. Dictum factum, convulsiones statim evanescebant, ægrotaq́, quæ per integram noctem, ut moribunda jacuerat, jam cum Parentum gaudio, vegetior apparebat, & quas usq́ huc susq́ deq́ habuerat mamillas, avidè arripiebat & sugebat, sicq́ tandem ex DEI Gratia reconvalescebat. Optimum certè est Medicamentum, grati odoris & penetrans, Spiritibusq́ gratum & acceptum: in convulsionibus, Epilepsia, Apoplexia, deliquiis animi non semel proficuum sensi: Nota tamen quod promiscuè non omnibus arrideat fœminis, uti & alia penetrantioris, grati & ingrati odoris. Domina Gebleria, Senatoris vidua, leni tangebatur insultu apoplectico, inter alia & oleum Majoranæ exterius re-

com-

commendabam, sed nauseabat inde, & sibi hujus usum esse contrarium, ut & succinata & castoreata asserebat, ideò removebamus.

OBSERVATIO XXXIII.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De

Variolarum reliquiis periculosis.

Illustris Dn. D. Franck de Franckenau Dec. 3. Anni 4. Observat. 1. accuratè, pro more, de hacce tractat materia, cui laciniam hancce attexere audeo. Mercatoris nostratis filiolus 4. annorum ob plurima accidentia aliquoties Curæ meæ subfuerat, benignitate DEI concurrente, feliciter restitutus. Anno præterlapso 1700. mense Augusto corripiebatur variolis copiosissimis, has dum spatio 4. Septimanarum superârat, observabant Parentes, quod absque intellectu decumbebat, nec cibum nec potum poscebat, nec loquebatur, sed somnolentus jacebat, excrementa in lectum deponebat, cibum tamen & potum, quem intrudebant, deglutiebat, sicq; miserè vivebat. Mater rem ad me defert, & summoperè petit, ut optimo consilio succurrerem, selectaq; Medicamenta, etiam pretiosa, præscriberem. Puer, quem optimè noram, favens prognosticum mihi non spondebat ad restitutionem, divina tamen Gratia suffultus, nolebam sine consilio dimittere anxiam Matrem, sed ordinabam Pulverem Stomachico-Cephalicum in dies cum cibo & potu aliquoties dandum. Intra octiduum aliquid levaminis apparebat, incipiebat loqui, desiderabat esculenta, excrementa retinebat, & quando natura urgebat, nutu indicabat, vacillabat tamen adhuc intellectus. Non desistebam naturæ succurrere aliis confortantibus cum optato effectu: jam enim se intelligere omnia, & benè habere, affirmabat, Parentes ideò, ut surgeret, hortabantur, èq; lecto in hypocaustum portabant; verùm pedes erant inutiles, nec enim ambulare, nec progredi, nec stare poterat, sed corruebat. Mater iterùm accedebat, & de consilio dando monebat. Exhibebam nervina, cephalicis & confortantibus maritata, & per tres septimanas continuabam, puerq; tandem, DEO Laus! felicissimè restituebatur, & adhuc sanus & vegetus degit. Species diambræ, diamoschi dulcis multùm hic faciebant, ut & cucupha capiti imposita. De spirituosis liquidis nihil dedi internè, nec exter-

na adhibui præter cucupham, nisi tandem post superata omnia symptomata, Balneum aquæ dulcis. Pari tempore variolis decumbebat lanionis filius, & Phthisin relinquebant variolæ, cum morte.

Grüneberga d. 6. Maji. A. 1701. missæ Norimbergam.

OBSERVATIO XXXIV.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTIANI MENTZELII.

De

Muliere Sexagenaria lue venerea laborante & absq; Mercurio adhibito salivante.

QUàm periculosum sit, cum lue venerea laborantibus conversari, eorumque familiari consortio uti, plena sunt Practicorum volumina, idque in vulgus sat superque notum est, nihilominus exemplum aliquod singulare hujus communicare Eruditis minimè incongruum fore existimo; Vocabar ante tempus non adeò longum ad virum quendam, (cujus nomini parco;) quadraginta annorum, venereis pustulis & ulceribus, & in facie, & in reliquis corporis partibus summè defœdatum, nec minus doloribus nocturnis, aliisque symptomatibus huic lui propriis, maximè excruciatum, jamque secundâ vice salivationem sustinentem, nam ante aliquot septimanas Chirurgus quidam hujus urbis, ope Mercurii dulcis intus exhibiti, salivationem ipsi excitaverat, sed sine levamine & emolumento, licet saliva in copia fluxisset, jam verò inunctione mercuriali, feliciori successu id tentabat, unde quidem ulcera consolidabantur & reliqua symptomata remittebant, at tophus sat magnus in dextra tibia remanebat, sat manifesto indicio, luem non prorsus exstirpatam esse. Erat autem viro huic adhuc in vivis Mater sexagenaria major, quæ de infortunio & morbo filii sollicita, curam ipsius habebat, dies noctesque in hypocausto, in quo filius ægrotabat, ut ipsi adjutrices manus porrigeret, hærebat & sedebat, sed quid fit, vix aliquot dies præterlapsæ erant, cum Anus hæc undique pustulis & ulceribus per totum caput & corpus conspergeretur, simulque unà dentes vacillare, gingivæ intumescere, anima tetrè olere, faciesque summè inflare inciperet, cum insequenti salivatione tam horrenda, ac si ægra aliquoties unguento mercuriali inuncta fuisset;

set ; Misera hæc in statu hoc miserabili se cernens , meam opem & anxiis verbis & precibus quam maximis , implorabat , ut nisi ipsam liberare possem , saltem εὐθανασίαν ipsi procurarem ; pensitatis itaque à me omnibus circumstantiis , sine mora aniculam ex hypocausto in quo cum filio degebat, in aliud proximum calidum , stragulis benè tectam & involutam , portare curabam , & cum salivationem , subitò inhibere è re esse neutiquam existimarem , varia lenientia , dolorem demulcentia leniterque adstringentia & gargarismata & oris collutiones præscribebam , Clysteres ex lacte dulci & oleis injici , alvumque bis leni cathartico subduci curabam , ut sic affluxum salivæ paulatim aliò diverterem , sed æthiopem lavabam , salivatio potius dies noctesque tàm enormiter continuabat , ut ægra illam sustinere viribus impar , sexto die è vivis discederet , placideque obdormiret.

OBSERVATIO XXXV.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTIANI MENTZELII.

De Ægro , lue venerea laborante & duodecies Unguento mercuriali largiter inuncto , absque tamen insequente salivatione.

VIr Juvenis ex nobili prosapia oriundus , & ab inquinata ante duos annos lue venerea infectus , variis , à multis Chirurgis Barbitonsoribus & Balneatoribus usus, minùs prospero cum successu , præter dolores enim noctu excruciantes , in coxendice dextro & scapula dextri lateris perpetuò dolorem sentiebat & imbecillitatem, ita,ut non solum claudicaret , sed etiam brachium ad caput attollere nequiret , unde tandem Chirurgo Gallico cuidam se curandum committebat , qui verbis trasonicis , uti id genus hominum solet , brevi sanitatem spondebat , curamque venæsectione , purgatione & Balneis per sex dies continuos inchoabat , tandem ad inunctionem perveniebat , & singulis vesperis , non solum pedes & manus ægri inungebat , sed etiam totum dorsum , collumque cingulo ex triplici vel quadruplici linteo complicato & unguento mercuriali largiter illito , cingebat , ita ut ego cum altero Medico Practico hujus urbis claro Dn. D. Gerresheimio obstupefacti, audaciam hujus hominis mira-

miraremur, & quanquam largam hancce inunctionem ambo non approbassemus, noluit tamen Chirurgus hâc abstinere, gloriosè dicens se in Gallia ultra centum hâc methodo curasse, ita ut tandem acquiescere coacti fuerimus, postquam verò Chirurgus, ægrum ter inunxerat, salivationemque expectaret, nihil salivæ motum est, neque indicium aliquod subsecuturæ salivationis apparuit, unde inunctionibus continuare decrevit, ægrumque intra quatuordecim dies, nobis refragantibus, duodecies tàm enormiter inunxit, ut ægrum singulis diebus, imò singulis ferè momentis mori putaremus, ab hisce inunctionibus enim admodum debilis redditus & sceleti instar emaciatus erat, præsertim cum nihil aliud, quàm jusculum ex carnibus quod Gallicè Bovüllon nominant, loco prandii & cœnæ adsumere, sitimque tenui decocto ex lignis & radicibus sedare cogeretur, nihil tamen ab hisce inunctionibus Salivæ excreavit, neque gingivæ aut fauces intumuêre; post duodecimam verò inunctionem multum mejere æger cogebatur, singulisque fere horis matulam poscebat, urinam emingebat claram cum sedimento crasso & viscido, idque per duos aut tres dies, quô factô lautiori victu ægrum revocillavimus & cum Chirurgus ægrum jam curatum assereret, aliquid carnis comedendum concessimus, unde quidem ad se redibat æger, seque per tempus aliquod melius habebat, minimè tamen curatus erat, sed per aliquot septimanas, decocto ex lignis & radicibus uti cogebatur, ex quo ξυσαρκος factus, cum sponsa sua virgine nobili, matrimonium iniit, jamque aliquot liberorum Parens est, & optimâ fruitur sanitate.

OBSERVATIO XXXVI.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTIANI MENTZELII.

De

Puella per sex septimanas continuò epileptica, cum cœcitate, surditate & loquelæ amissione.

PUella quædam octo annorum è Schola domum rediens de capitis dolore & lassitudine corporis cum calore enormi, conquerebatur, insequenti verò die, summô mane epilepticis corripiebatur convulsionibus, unde parentes perterriti, meum implorabant

auxilium & consilium ; consideratis itaque à me exactè omnibus circumstantiis , præsertim cum puella digitis nares continuò fricaret, quod diagnosticon lumbricorum signum esse solet, varia contra vermes medicamenta ordinabam , sed laterem lavabam , convulsiones potiùs exhisce exacerbabantur , ita ut , quæ antea per intervalla affligebant, jam continuò sine intermissione durarent , ægræque caput, oculi , manus pedesque , dies noctesque in motu adspectu satis horrendo , cum omnium sensuum deperditione essent ; oculos licet apertos semper teneret , nihil tamen videbat , nam candela accensa, & anté oculos hinc & inde mota , nullam causabatur nictitationem, interrogata, nihil respondebat , nihil audiebat , neque medicamenta neque alimenta ipsi exhibita deglutiebat , ita ut singulis momentis illam , è vita emigraturam , existmarem ; sed quid fecit ? in statu hoc deplorato , per integras sex hebdomades , quod incredibili dictu , ita manebat , postea sensim sibi reddita, convulsiones pedetentim remittebant, puella submurmurare aliquid incipiebat , atque potum & victum poscebat , & medicamenta quæ necessaria judicabam , rursus adsumere incipiebat , sed cœcitas , licet oculi clari essent , & exterius sine omni labe conspicerentur , remanebat , neque pedes, neque manus officium suum facere volebant , post duorum mensium verò cursum , visus & vires paulatim redibant , puellaque quæ sceleton antea repræsentabat ἐυσαρκη facta , in integrum restituebatur , excepto dextro pede, quem exactè movere nequit, hinc gressum cum claudicatione habet difficilem.

OBSERVATIO XXXVII.

Dn. D. JOHAN. CHRISTIANI MENTZELII.

De

Uteri spasmo.

VIdua quædam 43. annorum , post obitum Mariti , ob mœrorem animi & varias altercationes, quas cum Amicis pie defuncti, ratione hæreditatis habuit , incidebat in dolorem infimi ventris acerbissimum per intervalla affligentem, & hypogastrium spasmodicè contrahentem , seque ad regionem renum summo cum cruciatu extendentem , ita, ut ægra nonnunquam alta voce clamaret summisque precibus auxilium expeteret , urina intensè rubebat , pulsus solitò

concitatior erat, alvus adstricta, mensiumque fluxum jam per novem menses non passa erat, hinc multis & variis medicamentis ab amicis & aliis ipsi commendatis usa, sed sine emolumento, erat, dolores enim post usum medicamentorum adeò exacerbabantur, ut in lecto se movere non auderet ægra, in hypogastrio interdum aliquid instar magni pugni moveri & volvi dicebat, appetitus prorsus prostratus erat, somnumque ob atrocissimos dolores per totas noctes capiebat nullum, unde summè debilis reddita, tandem à me auxilium & consilium expetebat. Consideratis itaque omnibus circumstantiis, spasmo uteri & circumjacentium partium, ægram affligi dicebam, quod ex dolore in hypogastrio super os pubis per intervalla redeunte & sensatione ponderis magnitudine instar pugni se volventis judicabam. Quapropter curam sequenti modo aggrediebar, primò ad alvum lubricandum & fœcum excretionem stimulandum præscribebam Clysterem sequentem. ℞ Decocti emoll. & Carminativi ana ℥V. Elect. de baccis lauri diaphoen. ana ℥j. ol. rutac. chamom. ana ℥ij. Essent. castor. ℥j ſ. Sal. comm. ℥j. M.F. Clyster, deinde sequentem Mixturam internè sumendam, ordinabam, de quâ singulis tribus horis ſo. guttas in quocunque vehiculo adsumere cogebatur. ℞. Spirit. antepileptic. ℥iij. Essent. anodyn. ℥j. bis tantum sumserat de hac mixtura ægra, cum summum levamen sentiret, & sequenti nocte optimè dormiret, dolores tamen non omnimodè remittebant, ideoque altero die rediens, continuationem antedictæ Mixturæ per totum diem suadebam, quod etiam factum, unde ægra adeò seblevabatur, ut è lecto surgere, & in sella sedere posset, cum verò de die nullos amplius dolores sentiret, noctu verò & simulac lectum repeteret illi aliquantulum redirent, dabam Theriacæ cœlestis Gr. iij. sub introitum lecti deglutienda, quibus per tres noctes continuatis prorsus à doloribus liberabatur, remanente saltem pondere in hypogastrio, cum murmuribus & rugitibus intestinorum, à quibus etiam prorsus levabatur & in integrum restituebatur, postquam per aliquot dies de sequenti Mixtura bis aut ter in die sexaginta guttas adsumserat. ℞. Spirit. Carmin. Sylv. ℥ij. Essent. Castor- Cort. Aurant. Zedoar-anodyon. ana ℥j. MD. ad vitr.

(*Die 6. Maji, 1701. Berolino-Norimbergam missæ.*

OBSERVATIO XXXIIX.

Dn. D. WILHELMI HULDERICI WALDSCHMIDII.

De Admiranda Memoriæ felicitate ruſtici cujusdam Holſati.

QUamvis hominum divina Memoria Prædítorum plurimæ hinc inde, apud *Plinium* præſertim, *Cœlium Rhodiginum*, *Valerium Max:* & alios, proſtent Hiſtoriæ, ſequens tamen de ruſtico Holſato digna mihi viſa eſt, quæ ab oblivione vindicata, in perpetuam rei memoriam hic legatur. Vixit antè duos hos vel tres annos, in diſtrictu Ducatus Sleſvicenſis, qui ſinum *Edenfœrdenſem* inter & *Schleiam* fluvium ad aliquot milliaria protenſus vulgò *Schvvanzen* appellatur, Ruſticus, ob paupertatem oſtiatim victum quærens, ſexaginta & plurium annorum, qui loco Dominicæ orationis, aut aliarum precum, quas mendicantes plerumque fundere ſolent, conciones recitavit, per viginti annorum ſpacium, per tot dies Dominicales in templo à ſe auditas, tali quidem cum promptitudine, ut ſi ad hoc vel illud Evangelium à *Johanne Blanckio* ejusve ſucceſſore *N. Behrio*, Paſtoribus in pago nomen à regione aut diſtrictu *Schvvanzen* obtinente, (hic enim ut plurimum commoratus eſt) habitus ad populum ſermo ſacer expoſceretur, recitato poſt introitum Evangelio; integram concionem, iisdemque quibus audiverat ante plures etiam annos, verbis, cum geſtibus haud inconvenientibus ad verbum repeteret, adeò quidem accuratè, ut ſententias latinas, verba textus Originalis ſivè græca ſivè Ebraica non omitteret, rudis alias, nec legere aut ſcribere edoctus homo. Præterea verò, (quod rarum admodum apud ruſticos) fidei ſuæ rationem ex concionibus iſtis reddere poterat, imò de difficilioribus religionis Chriſtianæ dogmatibus quæſitus, talia ſubinde proferebat, quæ plures, quamvis ſibi videantur prudentiores, ſæpè ignorant. Audiverat de ſtupenda ruſtici hujus memoria *B. Sandhagius*, Superintendens generalis horum Ducatuum, eundemque ad ſe accerſitum monuit, ut ne porrò concionando ſcandalum præberet, ordinatis enim & vocatis legitimè Miniſtris munus hoc ſolùm competere: huic intrepidè reſpondit, pauperculum ſe & ad labores ineptum, nihil aliud didiciſſe quo victum comparare queat, Deum verò hanc ſibi conceſſiſſe gratiam

tiam ut omnes, quas à viginti annis audiviſſet conciones, memoria teneret, easdemque coram piis hominibus ſe recitare, nec magis ſe peccare quàm alios, qui Dominicam, aut alias orationes oſtiatim recitant. Quæſitus verò de diverſis confeſſionis & fidei capitibus, maximè reverendo huic Præſuli non ſinè voluptate ſatisfecit, tandemque obtenta libertate ut priſtina ratione ſtipem quæreret & præmiſſa pro munuſculo oblato, gratiarum actione, ut ſibi etiam liceret quæſtionem proponere, veniam petiit, quâ ſibi conceſſa, quæſivit, unde malefici Ægyptiorum hauſerint aquam iſtam, quam incantationibus ſuis verterunt in ſanguinem, Moſes enim omnem Ægypti aquam in ſanguinem converterat, ipſo textu Exod. 7. verſ 19. innuente ubi legimus, *Jehovam ad Moſen dixiſſe: Dic ad Aaron, tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluvios ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in ſanguinem: & ſit cruor in omni terra Ægypti, tàm in ligneis vaſis quam in Saxeis & verſ. 21.* ſubjicitur, *fuiſſe ſanguinem in tota terra Ægypti.* Cùm verò adſtantes unam vel alteram hâc de re ſententiam in medium protuliſſent, quas tamen inſufficientes exiſtimabat, hanc tanquam textui magis conſonam ſuppeditavit: ſumpſiſſe nempè maleficos iſtam aquam, quam ſecundum verſ. 24. ejusdem capitis *Ægyptii foderunt per circuitum fluminis, ut biberent.* Quæ ſanè ratio cùm Theologis nonnullis & in ſpecie *Toſſano* comm. ad S. Biblia arriſerit, non longe petendum eſſe, quod in promptu eſt, exiſtimamus.

Ite nunc, & encomiis celebrate veſtrum Carneaden Græci, Scipionem Romani, Pappum Germani: hic Ruſticus ob memoriæ felicitatem omnibus comparandus, quod ſi cultura & eruditio acceſſiſſent, niſi omnibus anteponendus, parem tamen vix ac ne vix quidem habiturus fuiſſet.

OBSERVATIO XXXIX.

Dn. D. WILHELMI HULDERICI WALDSCHMIDII.

De ſabulo aurei ſplendoris in urina calculoſi.

FIgulus hujus loci, quinquaginta circiter annorum, ſub initia currentis anni, ex renum calculo laborat, cum urinæ ſuppreſſione, vomitu, intenſiſſimis abdominis & lumborum doloribus, ſiti, calore

lalore febrili &c. ego in consilium vocatus, adhibitis illis, quæ alias ex arte commendantur, essentiam præscripsi ex spiritu tartari, essentiis terebinthinæ, castorei & anodyna *Zvvælfferi*, ter de die guttatim hauriendam, unde statim insigne levamen percepit, excretâ cum urinâ materiâ sabulosâ, quæ fundo matulæ adhærens & exsiccata, splendorem aureum exhibebat, instar arenæ istius scriptoriæ, quam à fulgore aureo Flunckes Sand Germani solent appellare, prorsusque diversam à sedimento sabuloso quod in urinis alias cernere licet; evidenti testimonio, quod, sicut diversi generis calculi, porosi nempè & leves, lateritii, silicei & marmorei, albicantes, fusci &c. in corpore humano generantur, ita diversam requiri materiam, quæ in duritiem coacta; gemmas istas microcosmicas producit.

OBSERVATIO XL.

Dn. D. WILHELMI HALDERICI WALDSCHMIDII.

De præposiero calidiorum usu in febribus acutis.

AUreum istud *Hippocratis* effatum, quod libro *de humoribus* legimus, *concocta* nempè, *medicamentis purgantibus agitanda esse, non cruda*, quamvis arctis adeò limitibus circumscribi nequeat, ut ad sola purgantia, (quod verba habent) pertineat, sed ad alios quoquoque evacuandi modos idem extendendum esse, ratio suadeat & experientia; à plurimis tamen Medicis, in curandis febribus acutis maximo eum ægrotantium damno, alto contemni supercilio quotidie videmus, dum statim im principio calidiora exhibent remedia, quibus materiam morbificam ex sanguine vel per sudorem vel alias vias evacuare contendunt; non attendentes, sanguini satis inflammato, intimius junctas esse partes heterogeneas, (quod vel urinæ crudæ loquuntur) eundemque hoc tempore ad depurationem ineptum esse, imò materiam peccantem sanguini, per calida remedia magis exagitato intimius misceri, atque cum evidenti periculo vitæ aut ad caput ferri, aut alia viscera & phrenitidem, anxietates, convulsiones, sudores symptomaticos pessimaque alia symptomata producere. Hoc ipsum in variolarum cura aliquoties vidi, ubi vel ex regimine calidiori, vel ab exhibitis statim sub morbi initium sudoriferis, aut nullæ planè apparuere variolæ, mixtâ nempè & confusâ

fusâ materia peccante adeò arctè sanguini, ut nullo modo ab eodem potuerit separari; aut pustulæ catervatim prodeuntes instar granorum milii sub cute hæserunt, quæ evacuato & expulso per intempestivum sudorem sero, quod pustulas attollere & ad debitum maturitatis gradum deducere debebat, nulla arte ad debitam magnitudinem & suppurationem deduci potuerunt, morientibus intra paucos dies ægris. Rectiùs igitùr in principio febrium acutarum usurpantur testacea leviter adstringentibus mixta, & talia, quæ sanguinis motum intestinum coërcent, eundemque ad eam mediocritatem reducunt, quæ perficiendæ depurationi idonea est.

OBSERVATIO XLI.

Dn. D. WILHELMI HULDERICI WALDSCHMIDII.

De

Hydrope, unico purgante temerariè licet exhibito, feliciter curato.

CUr agyrtæ, temerariæ mulierculæ, circumforanei & hujus farinæ alii, illotis quod dicitur manibus, Æsculapii fanum subeuntes homines nequam, feliciùs sæpè curent morbos desperatos, quàm Medici dogmatici, perpendenti mihi, nulla sanè alia occurrit ratio, quàm *fortunam audaces juvare*; Medicus enim plurima observat obstacula, quæ cœci hi Medicastri non vident, famæq; suæ studiosus, anceps & cum periculo conjunctum fugit remedium. Unde haud rarò observamus hydropicos, à Medicis derelictos ab agyrtis sanari, exhibito solùm purgante aliquo fortissimo: quod ante paucos annos in helluone & strenuo spiritus frumenti potatore vidi; huic enim à pluribus mensibus ascitico circumforaneus exhibuerat tantam gummi gottæ quantitatem, quam tribus solidis emere licet, seu drachmas duas; (integra enim uncia duodecim solidis, seu quarta parte imperialis venit) dosi usque adeò excedente, ut hac sola 12. minimum rusticos validissimos ad plures annos purgare licuisset. Sed tantum abfuit, ut ascitico huic nocumento fuerit, ut potiùs evacuata ἄνω καὶ κάτω per plures, ad animi deliquium continuatos secessus, seri copia maxima, abdominis tumor penitus evanuerit, ægerque cum sanitate in pristi-

nam gratiam redierit. Interim ex hoc & similibus, summo cum periculo institutis experimentis videmus, purgantia ferè sola sufficere in curando hydrope, modo viscera fuerint illæsa, imò si tale obtinere potest remedium, quod post catharsin per diuresin operatur, haud facilè de hydropico esse desperandum.

OBSERVATIO XLII.

Dn. D. WILHELMI HULDERICI WALDSCHMIDII.

De

Hydrope, purgantibus potiùs quàm sudoriferis curando.

PRæcedenti Observationi aliam hic, majori tamen cum prudentia per purgans instituta hydropis curam, subjungere placet: Generosi cujusdam Baronis uxor, dum in prædio ejus, faciendæ Medicinæ ergò dego, historiam mihi narrat de rustica quadam, ob ingentem abdominis tumorem à biennio lecto affixa, quæ intollerabili noctu dieq; affligente dolore miserè vexata, firmiter crederet animal quoddam vivum in abdomine ejus contineri, quod mordendo aut unguibus vellicando hos cruciatus excitaret, siquidem ipsa motum quendam in imo ventre accuratè perciperet; simulq; rogavit illustris hæc Matrona ut quando domum proficiscerer, ad pagum Grossen Berckau dictum, & à via ordinaria haud procul dissitum, diverterer, atque miserandum rusticæ hujus statum ipse explorarem. Annui huic desiderio & cum duobus Studiosis itineri comitibus *Thysio* Gædanensi, & *Petersonio* Slesvicense horrendum offendo spectaculum, mulierem quadraginta & quod excurrit annorum, facie Hippocratica, summeq; extenuatis artubus conspicuam, ita ut totius corporis nutrimentum soli abdomini accessisse nobis fuerit visum; ad tantam enim altitudinem ejus excreverat tumor, ut exporrectis brachiis amplecti eum nequiret ægra, imò ad genua ferè propendebat, in lectoq; ad pedis unius latitudinem lumborum ambitum utrinque excedebat. Attoniti monstrum hoc intuebamur, & cùm nulla spes convalescendi superesset, rogatus, ut pro mitigando saltem dolore aliquid suppeditarem, promptum me exhibui. Sed quid hic faciendum, ubi lympha illa extravasata acris, opii in magna quantitate à Chirurgo exhibiti,

vim

vim prorsus eluderet? Ambigens de purgante cogitavi, quod bonam lymphæ hujus partem evacuando, tensionem membranarum impediret, & vellicationi Spicularum acidarum mederetur: hunc in finem electuarium hydragogum *Sylvii*, purgans elegantissimum ad unciam unam exhibui, memor saluberrimi *Parentis* b. m. moniti de hydrope, aut *fortiter purgandum*, *aut non purgandum*, præsertim cum hydropici, quamvis difficiliùs purgentur, facilè tamen ferant purgantia. Mirum dictu, quanta aquarum copia per secessum fuerit deturbata, ita ut concidente abdomine & cessante dolore pristina munia obire potuerit mulier. Quòd si sudoriferis hanc curam tentassem, irritum in me suscepissem laborem, probè utique conscius, tantam aquarum copiam per ambitum corporis abdominisq; musculos nunquam posse evacuari, etiamsi æger in laconico sæpiùs sudaret, cum maxima non solùm virium prostratione, sed, quod benè notandum, major humoribus lentor & visciditas, imò gelatinosa constitutio ope sudorum conciliatur, quicquid enim fluidum est, poros transit, relictis partibus viscidioribus & ad motum minus aptis, nihil itaque mirum, si post sudores pejùs se habeant hydropici, & ob materiæ ab exhausta parte fluidiore relictæ, majorem visciditatem & lentorem, summam respirandi difficultatem incurrant.

[*Missæ Kiliâ Norimbergam d. 6. Maji A. 1701.*]

OBSERVATIO XLIII.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De

Ossibus inter pleuram & tunicam pulmonum genitis.

VIR Nobilissimus & Consultissimus, Serenissimæ Domui Brandenburgicæ triginta circiter & quod excurrit annos à Consiliis & Secretis in Ducatu Pomeraniæ Ulterioris, cujus in appendice anni quinti & sexti, Dec. 3. Ephemerid. literæ extant de Hemicrania periodicâ satis exactæ conscriptæ, uti dum viveret scientiæ ac prudentiæ haud vulgaris exemplar fuit, sic postquàm vivere desiit in cadavere suo exenterato phænomeni in Medicinâ oppido rari exemplum reliquit. Ossa nimirùm plurima, majora duo, quorum figuram adjectum schema, quantum periculo, ob poros, cryptas ac mæandros infinitos assequi datum, exprimit, minora & minima innumera superficie-

tenus & perfunctoriè pleuræ & costis prope spinam dorsi, ubi pleura mediastinum inchoat, inter hanc & tunicam pulmonum lobi præsertim inferioris, licet & superior ab illis non esset planè immunis, in latere sinistro adhærentes, adeò, ut digitis haud magno negotio separarari potuerint; substantia illis verè quidem ossea, non tamen exactè solida, sed valdè cavernosa, porosa & spongiosa quasi, hinc nec satis duræ aut firmæ, sed facilè fragilis compagis, nec superficies eis levis est, sed tam exterior, quæ costas respiciebat & convexa quadantenus est, quam interior, quæ pulmonum tunicam tangebat, sic satis aspera, ut haud immeritò mirum cuiquam videri posset, pleuram & pulmonum tunicam adtritum illorum sine insigni dolore ferre tamdiu potuisse, de quo tamen nunquam, quod sciam, conquestus fuit, etsi à quinquaginta annis ipsi amicus & quidem sat familiaris, & ille per plurimos annos hypochondriaco malo obnoxius, indeq; valetudinarius, ope & consilio meo sæpissimè usus fuerit. Anno 1694. morbo Epidemio maligno tum temporis in Pomerania grassante, correptus, & Medicorum illic præsentium consilio ab illo tandem liberatus, post hebdomadas aliquot, ejusdem Anni, Mensis Martii, die sextâ recidivam validam admodùm passus, cum capitis fervore deliquium minante cruciatus, non expectato Medici consilio, eundem temperaturus, inconsideratò admodùm, & inauspicatò, linteum actu frigidum ac madidum nudo applicuisset capiti, in paralysin incidit linguæ & dextri lateris valdè gravem, & ab illâ vix & nonnisi longo tempore & haud exiguo Medicorum labore, astipulante divinâ misericordiâ, liberatus, Catarrho in pulmones derivato, tussim passus est diuturnam ac valdè violentam, adeóque ferinam, cujus occasione tandem hæmoptoë, cum sputo quandoque purulento & sanioso; per intervalla tamen, nonnunquam satis longa recurrente, (utpote quæ anno, obitum proximè præcedente 1700. à 30. Aprilis ad 15. Januarii. Anni hujus sequentis 170 sicq; 278. dies planè ferè subsitit, exindè verò occasione potiunculæ vini, aliquot guttis aquæ Cinnamomi, pro reparandis viribus conditæ, proprio consilio assumtæ, recruduit, & ad extremum usque halitum cum tussi illâ molestâ, pectoris angustiâ ac cordis tremore perseveravit, sed incerta initio, remittens supervenit, cui & cordis trepidationes & asphyxiæ cum angoribus inde natis & lipothymiis, licet hæ rariùs, accesserint. Unde perpetuò ferè symptomatum illorum metu anxiâ & solicitâ de valetudine curâ districtus, diætam servavit suo modo satis strictam, licet non semper satis

satis accuratam, & juxta normam medicam institutam; Vitam autem ad sæculi hujus septimi annum primum currentem ob ingravescentia indies magis funesta illa accidentia, vires sensim exhaurientia, recrudescente insuper aliquamdiu, illâ in epistola supradictâ descriptâ Hemicraniâ lamentabili, & aliquantisper indies, per intervalla satis atrociter sæviente, traxit valde afflictam: Donec accedente demùm febri lenta continuâ, cum accessionibus frequentibus sed inordinatis, una cum continua tussi, hæmoptoë, cordis palpitationibus, identidem recurrentibus ac nocturnam præsertim quietem turbantibus, post frustra adhibita tam aliorum Medicorum celebrium, quam mea consilia & remedia morborum & symptomatum oneri succubuit.

Verùm quæ ossium prædictorum generationis causa & occasio, materia aut fiendi ratio fuerit, dignum foret ingeniosæ & accuratæ considerationis physiologicæ objectum, in quo eruendo, ingenia me magis oculata & vegeta exercendi semet invenirent occasionem; Ego hac parte, fateor, Davus sum non Oedipus; Si tamen & meæ detur qualicunque conjecturæ locus, quod primum concernit, occasionem huic malo præbuisse suspicor casum, quem mihi beatus quondam familiaria inter colloquia narravit, quo in venatione leporem aut vulpem, quicquid horum sit, memor â enim hâc in parte non satis fideliter succurrit, eques avidiùs insectans, equo graviter cespitante humi violenter stratus, pectus solo enormiter allisit, indeque male aliquousque habuit, superante tamen juventâ & naturæ bonitate noxa n, postea posthabuit; Vim autem thoraci aliquando factam, pulmones, sinistro illo latere parte anteriori, versùs sternum firmissimè costis cohærentes, adeò ut vi haud exiguâ separandi fuerint, satis apertè loquebantur. Hinc quoque factum puto, quod piè defunctus corpore utplurimùm in sinistrum latus paululùm reclinante incesserit. Circa materiam unde, & fiendi modum, quo scilicet ossa illa istîc loci, loco nimirùm planè ut videtur alieno & ad partum ejusmodi producendum primâ fronte inepto fuerint producta, plus erit negotii; Præsertim cum illîc, ubi ossa illa pleuræ & hâc mediante costis adhærebant, nullus læsionis, saltem ullum notabile, vestigium apparet remotis ossibus. Si quod suspicor, & hîc proferre licet, reor, costas & pleuram utut impetu illo & allisione ad terram notabiliter non fuerint sauciatæ aut fractæ, vim tamen ac læsionem satis magnam passas esse, cujus occasione pars quædam roris costarum nutritii,

illarum nutritioni, nimirùm dicati per porulos periostei initio violenter excussus, per pleuræ porulos in illam cavitatem successivè transudarit, & insitâ ad coagulationem osseam dispositione illic spatium aliquod inveniens, cum tempore in illam formam compingi potuerit; Verùm objiciet forsitan aliquis, inflammationem potius ab extravasato illo humore expectandam fuisse, quam osseam compagem; Ast cum nec vera fuerit nec simultanea extravasatio, non vera, utpote quæ non è vasis, sed è porosâ medullæ costarum substantia excussa; nec simultanea sed successiva; Nec locus inflammationi idoneus, utpote spatium quadantenus vacuum & utrinque tunicâ septum, hinc circulationi sanguinis non officiens, nec obstructionem pororum in fibris, nec stagnationem in vasis efficiens aut admittens; Nec materia ad inflammandum satis apta, ossibus nempe solum nutriendis destinatus humor, non sanguis, sed à sanguine jam sequestratus ros, seu cambium, uti veteres vocârunt, ossibus jamjam agglutinandum, omni hinc acrimoniâ destitutum, adeoque nec ad inflammationem, nec, excluso omni aëris externi aditu, ad corruptionem aut putredinem, sed cooperante calore ad coagulationem osseam solùm habile; Frustra haud dubiè nodus in scirpo quæritur.

Fig. V. Ossis maximi superficiem exteriorem pulmones spectantem parum convexam exhibet cum suis cavernis.

Fig. VI. Idem resupinatum, & interiori costas respicienti facie concavam paulum monstrat.

Fig. VII. Alterum os priori paulo minus, externâ parte aliquatenus convexâ apparens.

Fig. VIII. Idem parte adversâ parumper concavum.

OBSERVATIO XLIV.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De

Horrendo & inaudito hactenus vulnere.

DEcuriæ Ephemeridum tertiæ anno primo Obs. 85. Vulnus horrendum palo abdomini inflictum, Curiosis communicavi, nunc aliud multò magis abominandum dabo, integram nimirum in una persona

Fig: V. pag. 62 Fig: VI.





Fig: VII.



Fig: VIII.



Dec. III. Ann



sona vitæ humanæ tragœdiam. Catharina Schultzen 43. circiter annorum, Schwerini, in Metropoli Ducatus Megapolitani nata, Georgio de Ayen, Locum tenenti, ut vocant, in exercitu Brandenburgico nupta, cui in obsidione Fortalitii Namurcensis ante annos quinque & quod excurrit, globus tormenti majoris, caput præcedenti die amputaverat, in castris præ foribus tugurii stans, inopinato necis mariti nuntio, terrore simul & mœrore immani perculsa, ac mente ferè mota, dum tremulis & cespitantibus gressibus tentorium subire tentat, lipothymiâ correptâ cadit, ac abdomen, gemino fœtu jam ferè maturo immensum turgens saxo, crepidine latâ simulque acutâ, è solo eminenti, foribus proximè adjacenti violentissimè impingit, sicque tensas abdominis tunicas sub umbilico ab uno ilium latere ad alterum transversim findit, adeò, ut cum intestinis & utero simul rupto gemelli præmaturè excuterentur (narrata ex ore ipsius patientis refero, fidem fortè nonnullorum superantia.) Ex Lipothymiâ aut Syncope potiùs ab accurrentibus difficulter satis tandem excitata, intestina cum utero rupto & gemellis in alveum colligere, ac linteis & pulvinaribus fovere coacta, donec vehiculo, cum in castris obstetrice destituta, ritè tractari aut debitè curari non posset, imposita, in urbem S. Ieucas inde disitam, Mechelen dictam, delata, & à Gemellis illis abortivis quatuordecim dies superviventibus, & secundinâ per obstetricem liberata, ulteriùs Antverpiam in nosocomium, quod illic celeberrimum est, translata fuit. Istic à Medicis & Chirurgis nosocomii, ut & Religiosis mulierculis clinicis, diu solicitè curata & tractata, ac quoniam intestina, quæ initio non satis circumspectè & ordinatè collecta & alveo imposita fuerant, hinc valdè, motu fortassis peristaltico illorum ad confusionem quoque aliquid contribuente, intricata & contorta, commodè explicari extricari & in alveum alvi jam tractu temporis ex parte utrinque coalescentem, ordine justo reponi non possent, hinc variis iisque calidis fomentorum generibus adhibitis refota, tamdiu donec omentum primò, post & Ilii pars (suspicor extrema, cæco & coli valvulæ proxima, quia corporis adhuc nutritio superstes) computruit, dilacerata & à colo ac reliquâ intestinorum parte separata fuit. Unde omnia ciborum digestorum, post separatum chylum, reliqua secrementa, quæ hactenus, transitu ad ordinaria emunctoria præcluso, regurgitarant, & per os nonnisi summis & tremendis molestiis & angoribus nonnunquam & convulsionibus horrendis excernenda fuerant, sanatis utrinque & ad umbilicum

usque

usque ferè coadunatis rupturæ illius immanis & stupendæ labiis, ac cicatrice digitos minimùm duos ad tres usque transversos latâ, obductis, relicto sub ipso umbilico tres circiter digitos transversos longo hiatu, per quem intestini illud dictum extremum, proximè ipsi internè appendens, contenta sua posthac exoneravit: Quare, ne illa fortè intempestivè, unâ cum intestini prædicto illo extremo & parte reliquorum ex aperturâ hâc, & continuè elaberentur, fasciis initio & pulvillis vulnus illud hians, præsertim si surgere aut ambulare cogeretur, coërcere tentarunt. Verùm ne sic quidem satis tutam præstiterunt: Quin non unâ ipsi vice major illorum pars inter ambulandum exciderit, & maximâ cum difficultate ac periculo vitæ rursus intrudenda fuerit. Adeò ut de curtandâ illâ intestini prolabentis parte Medicos inter & Chirurgos actum, ac terminus illi operationi peragendæ jam præstitutus, imò medicamentum narcoticum ægræ illâ tamen in quem finem ignorante, sopiendæ propinandum, in promtu jam esset, atque dubio procul propinatum fuisset, nisi ejus scopum Discipulus illud apportans prodidisset, quare ab ægra hoc rescisscente recusatum. Divinâ tandem nunquam satis ipsi præsertim depredicandâ Providentiâ opportunè accidit, ut Præsul Cœnobii proximè Nosocomio adjacentis, illâ ipsâ die, cujus sequenti manè peragenda fuerat operatio, Româ à Jubilæo reversus, ac à Medicorum illorum uno salutatus, casum hunc admirandum & detestandum consilium de curtandâ intestini & auferendâ ejus parte ex illo audiens, summoperè hoc dissuaserit, ipseq; ægram cum Medico illo sequenti manè inviserit, ac explorato calamitoso illius statu, simulq; vulneris conditione & situ, de instrumento, exactè quadrante pro intestinis intra abdomen cohibendis ac coërcendis, simulq; excrementis per extremum illorum elabentibus aptè recipiendis idoneo & portatili cogitare cœperit. Id quod facto prius è gypsi molli modulo, alvi & vulneris situi ac figuræ accuratè convenienti, juxta moduli illius formam ex orichalco fieri curavit vasculum, cujus figuram Schema adjectum exhibet. Quo corpori arctè alligato & loris diversis firmato, ut loco moveri nequeat, ægrâ ambulare, licet ægrè & non sine molestiâ potuit. Hâc ratione quadantenus restituta, quod religionem mutare detrectaret, nosocomio eliminata, reditum in patriam tentans è Brabantiâ in Hollandiam, indeq; Hamburgum, illâc huc tandem venit inops opis & consilii, & ut inopiæ suæ remedium aliquot inveniret proborum quorundam suasu Medicinæ curioso Dn. D. Johanna Schockroitz, mile-

miseriam suam detegit, cujus interventu à Collegio Regio Medico duobus Collegii membris. Mihi Vice-Decano ac Domino Doctori Johanni Pancovio Collegii Secretario, negotium datur, unâ cum prædicto Intercessore, ac duobus Chirurgis, Johanne Sägero & Johanne Christophoro Martini, illam visere & in statum illius inquirere, quo facto & exploratâ ejus calamitate, testimonium à Collegio impetravit, cujus beneficio piorum plurimorum obtentis eleemosynis & subsidiis, vitam nunc hic, licet satis ob incommoda illius vulneris insanabilis innumera, utpote per quod non modò ciborum & potus recrementa, sed & suo tempore Menstrua, tam rubra quam alba; non sine insigni molestiâ & interdum etiam doloribus & angoribus vehementibus (exautorato nunc penitus tam renum quam vesicæ, ut & uteri & vaginæ Illius officio, excernenda sunt; unde, si quando extremum illud Ilii foramini appendens crassamentis ciborum digestorum obturatur, Ileum adhuc quoque nonnunquam patitur calamitosum) oppidò miseram, interim aliquatenus tolerabilem trahit.

Vasculum superius memoratum, quod excipiendis fluentibus jugiter, præsertim sub distributionis Chyli tempore, sordibus dicatum, rotundum est, capsulæ, quibus magna documentorum publicorum sigilla includuntur, ad instar ferè fabrefactum, spithamam aut paulò plus latum, quatuor circiter digitos transversos amplum, anteriori quâ ventrem respicit, parte, paulum concavum, externè convexum. Concava illius pars initio corio, ne metallum cutem frigore aut alias læderet, munita; postquam autem id ob continuum madorem brevi computruit, linteum aliquoties duplicatum sæpiùsque mutandum corio substitutum fuit. Externè quatuor ansis validis instructum, quibus lora annecti possint, applicando firmiter & arctiùs astringendo dicto vasculo apta. In concavæ superficiei parte superiori, foramen est triquetrum, cujus basis pollices tres transversos lata, ipsi abdominis hiatui sub umbilico, ut hunc simul capiat, exactissimè applicandum, ad recipiendas ex intestini extremo & alvo fæces cujuscunque generis, donec vasculum ad marginem usque foraminis plenum, quod toties rursus per alterum in adversâ convexâ parte factum foramen ejusdem formæ & capacitatis, operculo, ne quid excidere inopportunè possit, exactè clausum, suo tempore deplendum, quod ipsum de die aliquoties, non nisi insigni molestiâ, corpore antrorsum valdè protracto, & unius robusti aut duorum ope

sustentato, fieri potest ac debet. Unde ut tardiùs impleatur ac tantæ molestiæ compendium fiat, rarò, ut ait, prandet, sed cœnâ solâ & potu modico contenta ut plurimum esse cogitur, sic enim citiùs quem par est, per intestina diffluit & importunè effluit. Nocte tota supina cubare tenetur, quo cloacam illam portatilem tantisper, per seponere & commodius quiescere possit, illo quippe corporis positu cibus totam fere noctem in ventriculo moratur, & seriùs, ac ut plurimum manè demum, applicatâ rursus illa latrinâ, corpore erecto elabitur. Si quando meliorum defectu flatulenta commederit, miserè torquetur; hinc ipsi omnia esculenta talia cane pejus aut angue vitanda. Id tandem prætereundum non est, nullum in excrementis ex Illii extremo foràs elabentibus fœtorem stercoreum aut putridum fuisse animadversum.

IX. Figurarum a. Notat umbilicum b. vestigia horrendæ cicatricis. c. Intestini tenuis extremitatem internè propendentem, ac fæces superfluas exturbantem. d. Vulneris necessariò insanabilis situm & indicium sub umbilico.

Latrinam X. portatilem cum loris suis & fibulis explicat, ac indicat a. capsulæ corpus & quidem superiorem ejus & convexam superficiem. b. Foramina aperta, interius fæces excipiens, & exteriùs iisdem exonerandis dicatum, sibi invicem exactè respondentia. c. Operculum, superiori & exteriori foramini claudendo destinatum, resupinatum. dddd. Ansas quatuor cum fibulis & loris capsulæ alvo exactè applicandæ & firmandæ, servientes. e. Lorum supernè bifidum, humeris utrinque applicandum ac per dorsum descendens reunitum, postquam interfemineum transmisit, inferiori capsulæ ansæ circa g. fibulâ applicandum, & satis firmiter astringendum, ad sustinendam supernè & firmandam infernè capsulam, ne ab alvo recedere possit. f. Cingulum ansæ sinistræ firmiter annexum, lorum e. ambiens & in dextro latere fibulæ h. inserendum, Capsulæ in medio abdomine firmandæ aptum.

XI. a. Dorsum capsulæ: b. operculum, foramen exterius claudens: c. retinaculum operculi. dddd. quatuor ansas notat.

XII. a. Concavam capsulæ faciem monstrat. b. Foramina interius & exterius sibi respondentia designat.

SCHOLIUM.

QUæ Nobilissimus Dominus Author de hoc Casu ulteriùs Anno 1701, d. 22. August. Præsidi retulit, subjungere libet; femi-

IX

nam

Fig: IX.



Fig: X.



Fig: XI.



Fig: XII.



IX et X



minam nempe hanc, postquam extremitas intestini propendens vel putredine abscessit, vel in corpus retracta fuit, omnium excrementorum in cavitatem abdominis exonerationem esse passam, ex qua dein multa cum difficultate & dolore eadem per vulnus extrudere necesse habuit: unde instituta denuo ejusdem inquisitione, in nosocomium publicum ut deduceretur, majorque ibi ejus cura haberetur, decretum fuisse; ipsam verò, eorum, qui hactenus ejusdem necessitati, quamvis satis perfunctoriè, inservierunt atque eleemosinarum, quas pietas aliorum ipsi submiserat, fructu hucusque gavisi fuerunt, qua jam carere cogerentur, persuasione, uti verisimile videtur, permotam, clam sese subduxisse, adeoque adcuratam post mortem, quæ in hoc rerum statu vix longe abesse poterat, viscerum investigationem subtraxisse.

OBSERVATIO XLV.

Dn. D. GUSTAVI GAHRLIEP.

De Calculis per octennium ferè in urethrâ gestatis.

SCriniarius, hujus Metropolis facilè primarius, cui nomen Luko 45. annorum fortè, lithiasi octo abhinc annis correptus ac urinæ suppressionem aliqualem aliquandiu non sine gravi molestiâ passus, nil minus, quam de calculo cogitans, sed stranguriâ solâ se affligi, vel carunculam quandam aut phlegmatis coagulati frustula utethram occupasse, illamque obstruere opinatus, ut ea tandem amoliatur & molestiâ eatenus perpessâ aliquatenus sublevetur, stylum ferreum sibi fieri curat, altero extremo scutulo rotundo instructum ad instar rudiculæ, quo obstacula urinæ, quoties illa urgere incipit, submovet & deorsum propellendo, liberum illi effluxum conciliat, sicque molestiam, cui jam aliquatenus assveverat, tolerabiliorem reddens, aliquot annos patienter suffert, nec aliud remedium quærit. Donec tandem aliquando stylum paulò violentiùs ingerendo, extremitatem illam orbiculo munitam, inter calculos duos anteriores sub ipsâ glande hærentes inserit ac dum eundem rursus extrahere more solito allaborat, hærere illum ac remoram pati animadvertit, ideoque majorem adhibendo vim, calculum unâ cum stylo unum, non sine ingenti dolore extrahit, sicque errorem, quem hactenus foverat deprehendit, ac quales illi fuerint in urethrâ hospi-

spites ingrati docetur. Itaque Chirurgum consulit, idem enim remedium iterare, & pares experiri dolores horruit. Ille varia interna & externa tentat, sed frustra; ideoque sectionem in glande suadet; Verùm hoc remedium malo ipso, jam familiari, adeoque tolerabili atrocius respuit. Tandem occasione aliquâ sic ferente, nuper mihi, tam illud diuturnum incommodum, quam à Chirurgo suasum auxilium refert, meumque de illo consilium petit. Dissuasi sectionem ac turundam exiguam jussi parare, è radice Gentianæ, pollicem transversum longam, alterâ extremitate tenuiorem, alterâ crassiorem, in medio, crassitie glandis penis orificii capacitati respondentem, illamque oleo amygdalarum delibutam, mediam ad supereminentem, ut, si res ita exigeret, eximi rursus prolubitu possit, alteram partem orificio illi ingerere, ac per noctem illic relinquere, Quæ si turgescendo orificium illud nondum pro exitu calculorum satis ampliaverit, manè aliam paulò crassiorem & ampliato orificio parem, eâdem lege inderet, sic fore, ut ampliatum satis orificium calculis sponte cum urinâ exitum sit concessurum. Paret & effectus intentioni meæ & ipsius voto respondet. Perendie enim reversus, primâ quidem vice nondum successisse, postridie verò urinam urgentem, calculos unâ cum obturaculo secundo, felicissimè excussisse, seque nunc ab illis tortoribus, DEI gratiâ plenè liberatum. Quorum tamen duos tantum, pisum majusculum circiter aut semen lupinorum alborum æquantes, in matula invenerit, (quos mihi non exactè rotundos sed planiformes monstravit, quorum Schema communico) quorsum reliqui (quinque enim illic hæsisse putabat) cum epistomio evaserint, sibi non constare, præventum se enim à lotio violenter erumpente, adeò ut maturè satis non potuerit arripere matracium.

Fig. XIII.

OBESRVATIO XLVI.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Gallina cœca pilulis Cochiis curata.

Ridiculum forte cuiquam videbitur, attamen, verissimum est, & observatione haud omninò indignum, quod referam. Amicus mihi


Fig: XIII.
Calculi octennium in urethrâ haerentes

spites ingrati docetur. Itaque Chirurgum consulit, idem enim remedium iterare, & pares experiri dolores horruit. Ille varia interna & externa tentat, sed frustra; ideoque sectionem in glande suadet; Verùm hoc remedium malo ipso, jam familiari, adeoque tolerabili atrocius respuit. Tandem occasione aliquâ sic ferente, nuper mihi, tam illud diuturnum incommodum, quàm à Chirurgo suasum auxilium refert, meumque de illo consilium petit. Dissuasi sectionem ac turundam exiguam jussi parare, è radice Gentianæ, pollicem transversum longam, alterâ extremitate tenuiorem, alterâ crassiorem, in medio, crassitie glandis penis orificii c[illegible] respondentem, illamque oleo amygdalarum delibutam, [illegible] pereminentem, ut, si res ita exigeret, eximi rursus [illegible] teram partem orificio illi ingerere, ac per r[illegible] Quæ si turgescendo orificium illud nond[illegible] satis ampliaverit, manè aliam paulò c[illegible] parem, eâdem lege inderet, sic fo[illegible] calculis sponte cum urinâ exitum sit[illegible] intentioni meæ & ipsius voto respo[illegible] primâ quidem vice nondum succes[illegible] gentem, calculos unâ cum obturaci[illegible] seque nunc ab illis tortoribus, DE. gratia plenè liberatum. Quorum tamen duos tantum, pisum majusculum circiter aut semen lupinorum alborum æquantes, in matula invenerit, (quos mihi non exactè rotundos sed planiformes monstravit, quorum Schema communico) quorsum reliqui (quinque enim illîc hæsisse putabat) cum epistomio evaserint, sibi non constare, præventum se enim à lotio violenter erumpente, adeò ut maturè satis non potuerit arripere matracium.

Fig. XIII.

OBESRVATIO XLVI.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Gallina cœca pilulis Cochliis curata.

Ridiculum forte cuiquam videbitur, attamen, verissimum est, & observatione haud omninò indignum, quod referam. Amicus mihi

mihi plurimùm honorandus à Secretis Cameræ redituum Regiæ, magnus chortalium amator, cujus ab uxore fide dignissimâ hoc habeo, gallinam inter alias alebat; è grandium genere, & staturâ & formâ, galero nimirum speciosè cristato, ac plumis eleganter variegatis valdè spectabilem, ob autumnale autem frigus & tempestatem nimbosam, capiti & oculis à defluxione gravi tumefactis occæcatam, cui varia adhibuerat, tam interna euporista, quàm externa & topica, collyria etiam, & nescio quæ non, sed irrito planè successu, adeo ut visu fuerit penitus privata. Tandem de restitutione ejus jam ferè desperans, ne quid intentatum relinqueret, pilularum cochiarum aliquot (de dosi referenti non constabat) ipsius gulæ ingerit, à quibus gallina validè purgata integram recuperavit cum visu sanitatem.

[*A.* 1701. *d.* 21. *Maji Berolino Augustam Vind. Missæ.*]

OBSERVATIO XLVII.

Dn. D. WILHELMI ROMBERG.

De Verme in Hepate.

LApsa Saturni die in hepatis vesiculæque fellis structuram, ob alias rationes inquisiturus, afferri mihi curabam hepar vitulinum recens exenteratum: Obstupui autem cum vasa Sanguinea majora atque minora digitis perciperem indurata instar funiculotum, quare incisione facta; vena portæ cum Ramificationibus Scirrhosa, densa & tantum non cartilaginea apparebat, copiosissimis & innumeris in farcta vermibus cucurbitinis dictis: Sequutus ramificationes, iidem innumeri cum sanguine fusco male & instar fimi equini fœtente prorumpebant, ita ut in extima substantia hepatis, vasa capillaria ab his, sed (pro ratione venarum amplitudinis) minoribus inhabitarentur; Parenchymate reliquo ab omni Labe immuni. Ulterius hoc spectaculum rimaturo, subveniens uxor mea, (ut hoc hominum genus assolet, nauseam capiens, hepar subtraxit atque in cloacam conjecit, ut ita certo affirmare non possim, an vesicula fellis similes aluerit hospites, nec ne. Interim vermes ipsi vivebant adhuc & instrumento leviter tacti sese corrugabant, videbantur ex totidem cincinnis compositi, capite, rostello, ut & ore præditi, externâ figurâ Lati, ex asse soleas pisces quales Monspelii & Perpigniani

niani olim comediſſe memini, referebant, vaſis ſanguiferis copioſis transparentibus, uti ex adjecta figura videre Licet; An iſti Vermes intra ſubſtantiam membranoſam venarum hepatis ex ſuis ovulis excluſi fuerint? an ex inteſtinis jam excluſi, cum ſanguine venoſo eo delati ſint, hic non diſquiram, priori tamen opinioni potius ſubſcriberem.

(*Manhemio d. 21. Jun. A. 1701. Baſileam ad Excel. Dn. D. Harderum miſſa.*

Fig. XIV. Vermis Cucurbitini dorſum exhibet.
a. Prominentia quædam caput indicans.
b b b. Vaſa innumera per dorſum excurrentia.

Fig. XV. Vermis Cucurbitini Ventrem exhibet.
a. Orificium exiguum in acuminata capitis parte conſpicuum.
b. Roſtellum exiguum.
c. Orificium majus ſatis apertum.
d d d. Vaſa transparentia.

OBSERVATIO XLVIII.

Dn. D. JOHAN. ÆGID. EUTH.

De Oligaimiâ.

NOn lævo hîc ſiſto tempore ὀλιγαιμίαν, è quâ Oeconomiæ noſtræ Animali, vix pax ac ſalus: quippe ſanguinis penuria & abſentia, omnibus & ſingulis confeſtim adimit augmentum, robur, ſanitatem, die atteſtantur toto, Hæmorrhagiæ enormes cunctæ, Lypothymiæ frequentes, multifariæ obſtructiones, morbi chronici, Vulnera graviter inflicta, color faciei pallidus vel luridus, veriſſimum, ὀκοῖον τὸ αἷμα, ὀκοῖον τὸ χρώς. Abſurdè ridentur vulnera, quibus propere eſt opus medico.

Mille modis morimur.

Regia atque commoda proin animadvertenda eſt medendi via, quantò ocyùs ſanguis deſciſcit circumgyrans miſcellus, cum lymphâ, bile, aëre, tantò maturius redintegrandus:

Pon-

Fig. XIV. pag. 70



Fig. XV. pag. 70.



niani olim comediſſe memini, referebant, vaſis ſanguiferis copioſis transparentibus, uti ex adjecta figura videre Licet; An iſti Vermes intra ſubſtantiam membranoſam venarum hepatis ex ſuis ovulis excluſi fuerint? an ex inteſtinis jam excluſi, cum ſanguine venoſo eo delati ſint, hic non diſquiram, priori tamen opinioni potius ſubſcriberem.

(*Manhemio d. 21. Jun. A. 1701. Baſileam ad Excel. Dn. D. Harderum miſſa.*

Fig. XIV. Vermis (
a. Promi
bbb. Va
Fig. XV. Vermis (
a. Orific
cuu
b. Roſte
c. Orific
ddd. Va

Dn. D.

NOn lævo hîc ſitio tempore ὀλιγαιμίαν, è quâ Oeconomiæ noſtræ Animali, vix pax ac ſalus: quippe ſanguinis penuria & abſentia, omnibus & ſingulis confeſtim adimit augmentum, robur, ſanitatem, die atteſtantur toto, Hæmorrhagiæ enormes cunctæ, Lypothymiæ frequentes, multifariæ obſtructiones, morbi chronici, Vulnera graviter inflicta, color faciei pallidus vel luridus, veriſſimum, ὀκοῖον τὸ αἷμα, ὀκοῖον τὸ χρώς. Abſurdè ridentur vulnera, quibus propere eſt opus medico.

Mille modis morimur.

Regia atque commoda proin animadvertenda eſt medendi via, quantò ocyùs ſanguis deſciſcit circumgyrans miſcellus, cum lymphâ, bile, aëre, tantò maturius redintegrandus:

Pon-

Pondere, mensurâ & numero DEUS omnia fecit.

Alioquin periculosæ aleæ plena fit res, jugeque virium decrementum, σοφρόνως Hippocrates. Ἰητρικὴ γὰρ ἐστὶ πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις, φάρμακα χεῖρες Θεῶν. Triplici reverâ in fonte, præmissis præmittendis, excellit Fons Diæteticus, alimenta εὔχυμα καὶ εὔπεπτα, potenter nutrientia suppeditans per ἐπίκρασιν, ordine & decenter ad ὀλιγαιμίαν properè & prosperè tollendam, ut prolixè *in Agonismate meo de Hydrope curioso, capite decimo*, tertiâ jam vice edito, deduxi. Sanguinis videlicet qui Clinicis deficit, resarciendus, instaurandus, ἐς ἀκριβείαν sorbilibus analepticis, Sacræ Artis filiis perspicacibus sat notis. Ῥᾶον πληροῦσθαι ποτοῦ, ἢ σιτίου Deîn solidioribus, ne unum in scopulum bis impingatur, malumque foveatur, in analysi quod ultimum in curatione certè est primum, congruenter de κυκλοφορίᾳ sanguinis Virgilius:

Volvitur ille movens calidum de pectore flumen.

De cœtero, cui mens haud læva, inficias ibit nullatenus *Helmontii* enitentis & contendentis, temerarios, in regimen diæteticum Medicinâ arcendum, insulsus, irritos omnimodè existere, nemine forsitan contradicente, quapropter.

Quod fecit, ferat, hæc fuerit directio juris.

Mihi nuper addere placuit calcar, ad pervulganda & edenda scripta mea hactenus abdita, aque arbitris remota ac libera, quod inpræsentiarum haud cunctanter absque arbitris facio, facturusque quotannis, DEO vitam mihi concessuro. Æquitas, juxtà & necessitas efflagitat, ut non minori curâ de sanguinis vitio, quod in defectu fundatur, quàm quod inexcessu, (Homines immensæ gulæ & bibacitatis confirmant,) egerim, non enim de lanâ est caprinâ, nubes ac inania captans minimè. Omne opus difficile videtur, antequàm tentes, ingeniaque ætheria gaudent motu, atque hæc semper comitari adsuevit invidia:

Eventus varios res nova semper habet.

Specimem si desideras, Fœminas adi respiceque Lactantes, marcescentes quandoque adeò, ut consumantur totæ, atque lacte quasi diffluant, ad has minùs solers præcantor felixque depulsor Medicus accersitus, atque magnâ Medicamentorum absonorum mole mallet pugnare annon aberraret ac alienissimus à certâ notitiâ ac verâ me-

methodo medendi ? absque quâ, Ars vacillat ac titubat omninò, remediumque invenire nescia esset. Apage sis tali cum curatione, provoles, ut decet fasque est, ad ablactationem, atque concredas infantem nutrici forti & incolumi, prælaudatæ Mulieres cum alumnis, inculpatæ reddentur actutùm sanitati. Non aurum tàm aureum, quàm sanitas.

Porrò mulierculis gravi è morbo convalescentibus, haud protinùs menstrua fluent, quoniam in his, sæviente morbo, pretiosus valdè succus est exhaustus, ergò ὀλιγαιμίᾳ, suppressione mensium neutiquàm laborant.

Ἐυεξίαν eheu in ὀλιγαιμίαν Practici mutant crebro insulsi à tonstrinâ prosulti, largissimâ Venæsectione atque pernicioſissimâ hypercatharsi, ut duritate hâc, mortales vitam cum morte commutare cogantur, quamvis sint Athletæ, siquidem evacuationes omnes ad extremum tendentes, ut sunt periculosæ, ita & refectiones, nam prosternunt naturam,(optimam morborum medicatricem,) quæ ducenda, non cogenda, Vice plùs simplici, in meâ observavi praxi. Rei cibariæ inopia & subtractio, sanguinis producit inopiam, *Prophe-ta Ezechiel* capite decimo quartò consolidat, nec non Civitates longâ obsidione cinctæ ac oppressæ, quæ sæpiusculè franguntur fame, nam sine Baccho & Venere, ut friget Venus, sic & Mars, hinc

Pestis, Bella, Fames absint, Pax vivida vivat:
Pax JESU CHRISTI sit Dux in tempore tristi.

OBSERVATIO XLIX.

Dn. D. JOHAN. ÆGID. EUTH.

De manuum ambarum curvaturâ & ἀδυναμίᾳ.

ANNO Christi 1676. die 19. Decembr. Trajecti ad Rhenum, cum Serenissimo meo Principe Isennacense FRIDERICO AUGUSTO νῦν ἐν ἀγλοις, commorans, jussa Hujus simul adspectans, ad Pigmentarii Veldmans triginta novem annorum uxorem, in consilium accersitus iatricum, omni commiseratione dignam, onerique maximo, marito atque suæ proli numerosæ quaternis à mensibus, manuum ambarum impotentiâ, motus, haud sensus difficultate ac contortione dolorificâ conflictatam adspexi, prægressis verborum asperrimorum fulminibus, cum bibaculâ anu in viciniâ, è gravissimâ

ἐκλύσει

ἔκλυσει, quasi fulmine afflata horrifico, ut miserrima recenset, non sine appetitus prostratione, alvi constipatione, agrypniâ & cephalalgiâ; interdum

Contrà naturam est, nativam tollere labem.

Pensitatis ritè pensitandis, præmemoratam valdè tristem uxorem, bonis ac curtis erigo verbis; curationis spem adhuc affulgere ediffero, ad animi tranquillitatem, patientiam & obedientiam ἰκανῶς exhortor, mihi respondens illicô, dixit. Domine Doctor, ut Socrati Xenophon, sic Tibi obtemperabo, subridiculè huic historiarum gnaræ regessi, Thaletis igitur summum exoptas Bonum καλὸν τί. Impossibile Ægros, rursum prorsum cursitantes, inque sex rebus nonnaturalibus peccantes restaurare: Intricatissimum ac negotii ardui aggredior Affectum, Vino Medicato eliminante, Zymoma lancinans, austerum, nervis inimicum, massamque perreptans circulantem. Systema nervosum, nervorumque corroboro principium:

Spiritu matrico-cephalico, Catapotiis specificis, Mixturâ Nervinâ. Speciebus appropriatis, at ἐυλάκτως tamen καὶ εὐσχημόνως, quibus intra binorum Mensium intervallum, ALTISSIMO ita volente, pertinacis mali minera notabiliter eruta, remanente duntaxat manus sinistræ curvaturâ, (vulgò contracturâ,) asperitate, impotentiâ, hanc nec Topicis penetrantissimis, centiesq; pertentatis, nec Tripsibus fortibus, paralyticorum more, domare nequivi. Asylum denicq; extremum, Thermas, opportuno usurpandas esse tempore suasi, quas tamen adire non cuilibet licet. Ægrorum cunctationem, morbos curabiles & parvos sæpenumero, deploratos & incurabiles progignere prognaviter, in propatulo est, apud Senes ἐπὶ πολὺ, quia in his:

Sanguis hebet, frigent effœtæ in corpore vires
Nil labor aut studium, nil Panacea juvat.

SCHOLIUM.

UT in lætitiâ animi fit effusio, sic in dolore contractio. Motus cujusvis animalis ac voluntarii integritas & perfectio, annon egregium DEI donum? Dominus Stein Augustanus, Hagæ Comitis annos retrò triginta, uxoris inductu ac suasu, Officium Scribæ dimidio charius, de aliquo, oculatâ non cœca emerat die, paulò post Dominus Stein, obitu extinguitur repentino; quid accidit? Vidua eheu in chronicam delabitur Anian, ex hâc in deploratissimam artuum

contortionem ac rigiditatem universalem, sicque lecto manet affixa per viginti & quod excurrit annos, mense Majo 1699. ex hâc miseriarum valle beatissimè eximitur:

Mors optata recedit,
At cum tristis erit, præcipitata venit.

Duos è Selandiâ optimè novi Primates ditissimos, Patrem & Filium. Pater exstitit ἐμπροσθότονος, annorum fermè octoginta, nuper mortuus: Filius verò quinquaginta sex, in vivis adhuc, & quod bene notandum, ὀπισθότονος, quamvis impensas egerit vel fecerit maximas, tam ad Thermas Germanicas, quam Gallicanas. Lenius omne malum fit, leniter ferendo, aliàs

Intolerabilius nihil est, quàm dives avarus
Quàm rarò egregios sortitur pauper honores.
Difficile est, tristi fingere mente jocum.

Cæterùm τρισμῷ Vexillifer laborat Brittannicus, haud dissentit Forestus l. 10. Obs. 118.

Insuper curvipedem, spasmico è motu, filiolam meam Ernestinam Charlottam sex annorum, ultrà mensem habui integrum DEO T. O. M. singularibus adhibitis benedicente, nunc rectissimam habeo in eundo, acutè libro tertio *Lucretius*:

Quin etiam subitò vi Morbi sæpè coactus
Ante oculos aliquis nostros, (ut fulminis ictu)
Concidit, & spumas agit, ingemit & tremit artus,
Desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat,
Inconstanter & in jactando membra fatigat.

OBSERVATIO L.

Dn. D. JOAN. ÆGIDII EUTH.

De Phlegmone ac ejus progenie.

Filius viginti annorum, à gravitate paternâ in feritatem degenerans, vulgò, *vvord een Haagsee lightmiss*, nomini parco, nam:

Blanda facit segnes matrum indulgentia natos.

Cum Achate suo, exiens fornice, mersus vino & madens, ascendit currum, currentem incitat equum, huc atq; illuc cursitat, in nemore

re Hagano ad stipitem quernum offendit crus dextrum, se recipit illicò domum inque nidum calidum, benè manè de gravi conqueritur dolore, in Consilium cum Chirurgo B. advocor, accuratè offensum examinamus crus, sermones, ut moris, serimus opportunos & oculos, Phlegmonen adesse notabilem uno spiritu pronunciamus, propter φαινόμενα certa & infallibilia, quæ sunt: Tumor p. n. rubor, calor, dolor, tensio, renixus, pulsatio & subindè Febris, cum nostro in Clinico, videlicet à perturbata sanguinis efferveſcentis missione, extravasatione, vellicatione, stagnatione, condensatione: Ex conjunctione spiritus vitrioli cum Terebinthinæ oleo, annon producitur calor? Veri Practici veritatem rei indesinenter & sedulò investigant fidelibus experimentis, Puri puti Theoretici præjudiciis suis occœcati, experientiam sæpicule negabunt, muscas tantùm captantes, castellaque in aëre extruentes;

Me trahit artis amor veri studium q; sciendi.

Inflammationis quapropter τέκμαρσις inchoata fuit non repellentibus, queis inexperti utuntur Practici, quæ Phlegmonen revera augebunt, graviorem reddent, massamque incrassabunt rotantem. Perspicaces simul scíscitentur ex ægris, quod non vilipendendum, num Emplastra & Linimenta ferre queant, nec ne? Ad exitum devitandum tragicum, nostro in Clinico pinguia penitùs omittere coacti fuimus atque recto tramite transire ad Cataplasmata & Fotus facultate incidendi, attenuandi, resolvendi, discutiendi præditos, e. g.

℞. *Herb. absynth. abrotan. mar.*
arthemis. scord. calamintb. an. mj.
Fl. cham. Rom. cheyr.
melilot. sambuc. an. mß.

Incisa lento coque igne in vino, exprime, Fotui linteamina immittenda, madida ac tepida parti affectæ lege artis applicanda, horis semper alternis renovanda ad accelerandam curationem, suprac; lintea duplicata vel triplicata, pannus obduci potest albus laneus Anglicanus Vlanæll, ne tam citò particulæ avolare queant balsamicæ ac volatiles. Interna simùl per vices administranda, sic brevi mirum impetravimus effectum, in citato Ægro & pluribus aliis.

℞. *Aq. omn. fl. ritè præparat. pector. comp. an. ℥ij.*
prophyl. S. ℥iij.

Spir. ſtom. compoſ. maſtich. ℥ß.
Tinct. traum. n. d. ℈ij.
Pulv. Anglic. ʒ *diaph. an.* ℈j.
Nepenth. ⊙ *ſol. gr.* ij.
Syr. fl. tun. ʒvj. M. D. in Vitr.

Nihil reticebo quod ſciam adhuc de A. H. proſtibulam nummatam F. N. Hagæ Comitis in matrimonium ducente, quod per ſex duntaxat duravit ſeptimanas, ſiquidem memoratus, anni initio, horâ octavâ veſpertinâ è diverſorio aggeris Leydenſis egreſſus, dennò inſedit currui, ex hoc paulò poſt delapſus in fluvium alluentem, in eo ſuffocatus, ex eo extractus, decenter viſitatus, elapſoque octiduo, veſpertino tempore Magnatum more ſolito, amplâ cum pompâ in Eccleſia fuit ſepultus Hagienſe.

Ebrietas ut vera nocet, ſic ficta juvabit:
Scribatur Portis: Meretrix eſt janua Mortis.

Præter cætera, per Phlegmones intelligo progeniem, ſuppurationem, Phlegmone, reſolventibus fortioribus ſi non cedat, ſed potiùs obſervetur inclinare ad ſuppurationem, tunc hæc Pharmacis emollientibus ſat notis, quâcunque in forma uſurpatis, commodè ac ſine ingenti dolore promoveatur. Suppurationis ſigna ſunt Diagnoſtica ut plurimùm, albedo, mollities, eminentia, protuberantia, ſymptomatum recenſitorum diminutio: Tumore, quacunque in parte ad maturitatem probè perducto, apertio toties, quoties licet, cum evitatione vaſorum omnium ſedulâ, tutiſſimè à Chirurgo peragenda eſt, ſcolopomachærio, cauterio mox actuali, mox potentiali. In abſceſſus magni apertione, pus unâ non egrediatur vice, propter συνδρομὴν ſymptomatum periculoſorum. Dein cum cognitione ac judicio inſtituatur mundificatio, incarnatio, cicatricis acceleratio.

Mundificatio, medicamentis abſolvitur mundificantibus, qualia ſunt inter ſimplicia, Rad. ariſtoloch. long. gentian. Succus libanot. cent min. Myrrh. Mercur. præcipit. inter compoſita. Ung. Ægypt. Apoſt. aliaq; innumera.

Incarnatio, incarnantibus ſeu ſarcoticis perficitur, rad. conſol. maj. Herb. millefol. pyrol. ſanicul. Thure, Sarcocoll. ung. aur. Balſ. Ind. Sulph. Terebinthinat. qui revera haud poſtremum occupat locum, atque utrique abundè ſatisfacit indicationi.

Cicatrix, cicatriſantibus ſeu epuloticis acceleratur Litharg. Ceruſſa,

russa, Lap. calamin. C. C. ust. ung. alb. desiccativ. rubr. empl. de cerus. diapamphol. cui summo effectu admisceatur, egregium Mercurii amalgama, artisque ut est, parti applicetur effectæ, sequenti verò conficitur modo. ℞. Plumbi optim. ʒij. probè liquefact.

add.

Argent. viv. ʒij.

Chartæ simùl infundantur & frigefacta in formam pulveris redigantur. Incommodorum sæpè leviorum fugâ, in calamitates maximas incurritur. Vulgus ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat, fragilitatisque humanæ nimia in prosperis rebus oblivio est, ἐκπλαγῶς *Lucanus.*

Solus ferrum mortemque timere,
Auri nescit amor.

Hunc Poëtam quondam in succum & sanguinem converterat, Sapiens ELECTOR Palatinatus DN. CAROLUS LUDOVICUS, gloriosæ memoriæ. Nulli mortalium Armis, Musis, aut fide antè Germanos. Nihil tam receptum Gallis, quàm frangere fidem. Fide abrogatâ, omnis humana tollitur societas. Amicitiæ immortales, mortalesq; inimicitiæ esse deberent. Constans in Inconstantia Fortüna, cuncta miscet. Est invidorum, semper ut culpent Bonos.

Tutus ubique manes, qui calliditate valebis.

Reverâ hoc ævo, nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat universis: Quid enim salvis infamiâ nummis? Publicani, ruptoresque bancæ malitiosi inquiunt audacissimè:

Quomodo muta potest violare pecunia leges.
Quid faciat, si fors cœperit illa loqui?

[*Hagâ Com. Augustam Vindelicorum. d. 12. Julii, A. 1701. missæ.*]

OBSERVATIO LI.

DN. D. MATTHÆI BLAW.

De Febre Chronica Vicennaria.

HOnesta Virgo Maria Magdalena Dommin, Civis Constantinensis, temperamenti ex natura congeniti & per vitam sedentariam ac solitariam, victusque crassioris usum, magis magisq; adaucti, valdè

melancholici & scorbutici, dum 30. & aliquot annorum ætatem ageret, corripitur febre intermittente, quotidiè circa vesperas recurrente, cum accidentibus ordinariis, frigore scil. & subsequente calore, siti, membrorum lassitudine, &c. quæ febris postquam per 6. hebdomadas perdurarit, periodum suum mutabat, & postea singulis alternis diebus paroxysmum repetiebat, sicq; per aliquot menses permanebat: Ex hac transiit in quartanam ultra annum perseverantem; tandem ex quartana mutata est rursus in quotidianam (à typo sic dictam) quotidie nimirùm post vesperas & ad noctem revertentem, quæ ultima febris, etsi quidem ægram non valde molestaret, sed levioribus symptomatibus affligeret, & vix ultra 2. horas paroxysmus duraret, tamen tam fixa & habituata evasit, ut jam per 20 & ultra aliquot annos perseverârit. Contra affectum hunc febrilem chronicum & contumaciſſimum, multa remedia & diversa tam interna quam externa antifebrilia, & nescio quæ, tam ab ipsis Medicis practicis, quàm hinc inde ab Empyricis variis commendata, sed incassum omnia sunt adhibita. Vivit etiamnum nostra febricitans, annum ætatis modò agens 58, & singulis diebus ad noctem, alterationes febriles sustinere debet, quas levis ordinariò sudor subsequitur, nec tamen febris solvitur; imó sudore vel cohibito, vel emanente, pejus se habet ægra, quæ de cætero suis functionibus sine magno impedimento inservire potest.

SCHOLIUM.

FEbrium intermittentium de una in aliam speciem transitus & varia periodorum febrilium permutatio, prorsus haud rara est; ast verò nimia hujus febris diuturnitas & ultra 20. annos extensio, rarò admodùm observari solet, uti omnes facilè contestabuntur practici, qui tam in praxi medica, quam etiam in theoria, quoad prognoses febrium in genere vel parùm versati sunt, notum est, quòd quò graviora in febribus observantur symptomata, tantò citiùs eas (quamvis majori eventûs periculo) finiri, & è contra febres, præsertim intermittentes, quantò sunt leviores & mitiores, atque in suo motu tardiores, ordinariò quidem non periculosas, chronicas tamen & solutu contumaces esse, quia pro sua causa habent fermentum febrile magis fixum, crassum, lentum, viscidum, acidum, terreum, resolutu difficile; qualis præ cæteris esse solet quartana intermittens ceu tardissima, quæ si non mox in principio eradicetur, plerumq; chronica evadit, & per

2. 3. & 4. annos durare potest; quod in hoc loco, ubi febricitans noster moratur, nil rarum est, tum propter lacum acronianum, tum Rheni effluxum, aëremq; humidum, crassum & nebulosum, præ aliis quippe morbis febres præsertim intermittentes, adeò frequentes sunt, ut nulla ferè detur febrium species, quæ in praxi ibidem non occurrat, tam quoad simplices quàm compositas, unius & diversi generis, &c.

Ast quæ in observatione proposita, fuerit prima & secunda febris species, judicatu obscurum est, eò quòd ipsa patiens de paroxysmorum febrilium accessionibus, typis, aliisq; Accidentibus ad impositionem febris pertinentibus examinata, à tanto tempore haud amplius memorare aut distinctè enarrare queat; hinc difficile certi quid de febris specie statuere, præsertim cùm facilis sit de una in aliam transitus, & composita in simplicem, & simplex in compositam, nec non quandoque duæ diversæ species conjungi, atq; una in aliam permutari possit. Crediderim tamen, probabile esse, primò fuisse *quartanam triplicem*, deinde *duplicem*, & tertio utramque in *simplicem* esse transmutatam; de qua ultima nullum est dubium, quia accessio paroxysmi de quarto in quartum inclusivè cum intermissione duorum dierum tanquam παθογνωμονικὸν quartanam intermittentem certò certiùs demonstrat: Et quemadmodum ex triplici duplex, atque ex duplici simplex facta, sic facili de causa ex simplici rursus triplex fieri potuit. Nulla enim est regula, quòd (sicut *Riverius prax. Med. lib. 17. cap. 5.* statuit.) Febris quartana antequam fuit triplex, apparuisse debeat primò simplex aut duplex; & quòd nunquam aut perquam rarissimè febris quartana à triplici incipiat, sed simplex aut duplex in eam degeneret. Imò contrarium à multiplici experientia edocti sumus, febres nimirùm intermittentes simplices, rarò & nonnisi ex erroribus quibusdam, vel in cura vel ab ægro commissis, in duplices fuisse mutatas, sed plerumq; duplices primò incipere, & in simplices abire, quod in tertianis præcipuè, utpotè frequentioribus experientiâ comprobatum est.

De cætero quoad prognosin intermittentium, notum est omnibus Practicis, nullam esse ordinariò & à potiori diuturniorem & magis chronicam ipsâ quartanâ, propter cujus contumaciam & curationis difficultatem, antiqui in Medicorum opprobrium dicere solebant: *Hydrops, quartana, Medicorum scandala plana.* Ob eandem causam quartana febris à quibusdam *Saturni filia* nominata est, & exemplis

aliorumq; observationibus notum est, eum per 12. 20. imò ultra 30. annos perseverasse, & quosdam eâ laborantes, medium vel majus vitæ temporis spatium consumpsisse, uti exempla notat *Gabelkofer Centur. 6. Observ. 74. item Wierus in observatione de quartana &c.*

An verò talis diuturna hujus febris contumacia ipsi materiæ morbificæ (ex qua primò febris orta est.) An verò consuetudini (uti *Celsus* loquitur.) adscribenda sit, meritò dubitatur, eò quòd experientiâ itidem constet, tales febres chronicas quandoq; sine ulla causæ morbiferæ excretione sensibili, sed per amuleta, schedulas appensas, nonnunquam ex incusso terrore, adeoq; solius imaginationis virtute, vel certâ commotione spirituum fuisse profligatas, qualia exempla vid. in experientissimi Boylei philosoph. experimentali exercit. 5. fol. 282. apud Timæum de Guldenklee lib. 8. cas. 20. item in pharmacia nostra lect. 1. §. 4. qualem etiam observationem annotavit Excellentissimus Dn. D. Josephus Lanzonus in Ephem. German. decur. annor. 3. an. 1. observ. 37. cum aliis ibi citatis.

Quò ad curam casûs in observatione propositi, nihil addo, eò quòd ægra plebeja, pertæsa & febri tanto tempore assuefacta ulteriorem curam respuat; cui interea propter alia accidentia bis exhibitum fuit blandum vomitorium, tanto effectu, ut præter saburræ tenacis viscidæ evacuationem, etiam febris ipsa, quoad consueta symptomata multò levior & remissior facta sit; nec dubitandum, quia si præter aëris mutationem (quam aliàs in febrium pertinacium cura summè utilem fuisse expertus sum) remediis incidentibus, alterantibus, aperitivis, absorbentibus, volatilibus & antisebrilibus uteretur, si non integram febris ablationem saltem citiorem reconvalescentiæ spem obtinere posset. Interim ulterior eventus expectandus.

OBSERVATIO LII.

Dn. D. MATTHÆI BLAW.

De

Febre Quartana chronica sæpius recidiva feliciter curata.

DUm in observatione præcedente de febre chronica vicennali (quæ utique rara est) variisq; ejus mutationibus quædam annotata sunt, placuit ob materiæ affinitatem subjungere aliam de febris quartanæ chro-

chronicæ curatione obſervatum ; non eum quidem in finem , ac ſi raritas quædam Curioſa ſubſit , ſed quòd rariſſimè aut fere nunquam cura infra præſcripta fefellerit , in illis puta corporibus curationi aptis , ubi non alia viſcerum labes aut alius gravior ſimul conjunctus affectus latet reconditus.

Obſervationes leguntur quàm plurimæ de febribus intermittentibus & ſpecialiter quartanis modô diverſiſſimo methodicè & Empiricè , feliciter tamen curatis ; ſed Empirica cum fallant ſæpius , tutior eligitur via methodica , quam alii hâc , alii alio modô inſtituunt : Ego ſalvâ meliori aliorum methodo , felici cum ſucceſſu per ſequentem viam permultos quartanarios ad ſalutis portum deduxi, uti ſequens docet obſervatio.

Reverendus quidam vicini huic urbi oppidi parochus ſexagenarius, corripiebatur quartanâ febre, tum quòad ſymptomata febrilia tum quòad pertinaciam morbi moleſtiſſimâ ; utebatur & Medicorum, & Empyricorum conſiliis & operâ , multa (neſcio quo ordine) aſſumendo alterantia , purgantia , antifebrilia & ſpecifica , ſed effectu haud alio, quàm quòd per vices paroxyſmi febriles ad breve tempus aliquod emanſerint quidem , aſt majori vehementia mox redierint. In hunc modum per integrum fere annum & patiens & Medici cum morbo conflictarunt, ita tamen eum abigere haud potuerunt, quia recidivaret. Menſe Martio ab Empyrico denuo ſumpſit febrifugum, ſed æquali effectu; poſtquàm enim per tres hebdomades febris emanſerat , ſtatim ſequenti menſe Aprili redierunt novi paroxyſmi prioribus crudeliores , licet diætam ſimul ordinatam exactè obſervaverit; unde D. Patiens tot remediorum & ſumptuum fruſtra impenſorum pertæſus, poſtquàm hoſpiti ſuo febrili moleſtiſſimo hyberna dare coactus fuerat , & ab eo penitus liberari nullo modô potuerat, medentes ſuos deſeruit & ulteriorem Remediorum præſcriptionem ab iis admittere recuſavit. Hâc occaſione meum imploraturus conſilium ipſo paroxyſmi die ſe in hanc urbem contulit, quem circa veſperas febris invaſit cum vomitu, frigore intenſiſſimo, ad quatuor horas durante, ſiti & ſubſequente æſtu permoleſto : erat inſuper etiam febricitans viribus valde debilitatus , cachecticus & ad tympanitidem diſpoſitus ita ut curam difficilem & eventum dubioſum fore prædixerim præſertim in habitu inveterato & ſubjecto ſenili ? Monui præterea, non tam ad latentis fermenti febrilis nunquam perfectè eradicati correctionem & deletionem, quàm cachexiæ & tympanitidis præſerva-

tionem, remediorum usum deinceps dirigendum esse. Itaque ab ægro confidente rogatus, præscripsi sequentem curationis methodum, quam ut accuratè observaret suasi, domique se contineret jussi.

Primò duabus ante paroxysmi invasionem horis, sumsit vomitorium ex Tartaro Emet. & Sal. absinth. sequebantur vomitus aliquot & saburra viscida & amara copiosè rejecta, paroxysmo iterum redeunte.

Secundo pulverem alterantem antifebrilem qui est: ℞. Ocul. cancrorum præparat. ʒiß. arcani dupl. ʒj. Sal absinth. Centaur. min. CB. ana ℈j. M. F. pul. Divid in 7. Doses æquales, usus hujus pulveris per 7. dies, & quidem die intermissionis manè, die verò paroxysmi, horâ unâ ante invasionem, continuabatur, sed febris eadem: Inde

Tertiò transmisi Nodulum alterantem aperitivum & laxantem ex antifebrilibus & anticachecticis in hunc modum ordinatum. ℞. Rad. ʒ. aperitiv. ana ʒij filic. Gentianæ, Calam. arom. ana ʒß. Herb. absinth. pont. Cuscut. capillorum Veneris scolopend. CB. summitat. Centaur. min. Baccar. Juniper ana Mj Cort. tamarisci. ʒij. fraxin. ʒß. fol. sen. S. ſt. ʒvj. Rhabarb. el ʒij. agar. troch. ʒiß. rad. Heileb. nigr. pp. ʒj. passul. min. mund ʒj. Chalyb pp inpetiâ ligat. ʒß. Sal. tart ʒiß sem. anis fœnic. urtic. ana ʒj. Galang. ʒiß. Mac. ʒß Croc. ℈j. Incis. irrorentur c. ol. tartari p d. & affund. Vin. alb. mens. iß. c. ▽. com. quartar iij. calid. stent. per noctem, de quo diebus intermediis sumatur quotidiè haustus, die accessionis verò, dosis pulveris antifebrilis supra præscripti ante paroxysmum. Finito hoc, Vino medicato & corpore sic dispositio, tandem.

Quartò deveni ad specifica febrifuga dicta & inspecie ad decantatum Corticem peruvianum in forma Electuarii, cujus descriptionem Prænob. & Excellentissimus Dominus Georgius Kiene medic. Doct. Celeberr. & Consul urbis Constantien. affinis & fautor quondam singularis mihi ante 20 circiter annos communicaverat, ut sequitur. ℞. Pul. Cortic. peruvian. ʒvj. Sal. antifebril. ʒiß. M. c. rob sambuc. q. s. f. Elect. Dosis ʒj. sumatur semper post tertiam horam quotidiè, etiam in ipso paroxysmo, excepto tempore somni. Similem aut fere eandem descriptionem Electuarii antifebrilis habet Excellentissimus D. Lentilius lib. 1. Miscell. pag. 250. cujus utilitatem multùm deprædicat.

Præterea præscriptum est Emplastrum febrile secundùm descriptionem D. Mich. nimirum ℞. Fuligin. furn. splend. ʒiß. terebinth. ʒvj. telæ aran. ʒj. Camph. ℈ij. ol. aran. q. s. M. pro Emplastro, extendatur super

per Corium magnitudine dimidii thaleri, & applicetur carpis manuum singulis 24. horis renovando; item Camphora ad ʒß. ligetur in petia & collo appensa gestetur circa cordis scrobiculum, seu regionem Ventriculi (NB. quibus remediis externis solùm quandoque febres cedunt)

Interim quæsivit ex me per literas Dominus Patiens, utrum venæsectionem sibi hoc tempore vernali consultam instituere liceat? quod, etsi indicantia nulla ex communi dogmaticorum regula adessent, concessi tamen sanguinem in modica quantitate è vena brachii die intermissionis emittendum. Per parenthesin hoc obiter notandum, plerosque practicos Venæsectionem pro cura febris quartanæ non admittere, neque sine hoc remedio in multis eam feliciter curasse; è contra autem observavi ante aliquot annos in Rev P. Cappucino quodam quartanâ chronicâ 15. mensibus laborante, cum omnia (uti referebat,) incassum fuissent adhibita, post celebratam phlebotomiam illico febrem fuisse profligatam: & authori nostro supra memorato communem febres intermittentes curandi fuisse methodum quod post assumtum purgans & adhibita alterantia, antifebrilia, venæsectionem instituerit, indeque ad specifica devenerit febrifuga, quod felici ut plurimum successu effectus comprobavit.

Utut verò sit, saltem in nostro casu ex instituta V. S. non solùm noxii nil sequebatur, sed febris in melius notabiliter mutabatur, dum paroxysmus subsequens, seriùs & mitiùs redibat, cum facili tolerantia; quod utrum V. S. an potius medicamentis antifebrilibus, an utrisq; simul, adscribendum sit, suo loco relinquimus.

De aliquot febrium mutationibus certior factus, Electuarium repeti & diligenter ejus usum continuare jussi, paroxysmi ulteriores sive redeant, sive emaneant. Potus ordinarius tempore totius curæ erat ▽ chalybeata, cui Spir. Sal. Armoniac. guttatim instillabatur, pro mensura una gt. XXX. Diebus intermissionis sumatur haustus vini medicati, ex herbis amaris, absinth. Centaur. min. C. B. &c. incipiente paroxysmo abstinendum à potu, usque dum calor sese in membra diffundere cæperit. Die accessionis commedat parum mane, & exspectet finem paroxysmi, nam quotiescunque in prandio aut ante febris accessionem cibos sumpsit patiens, paroxysmus rediit intensior, & in ejus principio vomitus aderat.

Hisce continuatis, rescripsit post aliquot dies Reverendus Dominus, se à febre totaliter liberatum, necquicquam de paroxysmo

ampliùs persentire ; de hac autem maximè solicitum esse, quomodo ab ulteriori recidiva præservari possit, ne (uti sæpius antea contigisset,) in pejorem statum denuo relabatur. Quare, etsi propter curam methodicè absolutam nil metuendum esset, pro majori tamen securitate præter diætam recommendavi pulverem stomachicum Birkman. quotidiè sumendum, & sequentes Pilulas præservativas.

℞. Extr. Gentian. absinth. theriac. aa. ℈ij. diaph. Martialis 3. ß. Arcan. dupl. ℈i. Myrrh ʒ. ß. Ol. Caryoph. guttas V. M. c. Tinct. Cort. chin, Chin. q. s. f. pill. granor. pond. De quibus per integrum octiduum quotidiè sumantur No. 15. postmodùm verò illis tantùm diebus, quibus paroxismi aliàs redire consueverant; Sumpsit quoq; interdum haustum acidularum Rippliſſarensium. Et sic per DEI gratiam redeuntibus paulatim viribus, appetitu & meliori corporis habitu, ex integro restitutus, sine ulteriori recidiva evasit. Atq; per hanc curandi methodum permulti alii à quartana chronica paucis pro rei exigentia & circumstantiarum varietate mutatis, feliciter curati sunt.

Cæterùm in cura quartanæ multùm æstimo clysteres, præsertim verò ubi vel alvus obstructa, vel copiosi flatus (uti sæpissimè in hac febre contingit) generantur, vel exinde tormina ventris, borborygmi aut dolores in abdomine & centro mesenterii, aut angustiæ in præcordiis percipiuntur; nec dubitandum, quin in his circumstantiis insigniter sint proficui, qui parari possunt ex decocto emolliente & carminativô, aliisq; abstergentibus & flatus discutientibus, in quibus tamen omnia acria & fortiter stimulantia omittenda sunt. ex. gr.

℞. Decoct. Emollient. Carminat. aa. ℥iiiß. dissolv. Elect. è Bacc. laur. 3vi mell. anthos. ℥j. addito Ol. chamomill. ℥iß. stillatit. Carvi ℈i. vitell. ou. no. 1. M. pro clystere. Qualis quidem etiam in nostro febricitante fuit ordinatus, sed non applicatus. Imò gloriatur Crato in suis consiliis l. 5. Cons. 26. se magni nominis virum solo usu enematum (cum alia remedia omnia aspernaretur) à quartana liberasse; addit tamen, *sed hoc fit in illis, qui initio paroxysmorum tormina ventris sentiunt.*

[*Friburgô Brisgojæ, Augustam Vind. die 13. Jul. 1701. missæ.*]

Ob-

OBSERVATIO LIII.

Dn. D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI.

De Ovo quadrato.

STupendum sanè est, quod Schultzius noster Dec. 1. Eph. ann. 3. Obs. 190. de ovo gallinaceo serpentifero consignavit. Scripsit mihi non ita pridem Amicus eruditus & fidei plenus de ovo quadrato, in quo vivus Scarabæus repertus est. Nimirùm juvencula gallina primùm excludere volens ovum, varias difficultates, molestias, doloresq; domesticis suis ostendit. Quos cùm isti parvi facerent, moritur illa. Dissecto cadavere, inveniunt ovum ferè quadratum. Justæ magnitudinis; quô apertô, latuit intus vivus Scarabæus cornutus, isq; satis magnus, sine omni vitello, cum pauco albumine.

OBSERVATIO LIV.

Dn. D. CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI.

De Contractura subitanea à vermibus.

RUsticus 23. annorum à trituratione fessus in cauponam descendit, cum sociis suis hilaria celebraturus. Altero die ne quicquam surgere nititur. ob repentinam manuum pedumq; contracturam, omnis doloris expertem. Miratur subitaneam metamorphosin, ratus, more plebejo, esse morbum à fascino inductum. Ad partes vocantur vetulæ, carnifices, judæi, & hujusmodi sterquilinia publica. Dantur varia in- & externè, cuncta sine successu. Re tandem ad Medicum delata, porrexit ille pulver. ex spec. diaturb. c rh. mag. jalap. & troch. alh. qui varios expulit vermes, quos inter unus crassior, triceps, quadrupes, cum acutâ, eâque incurvatâ, caudâ, inq; dorso acutissimis lanceis, erinacei instar, munitus. Add. Sis. notabilem hist. Fribeanar. dec. 1. Eph. ann. 3. Obs. 63. similem ferè narravit mihi olim Vir quidam religiosus ad amœnum S. Helenæ fontem in fortissima Danorum Insula Seelandiæ (quo de vid. sis Th. Bartholin. C. V. Obs. 15. quamq; ego scrutinio meo Phys. Med. hujus fontis medicati, edit 1668, integram inserui. [*Isenaco Augusti. Vind. d. 14. Julii. A. 1701. missæ*]

OBSERVATIO LV.

Dn. D. JOHANNIS MURALTI.

De

Arteriâ in venæsectione læsa.

NObil. Dn. Centurioni & Senatori Tugiensi, Wickhardo, d. 27. Novembr. A. 1700. Chirurgus in brachio sinistro venam basilicam secturus, arteriam ibidem excurrentem læsit; id quod ex sanguine cum impetu & saltu mox erumpente, nec non brachii quoad partem interiorem, à cubito ad humerum usqꝫ insigni intumescentia, atqꝫ propter extravasatum inter musculos & tendines subsistentem, neqꝫ ob vulnus cuti inflictum atqꝫ à firmirer facta deligatione consolidatum, exitum invenientem sanguinem, livore patuit. Cum verò nervum aut tendinem esse læsum fuisset creditum, tumori illi resolventia & emollientia remedia, sine tamen effectu, fuerunt imposita, usqꝫ dum exercitatus Chirurgus Ottenbacensis, Dn. Johannes Hegetschwyler, mecum d. 17. Januar. A. 1701. vocatus fuit; qui magnum in eo dolorem observantes, eundem à sanguine extravasato, atqꝫ ab aliis adfluis humoribus acriori reddito, sicqꝫ ad suppurationem vergente, oriri judicavimus; unde illius promodæ, nec non emolliendi causâ, emplastrum ex aliquibus gummibus sapone, Mercurio vivo &c. paratum, impositum, & reliquæ partes defensivis munitæ fuerunt, usqꝫ ad d. 19. Jan. ubi tumor aliquibus in locis mollior, dolorque mitior comparuit; qua methodo, cum Patiens timidus & debilis esset, ad d. 21. Chirurgus præfatus perrexit, tuncqꝫ internè juxta ulnam, quo in loco nempe majorem tumoris mollitiem deprehenderat, eundem aperuit, ex quo multum sanguinis & seri fœtidi evacuatum fuit; Arteria verò iterùm copiosum sanguinem fundere cepit, qui nec digitis, nec plagulis impositis coërceri poterat, tandem verò aquæ stypticæ, quæ ex phlegmate vitrioli, spermate ranarum, & pulvere Martis conficitur, adhibitione, cito fluere desiit, ut d. in absque impedimento deligatio decenter institui, & d. 22. vesperi, cum brachium multùm detumuisset, dolor non parùm remisisset, viresqꝫ cum somno rediissent, arteria conspici potuerit, cujus foramen obstructum & fibrillis quibusdam circumdatum comparuit; unde leni adstringente arteriæ impositio, & convenientibus digestivis superadditis

tis, brachium porrò ex arte deligavit, usq; d. 26. Januar. ubi ob materiæ copiam & cavitatum incrementum, vulnus necessariò ampliandum fuerat, quo ipso sanguini putrefacto residuo, exitus fuit paratus; sed die 27. mane, ægro in somno nimium excalefacto territoq; arteria denuò copiosum sanguinem eructare cepit. Interea ob Chirurgi prælaudati absentiam cum alius, qui ægro adsistebat, vulneris ligaturam solvere non auderet, Medicusq; tum præsens D.B. eandem dissuaderet, Dn. Patiens in misero hoc statu, cruori quasi innatans, interq; animi deliquia, quibus abigendis interdum julappii cordialis aliquid propinabatur, derelictus fuit; usq; dum vesperi prior laudatus Chirurgus reversus, arteriæ adhuc sanguinem fundenti aquam stypticam denuò imposuit, potiunculaq; confortante & sanguinis orgasmum cohibente ægroto prospectum fuit, non sine optato effectu, & somno blando per tres horas succedente. Post sanguinem putridum sensim evacuatum, tumorisq; duritiem resolutam, cavitates in brachio circa ulnam usq; ad axillam magis magisque se manifestarunt, quæ post adhibita mundificantia, & purem generantia, Mixturâ ex Elix. vitæ Ov. ʒj. Ess. Scord. ʒß. mell. chelidon. & camphor. vulneri injectâ, & imposito emplastro styptico, callositatibus verò Emplastro de gumm. adplicato, tandem sanatæ fuerunt; cum interea ego mixturis confortantibus & traumaticis, consiliisque aliis necessariis ægroto prospicerem, sicque cura intra octo septimanarum spatium perfectè, nulla brachii debilitate superstite, absolveretur.

[*Tiguro Augustam Vindelic. d. 24. Augusti, A. 1701. missa.*]

OBSERVATIO LVI.

Dn. Lic. CHRISTIANI ERIDERICI GARMANNI.

De Epilepsia à Terrore.

QUendam nomine Schweizzer anno ætatis trigesimo sexto Epilepsia crudelissima, quam infans adhuc ex terrore Phantasmatis illius Christiani, aut si veritati litare allubescat verè Diabolici, circa Festum Salvatoris Nostri recens natiubivis obvii (*Rupertum*, den Knecht Rupert vocant,) contraxerat, occubuisse in literis ante annum ad me datis, *Experientiss. Dn. D. Martinus Schurichius Poliater Dresdensis*

sis meminit. Revocat ista relatio mihi in mentem casum, qui in oppido Metallico Thun propè Annabergam anno elapso 1697. 12. December contigit. Cum quatuor Personæ ibidem S. Christum (den heiligen Christ) ut appellitare insaniam istam communiter solent, repræsentarent, Christian. D. Ruperti Personam sustinens Samuelis Fritschii, civis Thumensis, octo annorum filiam Annam Catharinam virgis cecidit, larvataque facie & terribili aspectu ita concussit, ut in morbum oppido incidens, Epilepsia post aliquot dierum lapsum viribus fracta miserè cum anno vitam finiret. Dicere ista calamitosa vultui isti Batavo animato potuisset, quod apud *Terent.* (*Andr. act. 4. sc. 5. v. 22.*) *Dano Mysis*:

Dii Te eradicent, ita me miseram territas.

SCHOLIUM.

§. 1. Blandimentis edecumatis, Ludicrisque infantibus infantes & puerulos olim & nunc, vagitur eorum temperaturæ, haud imprudenter tractare, & sopire animum irritatum consuevere Nutrices, næniisque suavisonis ἀγρυπνίαν demulcere. Græcis id non improbatum, qui hujusmodi Nutricum cantiones καταβαυκαλήσεις renuntiaret. Exemplum *apud Theodorethum* (*in Heraïsco*) videns, ubi mater Gemellos καταβαυκαλᾷ, quod & (*Lexico suo Philologico*) inseruit *Mathias Marsinius.* Probat id νηνίατον ipsorum, è quo Neniam (ita rectius quam vulgò Nænia scribitur) suam condidere Romani, quamvis & τὸ δὲ Νηνία τὸν ἐξὶ μὲν Φρύγων *apud Julium Pollucem* (*alleg. Joh. Kirchmanno l. 2. d. Fun. Romanor. c. 6 p. 96.*) legatur. Placuit ejus nomen Italis cum Aquitanis Mammis seu Nutricibus, quæ inde Nenarum nomen asciverunt, quod *J. C. Scaliger* (*l. 1. d. Re Poët. c. 50. p. 129.* observat, & suavem cantilenam Ninna, Ninna, plorantibus & inquietis infantibus intonant, *Filio Josepho Scaligero* (*l. 2. Lect. Auson. c. 11 p. 116.*) *id suggerente.* Has si *Friderico Taubmanno* (*Comment. ad Plaut. Pseudol. A. 5. s. 1. p. 868.* auscultes, Franconicæ, quin & Misnicæ nostræ mulieres æmulantur: Ninna / Ninna / Sause du / und Sause liebe Ninne was nistelt im Stroh / &c. canentes. *B. Theander noster Lutherus* idcircò id devoto isti Natalitiis Servatoris sacro Hymno: Vom Himmel hoch da komm ich her &c. inseruit:

Davon ich allzeit frölich sey
Zu springen / singen immer frey
Das rechte Susaninne schon.

§. 2

§. 2. Nena ſ. Ninne igitur, ut dictum Nutricem exprimit; Nenia verò non ſolum funebrem inuſum tractam lamentationem, prout *Chriſtiano Becmanno autore (de orig. 22. p. 742.)* Ni Hebræis eſt lamentum, & neni planctus denotat,

Carmenq; minoribus umbris.

Utile

ut habet *(l. 6. Thebaid. v. 123.)* Statius. Quare & ab Hebræa promanâſſe *(in not. ad Feſtum)* cenſuit *Scaliger.* Significat demùm infantem cunis impoſitum. Suſaninne igitur aut puellum omni melle ſuaviorem (cum Nin Hebræis etiam ſit puer,) aut ſi Suſe è Belgico deducas, quieſce puer, exprimit; aut dulcem ſuavemque cantilenam ſ. næniolam (μέλος τὸ κηλητήριον, cantionem ſeu illicium ad aures & animum deliniendum egregiè Suſaninne vertit *in Hellenod. Lutheran. n. 4. p. 9. Georgius Leuſchnerus)* de quo iterum evolvendus (*c. l.*) *Math. Marſinius.* Alias Chriſtianos & pios ad cunas infantum cantandas odas compoſuit olim *induſtrius & devotus Theologus B. Joh. Matheſius.*

§. 3. La, la, la, la, etiam ad cunarum motum, ſomnii capeſſendi gratia, intonabant, aut quando Lac ſugebant tenelli, quod ſuo tempore in uſu fuiſſe *Joſephus Scaliger (l. 2. Lect. Auſon. c. 11. p. 117.)* annotat. Unde Lalla & Lallus melodiam ad cunas, & lallare ejusmodi odam canere ſignificat. In quem ſenſum (*Epiſt. 17.*) *Auſonius*:

Sic iſte qui Gnatus tuus.
Flos floſculorum Romuli
Nutricis inter lemmata
Lallíq; ſomniferos modos
Sueſcat peritis fabulis.
Simul jocari & ludere.

Vidimus nos in Scotia nutriculas miras harum nugarum artifices ad conciliandos pueris ſomnos, ut eas audire non invenuſtum mihi ἀκρόαμα viſum fuerit *Joſ. Scaliger (c. l.)* ſubjunxit. Forſitan & laxis uberum pellibus mater, arata jugis fronte antiquum referens mammæ lallare *B. Hieron. (T. 1. Op. Epiſt. 1. p. 2.)* ſcripſit, ubi lallare, quo mater ad ſugendum lac infantem invitat interpretatur *Eraſmus (in h. l. p. 4.)* & *Marianus Victorius Rheatinus (in Schol. in h. l. p. 14.)* ut pappare idipſum quod edere eſt. Cui noſtrum Päppe pulticula infantum & Pappen vel Päppen edere originem debet ſuam.

§. 4. Nenias alias ſuavi & lepido carminis genere in gratiam

Lucioli sui duodecim numero *Romano stylo festivus Joh. Jovian. Pontanus* (*vid. carmin. p. 2. l. 2, de Amor. Conjug. á p. 167. ad 224.*) lectu non indignas composuit. Clausit, judice *J. C. Scaligero* (*l. 1 d. R. poët. c. 50. p. 129.*) Carminis hujus angustiis divinus ille vir ita lasciviam immensi ingenii, ut aliorum excluserit audaciam. *E duodecima* hos delibo versiculos:

Pupe bone, en cape chare tuas mi pupule mammas,
Pupule belle meus, bellule pupe meus.
Suge canam Tibi Neniolam: ne Nenia nonne
Nota Tibi nata est Nenia Neniola?
Pupe meus, pupille meus, ne Nenia nonne
Nate Tibi nota est Nenia Neniola?
Belle meus, mellite meus, ne Nenia nonne
Nota Tibi nate est Nenia Neniola?

§. 5. Grandiores facti, quo lacrymis parcant abstineantque ploratibus, passerculos, pupulos oculeos, panes, accipiunt, quibus se avocare possint *Scripsit Arnobius* (*l. 7. adv. Gent. p. m. 211.*) Et *Plinius junior.* (*l. 4. Epist. 2.*) Habeat puer mannulos multos junctos & solutos, canes majores minoresque, Luscinias, Psittacos, Merulas. Ita ap. *Plautum* (*Captiv. a. 5 s. 4. v. 5.*)

Ubi illo adveni quasi patritii pueris, ut merula.
Aut avites, aut coturnices dantur queis lusitent
Itidem hic mihi advenienti upupa, qui me delectet data est.

§. 6. Sed & præterea Nutrices, gerariæ infantum, Pædagogi, quin & Parentes ipsi, & quibus infantum cura demandata, ridiculis, vanis & absurdis fabulis, Terriculis, larvis, monstrosisque idolis personatorum Dæmonum imagines referentibus, timorem, formidinem & pavorem tenellis incutere satagunt. Id verò non solùm apud nos, sed & apud omnes ferè nationes obtinuisse ex Antiquitate constat. Flosculos quosdam ex eadem legere, nostræque huic observationi inserere, cum nusquam in fasciculum collectos & exhibitos eos hactenus invenerim, animus est. Quod namque ferè à teneris colui studium, senex abominari religionem duco, senectutis tædium & morbosas difficultates emendaturus.

§. 7. Verba s. narrationes hic offendas offendas & Phantasmata & Idola, eaque larvas nominare consueverunt. Larvas has ex homini-

minibus factas Dæmones ajunt, qui malè meriti fuerint, quorum naturæ esse dicitur parvulos in angulis terrore tenebrosis, si Isidorum (l. 8. in fine) sequaris. Sunt & Idola artificialia ficta & picta. Fabulas poëticas de monstrosis Deorum Dearumque larvis & Metamorphosi, nocturnisque eorum apparitionibus jam *Platonis* tempore in hunc usum tractas, *ex Eodem* (*Dial. de Republ. 2. f. m. 225. a.*) cognoscere licet. Spectant huc Lamiarum turres & pectines Solis; de quibus ista *Tertullianus* (*l. adv. Valentin. p. 388.*) jam si & in totam fabulam initietur, nonne tale aliquid dabitur te in infantia inter somnj difficultates à Nutricula audisse Lamiæ turres & Solis pectines. Lamiæ autem turres non malè vocabimus res in speciem formidabiles, quibus tamen periculi nihil insit: eò quod Lamiæ ad territandos pueros institutæ nomina fuerint, ut ex Aristophanis interprete instigare licet, *prout rectè judicat* (*in Adag. ed. nov. p. 306. Erasmus.*

§. 8. Fuere & Græcis Acco & Alphito mulieres, quorum denominatione pueros à malorum studio *Plutarchi* (*l. d. Repugnant stoic. p. m. 16.*) *testimonio* revocabant. De posteriore ex Autorum lectione nihil cognitum; de priore è variis ista *Cœl. Rhodiginus* (*l. 17. var. lect. c. 15. col 894.*) Fuit Acco ejus delirii, ut cum se amplius contemplaretur in speculo, sicuti *in Epitome Paræmiarum Tarræi & Didymi* relatum invenio, imaginem suam perinde ac mulierem alteram alloqueretur, innueret, sum murmuraret, arrideret, interdum comminaretur, promitteret, subblandiretur, & quicquid confabulantes solent, numeris omnibus impleret. Nec satis, argumentum vesaniæ alterum: Scribunt alii etiam clavos nonnunquam spongia veluti malleo impingere conatam. Isto verò furoris genere ad grandem & horrendam maciem redacta, ut *Strigis* instar in puerorum torrorem cesserit.

§. 9. Μορμὼ ejusdem generis Terriculamentum apud Poëtas & Comicos Græcos in Scenam introducitur.

ἐχ' ἀξῶ τὸ τέκνον Μορμὼ, δάκνει ἵππος,

Non Te una ducam fili, larva (foris est) mordet equus.

Praxinoë ap. Theocrit. (idyll. 15. v. 40.) filium tenerum alloquitur & terret. Vocem μορμὼ ἐπιφώνημα Græcum esse hoc loco: Interjectionem latinam, quæ pro φεῦ in abominatione ponitur, *annotavit* (*in h. l. p. 76.*) quidem *Dan. Heinsius*, ut sit φεῦ ὁ ἵππος δάκνει, vel φεῦ τῷ ἵππῳ δάκνοντος. Alio tamen sensu exposuit *Scholiastes Græcus Zarch.*

Caliergus Cretensis (*in Schol. p. 215.*) Ἀπέστρεψε τὸν λόγον πρὸς τὸ παιδίον τὸ κλαῖον, καὶ φησὶν ἔκ ἄξω σε τέκνον μετ' ἐμοῦ, ὅτι ἡ μόνωψ ἵππος δάκνει. Convertit orationem ad puerum lacrymantem: Non te una ducam fili, quod Larva Equus mordet. Μορμών, όνος ap. *Aristoph.* (*in Acharnens. A. 2. s. 6. v. 12.* occurrit:

Απένεγκε μοι τον μορμόνα,

Terriculum (*vertit Nic. Frischlin.*) *adimas mihi.*

ὅθεν καὶ τὰ προσωπεῖα μορμολυκεῖα ἔλεγον *addidit Theocriti Scholiastes.* In una lampade, quam possedit *Joh. Smetius* (*Antiquit. Neomag. p. 112.*) erat caput Mormonis pendentibus utrinque cincinnis, hiante immensum ore. Sed Manducus forsan fuit, non Mormo. Μορμολύκειον periisse Mormonem multis persuasum, ut ex μορμὼ & λύκος conbinetur, cum etiam λύκον minentur quidam apud nos (der Wolff/das Gespenst) pueris lacrymantibus, quod non *placuit Martinio* (*in Lex. philol.*) qui id ἀπὸ τῆς μορμολύττειν à terrendo commodius deduci non sine causa hariolatur.

§. 20. Gorgo in hunc censum etiam venit cum Sororibus, de quibus *Joh. Boccasius* (*l. 10. Geneal. Deor. c. 10. p. 245.*) *Natal. Comes* (*l. 7. mythol. c. 12. p. 743.*) *Martin. Delrio Comment in Senec. med. v. 831.*) Lamia Latinis vocabatur. Scripsit *Duris* (*l. 2. Rer. Lybicor.*) commentatur *laudatus Comes* (*c. l. p. 744.* Lamiam unam tantum fuisse, mulierem forma præstantissimam, quam cum Jupiter compressisset, fecit Juno, ut interirent, quæ ex ea nascerentur. Illam igitur, ferunt, ob dolorem non solum deformem factam, sed etiam ob suorum filiorum desiderium, aliorumque invidiam, in cunis infantes vorare solitam, quæ dicta est Lamia à gutturis amplitudine, sc. παρὰ τῆς λαίμης, à gula, ob quam & piscis marinus voracissimus Lamiæ nomen obtinuit. *Vid. Ulyss. Aldrov.* (*l. 3. de Pisc. c. 63. p. 175.*) De Lamia Beli & Libyes filia in Libyæ locis Regina ejusque in infantes crudelitate *Diodor. Sicul.* (*l. 2. Histor.*) qui addit: Unde in hanc usque ætatem apud infantes mansit istius fœminæ fama, & formidolosa ipsius nominis memoria. Inde & Euripides

τις τῆνομα τὸ ἐπονείδιστον βροτοῖς
ἔκ οἶδε λαμίας τῆς λυβιστικῆς γένος.

Infame nomen atque invisum gentibus.
Lamiæ quis ignorat Lybisticæ.

Junxit huic Pythonem *Lucilius* (*l. 30. Satyr.*)

Illi quid fiet Lamia & Pytho oxyodontes.

Addo

Addo & hoc. Lamas diversas fecit à Lamiis *Charles du Fresne* (*Glossar. L L. T. 2. p 207*) mulieresq; quæ noctu domos momentaneo cursu penetrant, infantes à cunis extrahunt, luminaria accedunt, & nonnunquam dormientes affligunt, asseruit.

§. 11. Hecate nocturnis spectris & terriculamentis præesset in Pachymo Siciliæ Promontorio Hecatæ Cenotaphium exstructum, ab Ulysse legitur ob nocturnos ab illa immissos terrores *Cœlius Rhodigin.* (*l. 20. var lect. c. 6. col. 1100*) *memorat.* Larvæ & terriculamenti genus ab Hecate infortunatis immissum & visum quod in omnes se vertere formas amat. Tribuunt ei crus asininum, alterum pedem æneum faciunt. *Conf. Martin Delrio* (*l. 2 Disquis Magic qu. 37. s. 2. p. 679. & 687. Joh. Jacob Hofmann.* (*T. 1 Lexic. univ. p. 739.*) Βριμὼ quoque vocabatur & ἀβριμὼ, de quo *Cœl. Rhodigin.* (*l. 11 var lect. c. 16. col. 583. & l. 26 c. 20. col. 1459*) Βριμὼ ἀπὸ τῦ βριμᾶν à terrendo *Ludov. Lavaterus* (*p. 1. de Spectr. c. 1. p. 7*) *deduxit.*

§. 12. Gello etiam in hac acie stat, strigibus & nocturnis occursibus olim juncta, cujus mentionem *Kirani Kiranides* (*Alphabeth. 2. p. n. 89.*) suggerit. Hanc ajunt virginem (non puellam, ut habet *cit. Hoffmann.* (*c. l p 688.*) Quid enim quæso illa verba? Virgo quædam, quæ puella adhuc è vita discessit, Spectrum oberrare Lesbiis creditum est) obiisse, ejus Spectrum in Lesbo oberrare, & immaturam pueris necem inferre. Volunt ejus meminisse Saphonem scripsit *Mart. Delrio* (*c. l p. 692.*) Aliter paulò de hac *celeberrimus Polybistor Th. Reinesius* (*l. 3. var. lect. c. 15 p 579.* Timebatur, inquit, à Lesbiis Gello, quæ quod non sua morte defuncta esset, insidiari puerperis, partubusque & pueris pavorum nocturnorum & immaturæ mortis causa esse putabatur. Ab *Ignatio Monacho* (*in vit. Taras. apud Delrion c. l. p 694.*) fœmina dicitur. Γελλὼ λαίμων, ἣν γυναῖκες λὰ νεογοναπαιδία φασὶν ἁρπάζειν *dicitat Hesychius.*

§. 13. Alterius φαβήλης s. nocturni Dæmonis nomen Gillu, quod etiam *in Kirani Kiranide* (*c l.*) notatur. idque corruptum censebat (*c. l.*) *Reinesius* è Lilith. Eam Judæi, ceu Gentium Deam eandem cum Lucina Luna & noctiluca puerperiis intervenire, & recens natis nocere crediderunt, persuasi solenni formula: Adam Chava, Chutz, Lilith (Adam, Eva, foras Dæmoniſſa *interpretatur Valentin. Schindler Lex. Pentaglott. p. 935.*) parietibus cubiculorum inscripta, ceu ἀποτροπαίῳ τινι arceri posse. Conf *Th. Bartholin.* (*Cent. 1. hist anat. 9 p. 22.*) De hoc maleficio è *Nicephoro* (*l. 8. Hist Eccles. c. 9.*) & *Evagrio*

grio (*l. 5. c. 21.*) historias communicat *Delrio* (*c. l. p. 693.*) idque Strigibus & Lamiis accenset.

§. 14. Quomodo verò corpora harum fœminarum & aniculârum quantitate prædita & extensa januas clausas penetrare potuerint, maleficium illud ut patrent, aniculare prodidit delirium *laudatus Delrio* (*c. l.*) Quando putabant, corpora harum fœminarum sic extenuari, ut clausis ostiis cubicula ingredi possent. Gemellum huic est illud, quod, *referente Ignatio Monacho* (*c. l.*) illas in Spiritum converti, Spiritualique vi pollere credebant. An hic præstet Dæmon, quod *Hippocrates* incantatione in filia præstitisse dicitur *Theophrasto Paracelso* (*l. 2. de vita longa c. 9. p. 842.*) *Hippocrates narrat*, filiam suam quam maluisset in præsenti forma permanere, extra naturalem influentiam in corpus ab omni natura alienum transformavit, id quod evidens argumentum incantationis esse potest. Sed è quo Autore id cognovit Nugarum conditor? forsan ex Gæbali, aut influentia cœlesti dementationi fabulæ huic indulsit. Territorum præterea est persuaderi Dæmonem sic mutare corporis quantitatem, ut homo instar catti, Mustelæ, Muris vel Locustæ per tenuem rimam in cubiculum irrepere, terrorem concitare, tenellisque formidinem & noxam incutere, quod Striges Lotharingicæ apud *Nicol. Remigium* (*l. 2. Dæmonol. c. 4.*) prodiderunt. Diabolus hic janitor, aut etiam Sagarum personas assiscens hominibus terriculo est.

§. 15. Apud Romanos præter data Græcorum μορμολύκεια (hæc namque & maximam partem expaverunt, ut eorum Deos cultu prosecuti) peculiaria etiam fuere idola terrifica. Hæc instituisse Numam Pompilium legimus, quippe qui, *teste Livio* (*Dec. 1. l. 1. c. 19.*) omnium primus rem ad multitudinem imperitam & illis seculis rudem, efficacissimam Deorum metum injiciendum ratus est. *Plutarchi sententia* (*in vit. Num. p. n. 116*) urbem tanquam ferream ex rigida & bellicosa molliorem justioremque effecturus, à Religione auxilium petiit: nonnunquam terrores à Diis oblatos, spectraque geniorum prodigiosa, & voces parum propitias renuncians, animos eorum superstitione captos dejecit. Probant id *versus Lucilii*, qui *apud Lactantium Firmianum* (*l. 1. de falsa relig. c. 22. p. m. 90.*) annotantur:

Terriculas Lamias, Fauni quas Pompiliique
Instituere Numæ, tremit has, hic omnia ponit.
Ut pueri infantes credunt signa omnia abena

Vi-

Vivere, & esse homines: Sic isti omnia ficta
Vera putant, credunt signis cor inesse ahenis.
Pergula Pictorum veri nil, omnia ficta.

Ut *Pompilius*, *dictitante Lactantio* (*c. l. p. 88.*) apud Romanos institutor ineptarum religionum fuit: Sic ante Pompilium Faunus in Latio, qui & Saturno avo nefaria sacra constituit, & piorum Patrem inter Deos honoravit: & sororem suam Fatuam Faunam eamque conjugem consecravit, quam Gabianus Bassus Fatuam nominatam tradidit, quod mulieribus fata canere consuevisset, ut Faunus vivis. Terriculos cum aliis legit *Casp. Barthius* (*Animadv. ad Papin. Stat. l. 5. Thebaid. v. 68 p. 46.*) quod nomen & *apud Senecam* (*l. de Fortuit. remed. p. 15.*) invenio. Est tamen & mihi Lactantii operum exemplar Anno 1513. Parisiis excusum, quod Terricolas habet, & hoc Cl. *Christoph. Cellarium* retinuisse constat. Id annotare forsan non inconsultum erit, Terriculas illas primis istis Numæ temporibus saltem extitisse verbales s. verbis conceptas aut sonos & tumultus auribus haustos. Patet id iterum *è Plutarcho* (*c. l. p. 117.*) Numa, *inquit*, Romanis usu effigiei alicujus Divum, quæ hominis aut animalis cujuscunque formam haberet, interdixit. Neque piscis illis temporibus fuit apud illos vel picta ulla imago DEI, vel ficta: Sed primis centum atque septuaginta annis etsi Templa ædificassent, atq; sacras casas struxissent, nullum tamen omninò simulacrum efformavere: nempe eo, quod & nefas esset præstantiora deterioribus assimilare neque DEUM aliter, quam mente, attingi posse, censerent.

§. 16. Subsequis temporibus ubi ficta & picta Numina ista sisterentur Idola & Larvæ emerserunt variæ, pavorem mentibus puerilibus incutientes, in genere Formido Romanis idolum erat, ut est apud *Hygin.* (*Fabul. c. 145. p. 159.*) à formis sive spectris ita dictum. Formidinem ejusmodi incutere *teste Casp. Barthio* (*ad l. 5 Thebrid. Stat. v. 46.*) Furiarum erat opus. De Timore *Vid. Alex. ab Alex.* (*l. 1. Genial. Dier. c. 13. f m 21. a l. 2 c. 4 f 57. & l. 6. c. 24. f 379 b.*)

§. 17. In specie Manniæ & Manioli tu pe deformesque erant personæ aut Larvæ, queis Nutrices pueris minitabantur, *ceu ex Festo refert Job. Jacob Hoffmann.* (*T. 2. Lex. univ. p. 2. p. 17.*) Sicut Sannæ sunt ridiculæ, aut etiam horribiles vultus distorsiones, quas Grimacias (Grammansen) vulgò dicimus. utrumque *meminit Arnobius* (*l. 6. adv. Gentes p. 205.* insigni loco sed valdè depravato. Ita autem commu-

muniter legitur : Usque adeone mortales seculi illius ac temporis corde fuerant varii, rationis sensusq; nullius, ut ab actionibus improbis tam parvuli pusiones personarum monstruosissimas torvitates annis etiam constringerentur & manus. *Claudius* verò *Salmasius* (*ad Tertullian.*) ita correxit : ut ab actionibus improbis tanquam parvuli pusiones personarum monstruosissima torvitate Sannis etiam constringerentur & Maniis. Causam *è Macrobio* eruere licebit. Id aliquando observatum (*inquit l. 1. Saturnal. c. 6. p. m. 189.* ut pro familiarium sospitate pueri mactarent Maniæ, Deæ matri Larium. Hæc ipsa παιδοφονία formidinem pueris induxit. Sed hoc Sacrificii genus Junius Brutus Tarquinio pulso, aliter constituit celebrandum. Capitibus namque alli & papaveris supplicari jussit, pergit idem, ut responso Apollinis satis fieret de nomine capitum; remoto sc. scelere infaustæ sacrificationis : factumque est, ut effigie Maniæ suspensæ pro singulorum foribus, si quod immineret familiis, expiarent. Fuerunt autem effigies istæ ex Lana, & duplices quidem ; hæ viriles, illæ muliebres, quæ pro liberorum capitibus ponebantur, nam pro Servorum pilæ ; precantes Maniam & Lares, ut Simulacris his & pilis contenti, vivis parcerent, ut *Joh. Meursius* (*ad h. l Macrob. p. 752.*) commentatur. *Conf. & Dan. Heinsium* (*Crep. p. 33.*) Nec terriculamenta infantum solùm fuere Maniæ, sed & lactentium Deos ita vocabant, prout & *Varro* Cuninam & Ruminam inter Manias recensuit, cujus verba *è Catone* (*d. liber. educat.*) allegat (*in Lex. Philol.*) *Martinius.*

§. 18. Erat & Romanis Manducus, quem & Mandæum (*c. l.*) appellat *cit. Martinius*, eratque lignea hominis figura, quæ solet circensibus malas movere quasi manducantes, ut *ex Papia* recitat *idem.* Quin & sistebatur cum ore hiante, frendens dentibus, κακοείμων, ἀνηπόδητος, ἄσκεως, ἐπίσειστος, ut artificioso penicillo deformitatem hujus depinxit (*c. l.*) *laudatus Reinesius*, infantum & puellarum φόβητρον. Nec personarum hunc petulatioribus & refractariis solum inter minabantur, sed & in Comœdiis ejus effigiem & simulacrum spectatoribus sistebant. Ita *Labrax* (*in Rudent. A. 2 s. 6. v. 5. apud Umbrum*:

Quid si aliquo ad ludos me pro Manduco lovem?

In quem locum *vide Phil. Parent.* (*in not. Marginal.*) & *Frid. Taubmann.* (*Comment. in h. l. p. 1034.*) Forsan & huc respexit *juvenalis* (*Satyr. 3. v. 174.*) cum scriberet:

Tandemq; rediit ad pulpita notum.

Ex-

Exodium, cum personæ pallentis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

Poëta nempè *Pomponius Attellanasius* inscripsit *Exodium* quoddam *Gorgonium Pythonem*, qui Manducus. Nam Pythonem pro Terriculamento, Gorgonem pro Manduco: quia Gorgones cum magnis dentibus pingebant.

§. 19. In triumphis Romanorum etiam locum invenit Manducus. Audiamus *Alex. ab Alexandr.* (*l. 6. Dier. Genial. c. 6. f. 332. b.*) Jam medio Cytharœdorum quispiam penè delirus, qui inconditis jocis ineptire videbatur, in talari veste, fimbriis aureis, & armillis ornatus, lasciva gesticulatione usq; ad ineptias risusmovebat. Inter quos Ciceriæ (Citeriæ è *Festo* restituit *Joh. Nicolum d. Triumph. Romanor. c. 17. p. 168.* effigiem argutam, & Manduci magnis malis ore hianti, cum crepitu dentium, aut Petrejæ, quæ ebriam eum effingebat, nonnunquam adhibuere. Si *Festum Pompejum* evolvas (*l. 3.*) Citeria erat effigies quædam arguta & loquax, ridiculi gratia, quæ in pompa vehi solita est. Quocirca Cato in M. Cæcilium: Quid ego cum illo dissertem amplius? quem ego denique credo in pompa vectitatum iri ludis pro Citeria. Κίτ̃τα est pica, loquax avis, & ἐρεῖν loqui: Sic alludimus, dum Etymo historico destituimur. *Math. Martinius* (*c. l.*) annotat. Petreja autem vocabatur, *memorante eodem Festo* (*l. 4.*) quæ pompam præcedens in coloniis & municipiis imitabatur anum ebriam ab agri vitio sc. petris appellatam. Circumgestabantur autem, ut populo risus, hostibus dolor inde oriretur, eosq; virtutis Romanæ & solæ temeritatis admonerent. *Conf. Th. Demster* (*ad Joh. Rosin. Antiqv. c. 29. Paralipom. p. m. 788.*) Duplicem igitur personam Φοβητρὸς ἀντὶ γελοίου sustinuit Manducus.

§. 20. Quid verò vultus Batavus *ap. Martialem* (*Apophoret 176.*)?

Sum figuli lusus, rufi persona Batavi,
Quem tu derides, hæc timet ora puer.

Fictilem vultum Batavi hominis militaris & atrocis exposuit *Mart. Raderus* (*Comm. in h. l. p. 966.*) Batavi namque ferox Gens *Tacito* (*l. 1. histor. c. 59*) inde iterum *ap. Martialem* (*l. 6. Epigr. 82.*)

Aurem qui modo non habet Batavam.

Laudatus Raderus (*in h. l. p. 477.*) interpretatur tristem, censoriam, severam; agrestem verò, inelegantem tetricamq; convenientius *Erasmus* (*in Adag. p. m. 406.*) cur non & monstrosam & asininam? Capita. Si cambrorum s. Batavorum veterum ex ære, duodecim *Joh. Smetius* (*Antiqu. Neomag. p. 70.*) possidebat. Forma & facies singulis diversa, sed omnibus

tetrica & severa, frons alta, barba promissa, oculi grandes, auresque ferè arrectæ & capaces, capillus in nodum circa verticem ligatus conglobatur, extremitates ejus pilorum occiput versus post-ventulæ sparguntur.

§. 21. Moris namque erat & Tyrannorum & Hostium patriæ mentione pusiones in pavorem conjicere, ploratusque & tumultus eorum compescere, comprimis ubi malè feriati illi variis truculentis & horrendis vultibus se sisterent. Talis Hannibal, talis & Attila. Rusticum illud ingenium crines diversarum ætatum artificiosè compositos & larvatos parare jubebat. His assiduò mutatis, variis etiam vultibus larvatis crinibusque convenientibus utebatur: adeò ut non solum his, qui rarò eum viderant, sed etiam familiaribus ignotus (addè & terribilis) esset. Ita *Polybius* (*l. 3. Hist. p. m. 277.*) Flagellum illud Dei ut seipsum ob repertum Martis gladium, quod *Lampertus Schafnaburgensis* (*d. Reb. gest. Germanor. p. 168.*) annotat, vocabat Attilas, vir erat vultu ad formidinem composito. Vir, inquam, *Jornande teste* (*l. d. Reb. Getic. p. m. 1100.*) in concussionem Gentis natus in mundo, terrarum omnium metus: qui nescio, qua sorte, terrebat cuncta formidabili de se opinione vulgata. Erat superbus incessu, hucatq; illuc circumferens oculos, ut elati potentia ipso quoque motu corporis appareret. Forma brevis, lato pectore, capite grandiori, minutis oculis, rarus barba, crinis conspersus, simo naso, tetro colore originis suæ signa restituens. *Hæc Jornandes. Conf. Joh. B. Porta* (*l. 2. Physiogn. c. 14. p. 103. seq.*) Sumsit præterea sibi cornua, haud secus ac Alexander M. cui in nummis cornutam asci scere imaginem in deliciis fuit. Non solum autem potentiam, sed & ferum animum cornua designare *Th. Bartholin. Pater* (*tr. d. unicorn. c. 2. p. 21.*), qui utriusq; cornutam faciem in nummis exhibuit. Pari modo

Terribilem cristis galeam, flammasq; vomentem

Ap. virgil. (*l. 8. Æneid. v. 620.*) Æneæ Venus dono dedit. Puerorum igitur petulantiam increpantes & excutientes Romani, Hannibal ante portas inclamabant; & Attilæ nomine prolato à quieto vitæ genere recedentes, revocare tentabant Italæ mulieres.

§. 22. Ita & Narsetes, Imperatoris Phocæ belli dux, tàm fuit Persis formidabilis, ut pueros ij quoquè suos Narsetis nominis facta mentione terrerent. Idem de Stephano II. Hungarorum Rege *ex Bonfinio* (*l. 6. Rer. Hung.*) & Austriacas matres Mathiæ Hungariæ Regis nomine prolato, infantibus quæritantibus incussisse metum, acclamantes: Mathiaske kœmt, *Dan. Dom. Guilielm. Mollerus* (*disput. circul. d. Terrore Panico th. 34 p. 23*) *commemorat.* Apud Turcas Joh. Huniadæ strenuissimi Ducis

eis nomen Lamiæ cujusdam instar ad terrorē comparatum fuisse *ex Æneæ Sylvio Hadr. Junius (ap. Erasmum in Adag. ad. postr. p. 306.)* retulit, usquè adeò ut infantum planctus cohiberent Nutrices, illius viri adventum pueris minitantes. De Scanderbegi nomine pueris Turcicis tremendo *Boxhorn. (Hist. univers. p. 987.)* De Serinorum *Jacob. Tollius (Epist. Itiner. 6. p. 239.)*

§. Lucillus ſ. Luciolus, *Job. Joviniani Pontani* filiolus, ut somnum capesseret, Fusculum Mormolycii loco mater introduxit satis eleganti Nenia, quem huc describere forsan non inconveniens erit. Ita verò *ille (c. l. Nen. 121.)*

Fuscula nox, orcus quoque fusculus, aspice ut alis
Per noctem volitet Fusculus ille nigris.
Hic vigiles captat pueros, vigilesque puellas,
Nate oculos cohibe, ne violare vigil.
Hic captat seu quas sentit vagire puellas,
Seu pueros, voces comprime Nate tuas.
Ecce volat nigraque caput caligine tentat,
Et quærit natum Fusculus ille meum
Ore fremit, dentemque ferus jam dente lacessit,
ipse vorat pueros, pervigilesque vorat.
Et niger est, nigrisque comis, nigroque galero,
Tu puerum clauso Lisa reconde sinu
Luciolum tege Lisa: ferox quos pandit hiatus?
Quosque aperit fauces? & quatit usque caput.
Me miserum: An ferulas gestat quoque? parce, quiescit
Lucius, & sunt qui ros abiisse putent.
Ruraneus Lucillus habet, nil ipse molestus,
Nec vigilat noctu conquerit urque die.
Na sævi, hirsutasque manus tibi comprime save,
Et tacet, & dormit Lucius ipse meus.
Et matri blanditur, & oscula dulcia figit.
Bellaque cum bella verba sonore canit.

§. 24. Gallos etiam nugacibus istis larvis delectari *Jacobi Aug. Thuani* Testimonio (*l. 24. Hist. p. 472.*) discimus. Apud hos, *inquit*, singulæ urbes peculiaria nomina habent, quibus Mormones, Lemures, Manducos

& cœtera hujusmodi Monstra inania anilibus fabulis ad incutiendum infantibus ac simplicibus fœminis terrorem vulgò indigitant. Cæsarodoni s. Turoni Hugo celebratur, qui noctu pomœria civitatis obequitare, & obvios rapere & pulsare dicitur. *Vid. Gisbert. Voëtius (p. 3. Disp. select. pag. 610.* quamvis & sint qui alias hujus denominationis rationes afferunt, inter quos *Piasec. Chron. Polon. pag. 24.) Chrostoph Neand. (Histor. Bacchanal s. 1. membr. 1. pag. 45.) Erasmus Franciscus* (Im höllischen *Proteus n. 58. pag. 533.*)

§. 25. Septentrionalibus sunt Elvæ s. Spectra nocturna choreas ducentia, de quibus *Olaus Magnus (l. 3. Epit. Hist. Gent. Septentr. p. m. 106.)* & *Stephan. Joh. Stephanius (in Saxon. Grammat. l. 6. Hist. Panic. p. 144.)* Erant in hac chorea Lares, Lemures, Satyri, inter quos Mimmingus quidam clarus, Larvæ, Striges, Manes, Gastæ dicti; Similesquè Monstrorum *juxta Stephanium (c. l.)* greges. Quod verò his nominibus ab ipsis vocati fuerint, maximè dubito. Ut namque non Jupiter, aut Mars, aut Venus aut Neptunus nominibus Romanis exprimebantur, sed Ohor Jovis; Vodanus, Odhem, Vohdem aut Othinus Martis; Frico, Frigge, Friga, Frega (Amatorum προξενητὶς *Stephanio ad Saxon. Gramm. l. 1. Hist. Dan. p. 43.* appellata) Veneris; Neccus, Necca, Niken (unde forsan Nicks) virgo de Blakulla Neptuni simulacrum & idolum exprimebat. Ita & Diis minorum gentium sua peculiaria nomina fuisse, vero non absimile est. *Vid. iterum Stephan. (c. l. à p. 139. ad p. 144.)* idque modo allegata nomina Mimmingus, & Gasta satis inculcant. Elvæ nomen ab albedine quidam deducunt, haud aliter ut vocem Alp. (Ephialtes) quasi Alb, Alba, *Mathorias Martinius (in Lex. Philolog.)* pronunciavit. *Conf. Joh Præt. (p. 1. Neue Welt-Beschreibung Tit. 1 p. 4.)* cum, ut mox dicetur (§. 26.) vestitu albo pictæ (mirum quod apud Romanos Manium figura atra fingebatur *Casp. Barthius l. 3. Adversar. c. 2. col. 107.)* comparere solent, ipsæque Vates hoc se vestiendi genus elegerint. Morem namque Cimbris fuisse ferunt, *notat Strabo (l. 7. Geogr. p. m. 294.)* sequentibus eos in bellum uxoribus vates comitabantur quædam Canæ (Danis Ruhnæ dictæ) albo vestitu, carbasinis supparis desuper fibulis affixis cinctu æreo, pedibus nudis. Hinc & partus isti monstrosi è Sagarum cum Dæmone concubitu, aut rectius *secundum Joh. Christian. Fromann. (l. 3. d. Fascinat. p. 4. s. 1. c. 10. §. 4. p. 672.)* per fascinationem geniti, in uterum immissi, aut ex seminali materia eodem modo immissa ibi producti, der Elben nomen obtinuerunt. Saga hos *ap. Benedictum Carpzovium (p. 1. Prax. Criminal. qu. 50. n. 68.)*

vermes

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

vermes esse pronunciavit: Weiße Elben / so gelebet / spitzige Schnäbel und schwartze Köpffe gehabt. Alia, weiße Würmer mit schwartzen Köpffen. Busemannum adhuc habent Dani, & ita mitius Cacodæmonem ab illis appellari vulgo, *memorante O. Borrichio ap. Th. Barthol. in Vol. III. Act, Hafniens. obs. 51. p. 85.*) persuasum. Den Butzmann interpretatur Cl. Tenzel (Monatl. Gespr. *A. 92. p. 513.*)

§. 26. Nec. Germanis ψόβητρα desunt puerilia, quibus puerorum petulantiam coërceant, refractariisque incutiant formidinem. Albas Sibillas, Nymphas & Mulieres albas habent, die weiße Frau / oder Frauen. Frisiis Wittfraue / Wittwiffen (*Cornel. Kempensis l. 3. & orig. Fris. c. 31.*) earumque Choreas, & inconditos, quasi Lemurum, sonos. *Vid. Joh. Wier.* (*l. 1. d. præstig. dæmon. c. 16. p. m. 106.*) Probant id *à celeberrimo Erasmo Francisci* (in Höllischen *Proteus n. 11. 12. 13. à p. 59. ad 96.*) & *Petro Goldschmied* (in Höllischen *Morpheus c. 4. hist. 3. p. 165.*) adductæ historiæ. Tales vocantur ab habitu candido & veste alba pellucidaque, qua indutæ videntur, ut illud Russiæ orientalis spectrum, sub meridiem messis tempore viduæ lugentis habitu, *Petri Tolosani* (*l. 12. d. Republ. c. 20.*) *testimonio*, oberrare solitum. Spectri formia ista occursacula & ludibria cum adultis sint terrori, historiis & fabulis de iisdem conceptis & à plebe creditis pavore concutiunt tenellas infantum mentes.

§. 27. Nominibus peculiaribus etiam præfatæ Lamiæ discernuntur. Berthæ nomen Nymphæ albæ puerorum & adultiorum terriculamento tributum. Quo quidem nomine illustres fœminas appellatas *Joh. Jacobi Hoffmanni* studio debemus laudando (T. 1. *Lex. univ. p. 278.*) Bertha Wiprechti Comitis in Gröizsch & Moringen Filia Dedonis, Comitis in Wethin, Marchionis in Landsberg conjux à marito repudium tulit, à Syrberto tamen ipsi, antequam iter in Palæstinam suscepit, reconciliata, Præposituram in Schkoelen instituit. Evolv. *Petrus Albinus* (*Tit. XII.* Meißnischer Land-Chronick *p. 289.*) qui & (*in Append. p. 45.*) Ejus effigiem exhibuit. Eodem nomine conspicua legitur Conradi Marchionis Misniæ filia, ab ipso cum Sorore Oda Cœnobio Gerbstadiensi sacrata *ap. Joh. Christoph. Olear.* (*in Anastas. Agnes. Abbatissæ Quedlinb. p. 6.*) Regis Caroli mater Berth. S. Berthradæ nomen tulit, quæ, *notante Martino Crusio* (*p. 1. Annal. Suevor. l. 12. c. 6. p. 329.*) fœmina dicitur iracunda & penè sæva, quod adhuc fabulæ confirmant ap. Suevos de vagante circa domos noctu Bilda Bertha (*Wilda Bertha*) seu fera Bertha, ejulantes & contumaces pueros corripiente atque lacerante, quo terrore hi à matribus compescuntur. Suo tempore hoc terriculamentum sub Berchtæ

nomine adhuc viguisse *Medicus Augustanus haud incelebris Philipp. Hœchstetter.* (*Dec. 4. Hist. Med. cas. 8. p. 432.*) annotavit. Henrici IV. Imperatoris conjux præterea Bertha fuit, à quibus Cremona (Patavium habet *cit. Crusius c. l. p. 2. l. 8. c. 7. p. 266.*) libertate donata addito armato Carrocio (Carrocium quid fuerit operoso studio eruere sategit *Carol. du Fresne T. 1. Glossar. adscriptor med. & infim. Latinit. p. 857. seq.*) Libertatis acceptæ signo, quod gratitudinem testatura Berthæ vel Berthazolæ nomine insignivit. *Conf. Carol. Sigon.* (*l. 18. d. Rep. Ital. p. 69.*) Commination i id ortum dedit, prout opinatur *Crusius*, qua inquieti perterrentur: Schweig oder die eiserne Bertha kömmt.

§. 28. Bohemorum Bertha Rosenbergiorum illustri familiæ ortum debet suum, & intra annum 1420. & 1430. patre Ulderico à Rosenberg, matre Catharina à Wartenstein prognata, & Johanni à Lichtenstein Baroni Styro infelici matrimonio *Bohuslao Balbino* (*Hist. Bohem. è qua sua excerpsit Erasmus Francisci. c. l. n. 12 p. 76.*) juncta dicitur, quæ & habitu viduæ candido post mortem apparens, inde Dominæ albæ (die weiße Frau von Rosenberg) titulum meruit. Cum verò Germanis veteribus, accuratam orthographiam non attendentibus, b. in p. mutare solenne fuit, prout Heribert, Heripret, & Hebebret apud illos invenies, *de quo Martin. Opitius* (*T. 1. ap. Poët. not. ad Rythm. d. S. Annote Episcopo Colonien. n. 42. p. 416.*) & hinc etiam Perchtam scriptam invenimus, quod cum Brigittæ nomine convenire voluit (*Erasmus Franciscus. l. p. 81.*) Berth autem idem est ac Werth si *Justo Georgio Schottelio* (*op. d. Lingv. German. l. 5. tr. 2. p. 1045.*) auscultis, quocircà *Joh. Goropio Becano* (*l. 3. Francic. p. 71.*) Childeberth & Hildebert, dignus strenuis viris; Herbert, quasi Heerwerthei conveniens, cui optamus, ut dignum se præstet totius vel communitatis vel Exercitus Præfectum (*p. 75.*) Heudiberthus, Teutwerth, dignus, qui inter homines sit caput & princeps; Dietberth, dignus incremento (*p. 77.*) Berch hold, Berthold quasi werth und hold *secundum Matth. Hedlerum* (*p. 2. onomast. p. 117.*) Bardos Gallicos quasi Werthe dici *Henric. Meibom.* (*d. pagis Saxon. in Proëm. & ex hoc Besoldus T. 2. Thesaur. Pract. voce Börde p. 150.*) putavit. Adde *Joh. Saubert.* (*d. Sacrific. c. 7. p. 165. & c. 22. p. 528.*) Referenda huc etiam Herka, nisi forsitan Hertha aut Erdta, de qua (*in additam, ad proleg. c. 3. Selden. d. Diis Syris. p. 88*) *Andreas Bayer*, & Hertha *apt. citat. Joh. Saubert.* (*c. l. c. 5. p. 105.*) innuatur. Probabile est eandem originem *à Th. Reinesio* (*c. l.*) denominatam Werram agnoscere. Totam verò *Erasmi Francisci* de Bertha Bohemorum Rosenbergica é *Balbino* haustam relationem dubiam & suspectam

redde-

reddere omnibus viribus desudat *Balthasar Bekker* (*l. 4.* der bezauberten Welt *c. 17. à §. 4. ad. 14. p. 140. ad. p. 145.*) quem, si placet, evolve.

§. 29. Numerum auget Domina Hulda, Frau Hulda / unde plebejum corruptum Frau Hola / Holla / quæ & Dianæ nomine venit. Meminit hujus *Discipulus de Tempore* (*part. 1. sermon. d. Tem. p. 42.*) sunt, *inquit*, qui festis Natalitiis (Christi) Deam, quam quidam Dianam nominant, in vulgari die Frau Huld (Frau Berthe / Frau von Held / vel die selige Frau V. B.) dicunt cum exercitu suo ambulare permulta spatia. Non mirum quidem Dianam id patrare, cum triviis præsit apud paganos. Damnavit autem *Anoyrana Synodus* (*canon. 24.*) illam veneficorum opinionem, qua mulieres Dæmonum illusionibus seductæ putabant se noctu cum Diana equitare in bestiis quibusdam, & multa terrarum perlustrare loca. Huldem amasiam interpretatur *Phœbus Silesius Martin. Opitius* (*c. l. n. 28. p. 402.*) Sagæ etiam Huldæ nomen ac quisiverunt, ubi operam amicam vaticinando, sanando &c. præstant, quod si fascinatione & veneficio brutis obsint & hominibus, neminique faveant, adeoque omnibus nocivæ, die Unholden nominantur. *Conf.* (*c. l.*) *Opitium.* Si *Joh. Christian Frommannum Nostrum* (*l. 3. d. Fascin. p. 3. s. 2. c. 1. p. 504.*) consulamus, ita vocatæ quasi ohne Huld / denen niemand huld ist / propter deformitatem & animi & corporis, quam ex familiaritate cum Dæmone contrahunt. Hilda Danis substituta Bellonæ à Brynopho Suenonio (*ap. Stephan. Joh. Stephanium in l. 2. Hist. Danic. Saxon. Grammat. p. 81.*) reputabatur. Ejusdem furfuris est Herodias Fauta, Fute, forsan à Fatua Fauni Sorore, *de qua* (§. 15 *) supra.* Placet *B. Joh. Mathesii* (*Postill. Festiv. Evangel. p. 22.*) *effatum*: Was seynd anders alle Polter- und Rumpel-Geister / unnatürliche Irrolsche / Frau Herodias / Frau Hulda / die alte Berchta mit ihren wütenden Heer / Schretel / Wichtele / Trolle / Bergmännel / den lauter Teuffel? Dæmonis namque est terrere, quamobrem & quibusdam nomen hoc ἀπὸ τῆς δαιμαίνειν, à terrendo, deducere placuit, de quo (*c. l. c. 5. p. 104.*) laudatus Saubertus.

§. 29. Inter nostri temporis Mormolycia eminent Popelus & Mommelus. Unde popeli des Popels / des Popelmanns / des Popanzers monstrosum nonem nemo facilè divinabit. Quid si à Popa, ob truculentiam in victimis percutiendis formidando? Erant namque Popæ Sacrorum apud Romanos ministri seminudi & succincti, qui victimas venales habebant, eas ad aras aligabant & percutiebant. Rectè hos à victimariis distinxit *modò citatus Saubertus* (*l. c. c. 6 p. 141.*) qui Popa consentiente cultros (inde cultrariorum eis nomen impositum) victimarum jugulo infigebant,

bant easque mactabant. Deduxit Popæ vocabulum ex voce græca πίπω, quod Dryopum lingua Dæmones Deosque sonat, *notat Joh. Jacob Hoffmann* (*T. 2. Lex. Univ. p. 2. p. 577.*) Et ab hoc Popeli nomen derivari posse non inficior, cum ejusmodi Terriculamenta Dæmones sint, aut mentiantur, si Colo cum Critica res esset, Philologiaque ad filum spectaret. Cum verò Germanæ sint nostræ Alumnæ, Germanica scaturigo inquirenda. Antiquioribus Cimbris usitatum verbum fuit Popeln/ quod *Joh. Goropio Becano id explicante* (*in Hermathen. p. 153.*) sonum edere confusum denotat, optimeque in larvatos istos quadraret. Enimverò quod Mormones hi aut larvis utantur aut faciem variis linteis & caliendris tectam desurpatamque (quod Nostræ adhuc sich verpopeln/ oder einen Popel machen nominant) offerant, vocis originem inde derivare non erit difficile.

§. 30. Prostat etiam aliud à Mormolyciis der Mommel der Mummel. Hesychium pro μορμὼν μορμύρειν & μορμὼν habere, indeque hoc nomen deduci posse (*in Lex. Philolog.*) divinat *Matth. Martinius*. Sed cum nostræ Aniculæ Græcas ignorent literas è Germanico Mommeli radices evolvendæ. Ut verò qui, juxta dicta, vultum terribili velamine obvelant popelum repræsentant; ita Mommilum, deque vultum tegentibus & personatis enunciant: Sie vermummeln sich/ oder machen einen Mummel. De Christianorum Bacchanaliis olim ista (*in Fastis*) *Joh. Baptista Mantuanus*:

Per fora per vicos it personata libido,
Et censore carens subit omnia tecta voluptas.
Nec nuruum palmas, sed memba recondita pulsat.
Perque domos remanent fœdi vestigia Capri.
Hoc quoque Roma levi cursu gaudebat equorum
Tempore, & in Martis celebrabat Equiria campo.
Altera nil melior nuper clementia venit,
Sordida produxit vetitos Comœdia lusus.
Scorta, Ambubajas, balatrones & parasitos,
Et genus id reliquos trahit in proscenia mensis
improbus: unde trahunt juvenilia pectora pestem.
Mortiferum, fiuntque ipsæ sine ponte puellæ.
I pudor in villas; Si non patiuntur easdem
Et villa vomicas urbs Roma est tota lupanar.

Hæc

Hæc quidem de Romanis *Mantuanus* de nostris sequentia Frid. *Taubmanni* (*Bacchanal. v.* 406.) *Melodesia.*

Personam capit hic similem, quem tempore multo
Languor habet pallens, deformatamque, nec ipsis
Manibus Absimilem spectris, quæ nocte videri
Creduntur vulgo: fucato hic polline pictam
Alter inaurata statua rutilantior exit.
Mirificum dictu, sed mirificum magè visu,
Hic torvis oculis, distorto hic naso: cycneas
Hic plumas albore præit; pice nigrior ille est.

Larvati & cerriti hi Harpocrati litant, dum larvæ vocis usum suffaminant, ne tamen magis muti quam Pythagoræ pisces æstimati videantur, monosyllabo Symbolo utebantur, & Mulam Mulam sonabant. Audiamus item *Philomelam Taubmannianam* (*c. l. v.* 159.)

- Tacito heic opus est: nec fas sua sensa profari,
Nec facere ullius indicium de nomine, ne de
Ære suo obtentu: sed magna libido tacendi
omnibus: inque vices mutam clauso ore loquelam
Compositis conferre notis heic cura sit una.
Si tamen hinc tollas Mum Mum. Nam dicere
Mum, Mum
Et licet, & ludo vox est solennis in isto.

Ab isto prodigioso Symbolo descendit: *Mummerey*, *Munmeln* (confusè & inarticulatè loqui *Vid. just. Georg. Schottel op d. Lingv. German. l* 5. *tr* 6. *p.* 1366.) *Mumschanz* &c. Et cum monstrosum & Cyclopicum illud contubernium pueris formidulosum acciderit, ipsa id non diffitente *elegantissima Taubmanni* (*c. l. v.* 453.) *vena.*

- - Admissos conclavibus infans
In gremio matris formidat pallidus; inque hos
Obliquant plorans trepidantia lumina.

Aut igitur à prodigiosis istis larvis, sonisque earum dissonis Mumm Mumm Terriculis istis Mummelii impositum nomen, aut Bacchi isti nepotuli ineptientes ex Mummelii nomine suum Mumm Mumm mutuati sunt.

§. 31. Simias larvatorum istorum se sistunt adhuc pusionum pervicaciam, vagitus & tummultus ut increpent ipsæ Nutrices Ancillæ infantariæ (ut *Martialis l. 4. Epigr. 88.* voce utar.) Parentes aliquando ipsi cum aliis. Observationem communicat *Joh. Nicol. Binninger (cent. 1. obs. & cur. 2. p. 1.)* Puero quinquenni optimè mihi noto, hypocaustum Avi, qui sibi panes dulciarios dare consueverat; celeriori pede petenti, occurrit Avia larvata interriculamentum: capillitio præpostero, inversa toga lanuginosa humeris gestata; gravi incondita & absurda voce loquens, manuque scopas gerens. Premunt harum vestigia inconsiderati aliquando Pædagogi, dum terrifico, villoso, spectriformique habitu velati, puerorum ausus convellere, formidinemque animis eorum inpingere nituntur.

§. 32. Profluxere inde etiam infames illæ larvæ Natalitiis suavissimi JESUM Salvatotis unici, dicatæ, quibus Rupertus, Sancti, ut vocant, Christi & aliorum Sanctorum choro stipatus, lanuginosis & villosis vestibus indutus personatum agit Dæmonem, omnes plateas, omnes domorum angulos nolarum & campanularum, gutturisque bestiali rauco & incondito sono replet, tenerosque immensum in nodum tremere facit, ut mortem oppetere facilius ducant, quam tanti Cyclopis Plutonii aspectum ferre. Parentibus interim & nutricibus sibi taceitè, ob rem benè confectam, gratulantibus, cum nullum commodius remedium ducant pietatem & honestatis studium tenellis imprimere, terroreque isto Numinis reverentiam, timorem, cultumque præcordiis eorundem instillare.

§. 33. Originem hujus detestandi Actus indagaturus iis astipulari non ausim, qui ex Gentilium festo, saturnalia dicto, hunc profluxisse asserunt. *Conf. Polydor. Vergil. (l. 5. d. inv Rer. c. 2. p. 333.)* Quid enim huic cum Saturnalibus commune hactenus saturnalium scriptores, inter quos *Macrobius (l. 1. Saturnal. c. 7. p. m. 185, c. 10. p. 195. & alibi)* & *justus Lipsius l. 1. saturnal. serm. c. 2. p. m. 874.)* eminent, excutienti, investigare non potui, ut ut sibi hic placeat *Chrefulders, qui est Drechslerus (d. larv. Natil. Christ. §. 21. p. 54.)*. Ratione finis mirum in modum dissident. Nec tempus, quo saturnaliorum celebritatem exequebantur, (Erat autem ad quartum decimum KL. Janur. *secund. Macrob. c. 1 c. 10. p. 195.*) neque dierum numerus, (saturnalia namque primum uno finiebantur, sed postquam C. Cæsar huic mensi duos addidit dies sexto decimo

cœpta

cœpta celebrari, ea refactum est, cum vulgus ignoraret certum saturnaliorum diem, nonnullique à Cæsare inserto die, & alii vetere more celebrarent plures dies saturnalia numerarentur, licet & ap. veteres opinio fuerit septem diebus peragi saturnalia, *ut iterum Macrobius c. l. & Lipsius l. 1, c. 3. & 4. p. 879. sq.*) convenit.

§. 34. Erat & apud Paganos olim Kal. Januar. Indus, quem Vecolo Cervolo facere dicebant, qui & à Christianis postmodum observatus legitur. Quid Vecolo fuerit, quid Cervolo non ita patet. *Mathias Martinius (in lex. Philos. à Marcello Donato Comite Ponzano* seductus conjiciebat olim Ethnicos pro frugibus copiosis & numerosa prole Veneri Cererique KL. Januar. feciſſe Vercola & Cericola appellata. Quomodo verò id probari possit non addit. Joh. Hornbekius pro Vecolo & Cervolo vetulam & servulum substituit, quod sub personis vetularum & servulorum incesserant larvati, sed nec id sufficit *Joh. Pascbio (in Dodecad. Natalit. s. 2. qv. 3.*) Laudat hic *Martis. Del Rio* Vitulo s. Buculo & Cervulo legendum esse censentem, *Vossium* etiam *Sirmondi* lectionem tenet, Cervolum se rectè habere dicit, pro Vecolo autem vetulam, quæ prisco more tamen dici possit vitula reponit. Optimè omnium nos informare poterit *D. Augustinus (sermon. d. Temp. p. 215.)* qui hinnulam & cervulam habet. Et potuit in uno loco hinnuli & cervulæ forma in larvarum istarum ludo exhiberi; in alio vitulæ, Buculi aut vetulæ, prout larvæ ad opinionem larvatorum sæpius formantur. Paganos habitus muliebres assumsisse, & specie fœminarum deformasse prodidit *Charl. du Fresne (T. 3. Glossar. Latin. p. 1295.)* & pecudum more assumtis formis per septiduum huc illuc discursare & petulantius se gerere. Pellibus autem hinnulorum, vitulorum ac cervulorum crudis & hirsutis adhuc vestiti facie vetularum absque dubio incedebant, indeque in cervulo aut vetula vadere dicebantur. *Vid. iterum du Fresne (T. 1. p. 939.)* Et cum ludi hujusmodi exercitium etiam Christianis probarentur, extat in tales lascivientes & vitulantes *Armarcharii Episcopi in concilio Antissiodorensi decretum*: Non licet calendis Januarii Vecolo & Cervolo facere, vel strenas Diabolicas observare, sed in ipsa die sic omnia beneficia attribuantur, sicut & reliquis diebus. Et *D. Augustinus (c. l.)*: si adhuc agnoscatis aliquos illam sordidissimam turpitudinem de hinnula & Cervula exercere, ita durissimè castigate, ut eos pœniteat, rem Sacrilegam commisisse. Adjunxere his Jotticos, de quibus etiam *laudatus du Fresne (c. l.)* Rupertum illum, pernatum Diabolum (den garstigen halb Teuffel) *ut vocatur Clmo Dn. Missan-*

dro, *Amico colendo* Theatr. Trag *p. 1. n. 329. p. 903*) hos immitari, non quidem negarem sed hunc KL. Januariis histrioniam suam exercere fallitur *Paschius*. A festo namque Martini ad Sacra Christi Natalitia hic tantum tenellis se conspiciendum sistit, ultra has verò limites non progreditur, elapsisque vigiliis Natalitiorum CHRISTI personam hanc Satanicam deponit & amplius agere prohibetur.

§. 35. Qua de causa in Rupertum terriculi id Genus devolutum? res indagatu difficilis; imò impossibilis. Quæ de Sacerdote Ruperto, qui in Nocte Christi natalitia saltantes execrationis fulmen non frustrà vibravit à Joh. Trithemio & Rudolph. Hospiniano attulit (c. l. §. 20. p. 52.) Chresudars, omni verisimilitudinis specie carent. An forsan nominis ratio id operis ipsi dedit, quod talis facie villosa aliquando dictus fuerit Rauchbart, quod in Rupertum tandem facessit, aut Rothbart, cum Ruffi non tenellis tantum sed & majorennibus aliquando sint exosi, abominabiles & formidabiles Rotebartum & Rothbartum propriis veterum Germanorum nominibus inseruit Justus Georgius Schottelius, & inde Rupertum deducere videtur, (l. 5. tr. 2. op. d Lingv. German. p. 1081.) cui etiam Rupertus Rubertus est. Et si nec hoc arrideat Ruperti nomen quasi Rugwert s. dignum ut judicet paulò post (p. 1082.) exposuit Rugen (nostris Rügen) ipsi est agere, accusare, damnare (c. l. l. 2. c. 12. p. 499. inde Ruggraf & Ruggericht (p. 467.) ac Rugbar & Rugloß (p. 499.) Egregiè hæc in Rupertum nostrum quadrant. Hic namque puerorum malefacta recenset (macht sie rugbar) accusat, vindicemque S. Christi virgulam poscit. Knecht Ruprecht præsentirt dem Satan / als welcher drauff dringet / daß GOtt die bösen Menschen ex rigore legis, und nach der Gesetz-Schärffe abstraffen / und sich ihrer nicht erbarmen solle / schreibt Missander (p. 1. Theatr. Trag. n. 329. p. 902.).

§. 36. Cur villosum lanuginosumque habitûm affectent cum Mummelio Popelus qui & cum reliquo Terriculamentorum phalange Rupertus, si quæras? Id quidem fieri puto, ut vecordes isti suo damnato similes videantur Duci, ille nempè in Sacris ut Leo rugiens & circumiens ut Lupus oves quærens quos devoret, ut unus ex Züm aut rectius. Tsisin quos quidam Satyros & faunos *apud Jesaiam* (*c. 13. v. 21.*) interpretantur, Feles sylvestres *Alii*, inde apud Arabes proverbium; Hic est facie pilosior fele *juxta Samuel Bochart.* (T. 1. *Hiero Zoic. l. 3 c. 14 col. 861.*) delineatur. Figura canis apparuit Notikero, *ut notat Eckebard junior*

junior Cœnobitas Galli (*V. d. Cas.* Monast. *S. Galli ap. Goldastum* T. 1. *Rer Alemanic. p. 1. p. Et* 6. Speciem Hirci libenter, assumit, cujus rationem reddere nititur *Nicol. Remigius* (*p. 1. Dæmonol. c. 23. edit. Germ. p. 164.*) *Adde J. C. Frommann.* (*l. 3. ad Fascinat. p. 6. c. 8. §. 3. p. 795.*) inde Levit. (c. 17. v. 7.) laschirim τριχίδιτες vertit *Aquila*; pilosos *Montanus*, hircesque Rabbini, ut iterum *Mart. DelRio* (*l. 2. Disquis. Magic q. 27. s. 2. p. m. 687.*) plura *laudatus Bochart* (*c. l. l. 2. c. 53. col. 643.*) usque adeò proteum agit mille formis Dæmon.

Fiet enim subitò sus horridus, atraque Tigris,
Squamosusque Draco, & fulva Cervice Leæna.

(*Virgil. l. 4. Georg. v. 401. Conf. Simon Majol. aut rectius J. Deucer.* T. 2. *dier Canicul. colloqv. 3. p. 251. Erasm. Francisci* Höllischer *Proteus per totum.*) ut se terribiles redderent hostibus & aliis varia capiti monstrositatem inducentia exocogitarunt Belli Duces & Tyranni, de quibus *supra* (§. 16.) Præstare & id conati ejusdem farinæ proceres & milites. *Ap. virgilium* (*l. 5. Æneid. v. 36.*)

occurrit Ac estes
Horridus in jaculis & pelle Libystidis ursa.

De Belli Duce Mezentio *idem.* (*l. 7. v. 663.*)

Ipse pedes tegmen torquens immane Leonis
Terribili impexum seta, cum dentibus albis
indutus capiti.

De Afris ista *Claudianus* (*l. 1. d. laud. Stilicon v. 259.*)

Hic virga moderatur equos: his fibra Leonum
Velamenta dabant, ignotarumque ferarum
Exuviæ, vastis Meroe quos nutrit arenis.
Serpentum gestant patulos pro casside rictus,
Splendent viperæ squamosa pelle pharetræ.
Non sic intremuit Simeis cum montibus idæ
Nigra coloratus produceret agmina Memnon:

Non Ganges cum tela procul vibrantibus Indis
immanis medium vectaret bellua forum.

An forsan Herculem formidulosum repræsentare in animo habuerunt. Verum non idcircò pellem Leonis Cithæronei gestavit Hercules, si Mythologos excutias, sed quod illa pellis nullo ferro erat penetrabilis. Et hinc Ajaci infanti adhuc circumdedit τὴν λεοντὴν suam, precatusque ut qua tegeretur τῇ λεοντῇ invulnerabilis foret, quod postea factum, Ajacemque invulnerabilem omnibus partibus corporis præterquam cervice, ea enim τῇ λεοντῇ contecta non fuerat, *quod* (è *Comment. Homer. in Iliad.* ψ. *ad Joh. Bocac. l.* 12. *Geneal. Deor. c.* 48. *p.* 50.) *annotat. Jac. Micyllus.* Promanavit inde illa consuetudo, ut olim Heroës pellibus pro scutis uterentur, *opinatur Nathal. Comes.* (*l.* 7. *Mythol. c.* 1. *p. m.* 672.) Sed hæ meræ conjecturæ, & forsan inanes. Barbari munditiei minus dediti habitu villoso gaudebant, artis coria depilandi & præparandi nescii, & quod à longo tempore hic habitus ab illis fuisset introductus. Proinde & *ap. Paulin.* (*ad Nicet. v.* 529.)

illa
Divitis multo bove pellentur
Accola ripæ.

§. 38. Busemanni etiam nomen, cujus *supra* (§. 25. de Septemtrionalium Terriculis mentio facta, forsan à Germanico *Bus Buse*, quod villosum & lanuginosum notat. Qua de causa catos juniores tenellosque simplices nostræ aniculæ *Büsgen, Buse Kazzigen* vocant, eodemque nomine Salicum julos, rectius flores, cum foliolis erumpentes, in papposumque & tomentosum semen posteà fatiscentes exprimunt. Lingua Cimbrica juncos *Bies* vel *Pies* dici è *Joh. Goropio Becano* (*l.* 5. *Hispan. p.* 79.) constat.

§. 39. Qua demum de causa nostri Popelum, Mommelum ac Rupertum pueros devorare apud pueros puerilter nugantur. Siquid conjectura assequi licet, forsan è Græcia ad Romanos, & ab his ad nos transiit ista fabula. Saturnus nempè à Græcis propriorum liberorum devorator introducitur & colitur, quamobrem *Nonnus* (*l.* 21. *Dionys. v.* 253.

Κρόνον ἀγκολομίλιν - θοινήτορα παίδων,

Saturnum dolosum devoratorem filiorum.

Nuncupa-

nuncupavit. Hujus fabulæ notitia cum à Poetis ad Nutrices simpliciores devolveretur, & Saturnum φοβητρον fecerunt. Quamvis præterea aliæ rationes proftent cur erudita id Saturno affinxerit vetustas. Saturnus est appellatus, quod saturetur annis, ratiocinatur *Cicero* (*l. 2. d. Nat. Deor. f.m. 38. b.*) Ex se igitur natos comesse fingitur: quia consumit ætas temporum spatia annisque præteritis insaturabiliter expletur. Clarius adhuc *Macrobius* (*l. 1. Saturnal. c. 8. p. 191.*) Hunc (Saturnum) ajunt filios suos solitum devorare, eosdemque rursus evomere, per quod similiter significatur eum tempus esse (κρόνος quasi χρόνος) à quo vicibus cuncta gignantur, subsumanturque, & ex eo denuò renascantur. Lusus ideò ingenii erit, quando *Idem* Saturnum, quasi Sathimnum dictum vult παρὰ τὴν σάθην, quæ membrum virile declarat, unde etiam ipsi Satyri quasi Sathimni, quod sint in libidinem proni. Longius à vero abfuit *Joh. Boccatius*, (*l. 7. Geneal. Deor. c. 1. p. 200.*) quando à satu Saturni nomen deduxit.

§. 40. Fugandos autem incarnatos hos diabolos & è rebus publicis proscribendos cum reliquis recensitis calamitates & noxæ quin & mortes, quas tenellis inferunt, oppidò suadent. Infantes toties terrefacti in tenebris, in locis solitariis, in actionibus suis familiaribus sæpè præter rationem panico terrore percelluntur, translatis inde ab infantia formidinis inconsultæ seminibus, experienti suffultus *O. Borrichius* (*c. l. p. 85.*) *scripsit.* Funestos alios effectus & exitus à Medicis Physicis & aliis in literas relatos invenies. Quid data observatione & historia, cujus occasione hæc emersit commentatiuncula, adduci poterit manifestius. Terriculum illud *supra* (§. 31.) è *Binningero* adductum, puer quinquennis luit insultibus per aliquot annorum spatium recurrentibus Epilepticis, quibus demum cessantibus sensuum interiorum aliqualis remansit stupor. Ab ejusmodi terriculamentis puella quatuor annorum ita perturbabatur, ut oculis illius præsertim in lectum repositæ semper pellicea quædam obversata fuerint, quæ vel maximè somnolentam à somno impediverunt, quin tantum perterruerunt, ut à convulsionibus metuerint parentes, referente id *industrio nostro Dn. D. Vito Ridlino* (*Lin. Med. Ann. 5. M. Febr. n. 19. p. 170.*) Lugubre est quod Wilh. Ernest. Tenzel. Monatl. Unterred. *A. 92. M. Jun. p. 514.*) recensuit: An einem Orte steckte man ein muthwilliq Kind in dem Sack/ welches zuvor erbärmlich schrye/ so bald es aber in dem Sack kam mause stille schwieg und Tod heraus genommen wurde. Vor wenigen Jahren/ memorat *Apis illa Historica Dn. M. Jacob Daniel*

Ernst

Ernst. p. 1. Lect. Historico-moral. Curios. Epist. 16. n. 8. p. 257.) Ließ ein Rector bey einer fürnehmen Schulen die H. Christs Comödia in Gegenwart seiner Kinder agiren/ wobey ein Töchterlein dermassen erschrocken/ daß es mit dieser Seuche (der schweren Kranckheit) befallen worden/ davon nicht kundte erlediget werden/ sondern nach etlichen Jahren daran sterben müssen. Gemellum è *M. Christiano Gerbero* (von unerkandten Sünden *c. 14. §. 6. p. 119.*) habet *Noster. Misander* (*Tom. IV. Delic. Bibl. V. T. qv. 28. p. 110. de F. 1. Theatr. Trag. n. 329. p. 902.*) Spectant huc Bacchanalia à Ceritis istis larvatisque (ita voco cum olim ceritorum & larvatorum nomine venerint malè sani, aut Cereris ira aut larvarum incursione animo vexati, quos & δημητριακοὺς appellabant, *de quibus Fried. Taubmanni in Plaut Amphitr. A. 2. s. 2 p 55. & Math. Martin in Lex. Philolog.*) celebrata Historiam *Nobiliss. Dn. D. Joseph. Lanzoni* (*M. C. D. 3. Ann. 3. obs. 29. p. 34*) communicat sequentem. Ego, notat, anno 1693. mense Februario dum Bacchanalia celebrabantur, observavi puellam quandam annorum 4. quæ perterrita à visu personati cujusdam viri, subito terrore ac horrore correpta in terram cecidit semimortua; accurrunt domestici, ut opem miseræ puellæ ferrent; Sed omnia frustranea fuerunt, nam post septem horas mortua est.

§. 41. Succumbunt autem pueri & puellæ tam facilè & periculosè malo Epileptico, quod, *Secundum Philippum* Hechsteter (*Dec. 4. Casc. 8. p. 431.*) hæc ætas prona sit ad convulsiones ob Spiritus ad motum faciles, & ob vim imaginationis infirmam, quam Spiritus regere nequit. Est in hac ætate sensus communis ac imaginatio instar novi alicujus advenæ in mundo, qui aut miratur objecta sibi nova, aut ab eis perterretur & perturbatur. Ast actio horum sine animali Spiritu nulla est, quorum ministerio cum ii qui acutioris ingenii sunt abutantur sæpè plus quam par sit, ut ingenia acuta proniora sint ad Epilepticos insultus & Catalepsin. *Acutissimus Anglus* Thom. *Willis* (*Specim Patholog. Cerebr. & Nervor. ad morb convuls. c. 4. p. 53.*) inter causas procatarcticas habet, quod infantibus πάντα τοῦ ἐγκεφάλου sint imbecillia, & viscosa humiditate scateant. Cerebrum minus firmum, atque nervorum tonus valdè laxus, ne leviores quidem cujusvis materiæ impetus sustinere possunt, quin Spiritus eorum incolæ etiam à proprio, quo istæ partes irrigantur, liquore, paululum modo imoderatior affluxerit, aut saltem copiosior pro tantilli roboris modulo facilè in motus irregulares sive spasmos incitantur. Ad pervicaciam mali istius forsan etiam facit, quod ideæ terrificæ à Spectrifor-

triformibus istis larvis Cerebro & Spiritibus inpressa firmiores agant radices, quod intellectus adhuc nutans, alias inpræsentium excidium elidere adeoque novis supervenientibus, iisque gratioribus ideis antiquorum figuras in exilium proscribere, & expungere non valeat.

§ 42. Ipsi Theologi sibi religionem duxerunt larvatis istis connivere, quin potius istos stylo Scriptisque confodere sui officii esse animis reputarunt. Rationes maximi momenti collegerunt *Chresulders* (*c. l. §. 25 p. 64 & sq.*) *Georgius Grabovv* (*tr German per totum*) & *Misander* (*c. o l. l.*) *M. Christian Gerber* (*c. l. §. 2. p. 115. & sq.*) quos si placet evolve. Usum quidem aliquem habere hujusmodi Comœdias *laudatus Ernstius* (*c. l.*) non diffitetur, sed abusus modusque introductus ad finem intentum neque respicit, neque ad pias istas cogitationes infantibus imprimendas sufficit, quin potius obnubilat & exesse facit. Optimè *Summè Reverend. Dn. D. Philipp Jacob Spenerus* (in der Evangelischen Glaubens Lehre *in Fest. Nativ. Christ. p. 103.*) Mit geistlichen und göttlichen Dingen muß man kein Comödi-Werck spielen.

§ 43. Nec ferociam istam impunitam prætermittere *Ictorum Nobilissimo ordini* placuit. Et hac de Causa larvatis istis Thumensibus pœnas certas irrogare non sunt veriti. Ita autem habet *illustris Facultatis Lipsiensis sententia:* Haben jetztermeldte *Inquisiten* am 12. Decemb. des jüngst abgewichenen 1697sten Jahrs sich in heilige Christe verkleidet/ und seynd des Abends in die Häuser/ und auf den Gassen herum gegangen/ da denn C. D. so des Ruprechts Person agiret/ Samuel Fritschens Tochter Anna Catharinen ein Kind von acht Jahren vor Christoph Meinerts Thür geschlagen/ und so sehr erschröcket/ daß als sie nach Hause kommen/ darüber kranck worden/ und das sogenannte Freßel (ita vulgus Epilepsiam vocat) bekommen/ und den 1. Januar. dieses Jahrs davon gestorben. So wird ermeldeter C. D. dieser seiner Begünstigung halber auf vier Jahr des Landes billich verwiesen/ G. St. und C. M. willkührlich vierzehen Tage mit Gefängnus/ oder um zwey neue Schock/ ingleichen H. A. R. acht Tage lang mit Gefängnus/ oder um ein neu Schock in Straffe genommen/ sie seynd auch die in dieser Sache aufgewende Unkosten ꝛc. nebst denen Urthel-Gelde und Botten-Lohne abzustatten/ schuldig.

V. R. W.

OBSERVATIO LVII.

Dn. Lic. CHRISTIANI FRIDERICI GARMANNI.

De Epilepsia à Terrore diuturna, & incurabili.

OBservationum de Epilepsia nondum terminus aut finis; Ancilla ante decennium cum Kal. Maji graminis falce resecti primum corbem domui & postmodum stabulo inferre decrevisset, in ipso domus limine more ruricolis solito, sed planè absurdo detestandoque Aquæ frigidæ copiosa affusione terretur, & statim Epileptica concidit. Hæc cum nulla Rusticorum more adhiberet in principio medicamenta Ant-Epileptica malo à Spiritibus, humoribus, & ab his visceribus successu temporis implantato, adhunc usq; diem Epilepticis tentatur de die tribus etiam quatuori invasionibus, nullis remediis superabilibus.

SCHOLIUM.

§. 1. TError morbos aliquando curat, sæpissimè verò cudit & infert. Solent animi affectus, cum in figendis excitandisque morborum fermentis plurimum possint, & his pleraque sanandi ratio perficiatur etiam in emendandis vitiis operam præstare suam, *ingeniosissimus & elegantissimus Dn. D. Joh. Nicol. Pechlin* (*l. 3. obs. Med. Phys. 24. p. 453.*) *judicat.* Metu (Terrore) vehementes morbi aliquando discutiuntur *Isaaci Schoocki* (*Cent. probl. 22. p. 29.*) *suffragio*, dum materia morbifica hoc expellitur, aut etiam concoquitur. Exempla curatæ paralyseos habent *Franc. Valeriola* (*l. 2. obs. Med. 4. p. 153.*) Daniel Becker (von Prussischen Messer-Schlucker *qv.* 6.) Phil. Salmuth (*Cent 2. obs. Med. 68. p. 91.*) *Isbrand. d. Diemerbroek* (*l. 8. Anat. c. 1. p. 745.*) Hydrophobiæ, *J. B. Helmont* (*tr. Demens idea n. 47. p. 227. sq.*) *Pechl* (*c. l. p. 454.*) Mutitatis in Croesi filio *Herodot.* (*L. 1. Histor. p. 134.*) Oris inflammationis & Tumoris *Guerner. Rolfinck* (*l. 14. ord. & Method. Med. Special. Comment. s. 3. c. 12. p. 1025.*) Singultus *Galen.* (*l. d. facil. parab. c. 31.*) *Excell. D. Joh. Dolæus* (*l. 3. Encyclop. Med. c. 2. § 13. p. 396.*) Vomitus *Vit. Riedlin.* (*Lin. Med. A. 98. M. Febr. n. 26. p. 164.*) Hæmorrhagiæ Narium, & bimestris Sanguinis ab utero fluxus *Rolfinck.* (*c. l. p. 1024.*) *Dominic. Panarol.* (*Pentecost. 5. obs. 27. p. 260.*) Ischuriæ *D. Marc. Gerbezius* (*M. & D. 2. A. 9. obs. 61. p. 196.*) Alvi astrictæ *Vit. Riedlin* (*Lin. Med. A. 97. M. Apr.*

M. Apr. n. 6. p. 719.) Herniæ *laudatus Pechlin* (*c. l. p. 454.*) Arthritidis *Phil. Salmuth.* (*Cent. 1. obs. 48. p. 32. & Cent. 2. obs. 68. p. 91.*) *Pechlin.* (*c. l.*) Podagræ (*Camerar. Cent. 5. n. 27. p. 282. & n. 29. p. 283.*) *Tob. Schmid.* (*Chronic. Cygn. p. 678.*) Dolores ischiatici cessarunt ligato pede ante Phlebotomiam ubi in Lypothymiam incidit æger, ut venæsectionem intermittere cogeretur Chirurgus *ap. Petr. Foreſt* (*l. 29. obs. Med. 21. p. 814.*)

§. 2. Febres intermittentes terrore curare Curlandis familiare *testatur Rosin. Lentilius* (*M. C. Decur. 2. A. 6. in Addend. p. 570.*) Hoc modo curabatur Febris Chronica *Joh. Lanzon* (*M. C. Decur. 3. Ann. 1. obs. 37. p. 57.*) modo hanc, modo aliam faciem induens *Vid. Riedlin.* (*Lin. Med. Ann. 6. M. Januar. obs. 24. p. 89.*) Tertiana *Noster D. Jac. Aug. Hünervvolff* (*M. C. D. 2. A. 3. obs. 93. p. 196.*) *Rosin. Lentilius* (*A. 6. addit. infine p. 570.*) *ipse* (*D. 1. Ann. 2. obs. 150. p. 233.* Quartana *Ambros. Paræus* (*l. 1. Chirurg. c. 23. p. 29.*) *Pechlin.* (*c. l.*) *Nicol. d. Blegny* (*Zod. Gall. A. 2. M. Jan qv. 17. p. 24.*) Continua *Illustris quondam Noster Dn. Præses Joh. Georg. Volcamer.* (*M. C. Dec. 2. Ann. obs. 92. p. 185.*) Æger, cui contra febrem Electuarium ordinarat Medicus, quod cum fermentare inciperet, & apertum in faciem ejus prosiliret, inde territus quidem sed postmodum febrilibus Paroxismis caruit. *teste Joh. Andr. Stisſero* (*Dissertat. Epist. d. var. Error. Chym. ignor. in. Med com. p. 16.*)

§. 3. Quin & ipsius Epilepsiæ Medicum Terrorem extitisse celeberrimus *Noster Christ. Franc. Paulini* (*M. C. D. 2. Ann. 9. obs. 190. p. 353.*) & ante hunc *immortalis famæ Polybistor.* & *Medicus Th. Bartholin* (*Cent. 3. Hist. Anat. 41. p. 83.*) comemorant quibus adde *Joh. Rud. Camerar.* (*Syllog. Memorab. Cent. 7. n. 5. p. 425. & Cent. 16. n. 21. p. 1315.*) Usque adeo, *secundum Effatum Paulinianum* (*c. l.*) Epilepsia ex Terrore oritur & moritur.

§. 4. Siccine igitur curandis morbis advocabitur Terror? Non suadeo. Si Terror morborum profligationi conducit, per accidens id fit, non intentione prima. Et si Terror commovendis Spiritibus & humoribus favet, quis morbos certò profligabit? Periculosa erit cura aut frustranea. Merentur huc transferri, quæ doctè & accuratè notavit et monuit *modernus Noster Præses illustris Dn. D. Lucas Schrœckius* (*M. C. Decur. Ann. 3. obs 93. p. 147.*)

§. 5. Terrorem morbos inferre notius est quam ut multa indigeat probatione. Est namque affectuum maximus & efficacissimus. Est affectus valdè repentinus, humores & Spiritus summo impetu movens, & omnes Animæ potentias in momento & gravissimè consternans, *haud malè*

malè concludente (d. vir. imag. c. 18. concluſ. 51. p. 167.) Thom. Fieno. Non æquè tamen omnes debilitat, & in morbos decretorios conjicit ſubitan ea illa Animi conſternatio *commonefacit citatus Pechlin (c. l. obſ. 23. p. 449.)* Corpora ſubtilia & fluida ab improviſis majus damnum accipiunt, quam ſolida & corroborata, inde etiam fœminarum, puerorum, delicatior natura magis obnoxia eſt Terroris injuriis, quam virorum iſta. Prætereà *juxta Sylveſtr. Ratray (d. Cauſ. Sympath. & Antipath p. 64.)* morbi iſti ſequuntur tantum per accidens ad commotionem paſſionum, quia iſtorum morborum ſemina prius impreſſa erant in ſemine avito, materno, paterno, vel quia iis laborarunt prius, vel ex levi occaſione recidivant, & ſic irrumpunt in Spiritus noſtros jam à valida & ſubitanea perturbationum procella debilitatos, & ligatos, & pro modulo ſigilli ex ſemine impreſſi, utrum id ſit Epilepticum, Apoplecticum, vertiginoſum, captivi trahuntur Spiritus, ob imbecillitatem nimium ſequaces redditi, impreſſioni cedunt, ut in uno Epilepſiam, in alio Diarrhæam, in alio Cephalalgiam, uteri ſuffocationem, rabiem &c. producant. Exemplis in bello & aliis calamitatibus id confirmat *Carol. Rayger (in Paul. Spindler. obſ. 96. Schol. p. 172.)*

§. 6 Terror Cranii Suturas disjunxit (*Cornel. Stalpart* von der Wiel *Cent. 1. obſ. rar. 1. p. 1.*) Subitam canitiem induxit (*Petr. Borell. Cent. 1. obſ. 26. p. 32. Add l. 1 d. Mirac mort. Tit. 1. §. 29. p. 12.*) Convulſionem annotavit *Fel. Platerus (l. 1. obſ. Med. p. 33.) Eberh. Gokelius (Cent. 1. Conſ. 33. p. 129.)* Spaſmum in Gravida & mortem *Joh. Schenckius (l. 1. obſ. med p. 128.)* Aphoniam *Th. Bartholin (Vol. 1. Act. Hafn. obſ. 107. p.) Carol. Rayger. (c. l. p. 171.)* Senſibus illæſis & inoffenſo linguæ motu deperditum Sermonis uſum *Joh. Rodius (Cent. 2. obſ. 29. p. 70.)* Aphoniam & Convulſionem *Gockel. (M. C. Dec. 2. Ann. 4. obſ. 17. p. 64.)* Apoplexiam *Amat. Luſitan. (Cent. 3. Curat. 22. p. 384.) Th. Paracelſ. d. Apolb. p. 529.) Franckf. Herbſt-Relation (1675. p. 86.)* Paralyſin nil aliud eſſe quam partium ſenſitivarum contracturam à ſolo Terrore cauſatam putabat *Franc. Oſwald. Grembs (l. 1. Arb. integr. & ruinoſ. bom. n. 87. p. 172.)* idcircò mulieres, quæ ut plurimum timidi ſunt animi *J. B.* von *Helmont. judicio (tr. d. Litbiaſ. Tr. 9. n. 63. p. 724.)* per Terrorem corruunt frequenter in Paralyſin & Apoplexiam. Paralyſin inferioris corporis ab umbilico uſque ad pedes deſcripſit. *Excell. Dn. D. Fried. Hoffmann (in annot P. Poter. Cent. 1. obſ. c. 73. p. 97.)* Roſam in facie *Nobiliſſ Dn. D A. Q Rivin (d. peſt. Lipſ. c. 2. p. 29.)* A viſo Spectro tumorem Capitis ſuffocationem & mortem *Dan. Wincler (M. C. D., Ann. 6. & 7.*

6. & 7. *obs.* 28. *p.* 60. Furorem *Helmont.* (*tr. Demens idean.* 49. *p.* 278.) *Hermann Buschoff* (genau untersuchtes und auch gesundenes Podogra Zugab. *n.* 2. *p.* 132.) Melancholiam *Fel. Plater.* (*c. l. p.* 60. 71. 77.) *Wolff. Gabelchover* (*Cent.* 5. *curat.* 68. *p.* 140.) Lacrymas & Sudorem Sanguineum *M. Joh. Dan. Ernst* (*p.* 1. Historische Blumen Lese *Epist* 14. *p.* 217.) *Demetrius* (*dixit,*) quod turbine repentino expaveſcentes atque percussi quidam oblivione prægestorum afficiantur. Sic denique *Artemidorum Grammaticum Apollonius memorat* nitente gressu Crocodilum in harena jacentem expaviſſe, atque ejus motu percussa mente credidiſſe ſibi ſiniſtrum crus atque manum à Serpente comeſtam & literarum memoria caruſſe oblivione poſſeſſum, *ut eſt ap. Cœl. Aurelian.* (*l.* 1. *Chronic.* 5. *p.* 26.)

§. 7. Vidit puellam à Tonitru terrefactam inſigniter, quæ à triennio nihil prorſus comederet, niſi quod fortè per octiduum & amplius biberet quatuor circiter cochlearia aquæ puræ *Helmont. tr. jus Duumv. n.* 25. *p.* 244. *tr. Sedes An. n.* 13. *p.* 231.) *Adde Exper. Mich. Etmüller* (*valetud. inf. c.* 2. §. 14. *p. m.* 122.) Terror Os ſtomachi concutit (*Helm. c. l.*) Sitim contra augere meminit *Franc. de le Boe Sylvius* (*l.* 1. *Prax. Med. c.* 1. §. 7. *p.* 7.) Tabem & mortem inferre *Anton Beniven.* (*d. abd. morb. Cauſ. c.* 63. *p. m.* 265. (Bilis copiam S. Choleram. *Job. Dolæus* (*l.* 3. *Encyclop. Med. c.* 4. §. 11. *p.* 421.) Diſpnoeam, catharrum ſuffocativum & tandem Hydropem *Conrad. Victor. Schneider* (*l.* 5. *d. Catharr. c.* 4. *p.* 301.) Menſium fluxum *ipſe* (*M. C. D.* 2. *A.* 9. *obſ.* 213. *p.* 355.) Menſium contra reſtrictionem non ſemel excitaſſe, comperi, & *mecum Roſin. Lentilius* (*part.* 2. *Miſcell. med. pr. p.* 22.) Lochiorum ſuppreſſionem Phrenitidem, convulſionem & mortem *Illuſtris Noſter Georgius Francus à Franckenau* (*M. C. D.* 2. *Ann.* 5. *obſ.* 222. *p.* 449.) Dirrhœam *Georg. Segerus* (*M. C. Dec.* 1. *A.* 9. & 10. 94 *p.* 244.) dyſenteriam *Joh. Wallæus ap. Joh. Dolæum* (*c. l. c.* 3. §. 12. *p.* 403.) *Jacob. Dobrezensky de Negroponte* (*D.* 2. *A.* 4. *obſ.* 29. *p.* 80.) Diabetem *laudatus Dolæus* (*c. l. c.* 13. §. 12. *p.* 599.) Herniam *D. Joh. Theodor. Mæren.* (*D.* 2. *Ann.* 4. *obſ.* 49. *p.* 119.) variolarum repulſum *Dn. D. Joh Georg. Sommer.* (*Dec.* 2. *A.* 9. *obſ.* 18. *p.* 49.) ortum *Pechlin* (*c. l. p.* 451.) *Jacoc Dobrezensk d. Negroponte* (*c. l.*) Mortem in Hectico promovit *Vit. Riedlin.* (*Lin. Med. A.* 6. *M. Mart. n.* 19. *p.* 29.

§. 8. In Gravidis cauſatur Abortum, *ita Galen* (*in* 3. *Hipp. Epid comm.* 2. *n.* 8. *p.* 238.) *Balth. Tim. à Güldenklee* (*Reſponſ. Med.* 48. *p.* 111.) Debilitat motum infantis in utero (*D. Sim. Scholz. M. C. D.* 1. *Ann.* 2. *obſ.* 83. *p.* 158. *D. J. G. Sommer D.* 2. *A.* 10. *obſ.* 81. *p.* 154.) Mutilum obſtetricante

imaginatione reddit (*Carol. Rayger. c. l. p. 172.*) Plura huc Spectantia *Diatriba de morbis Embryonum c. 2. exhibebit*, dabit & quædam *de Tonitru obstetricante* (*in Schol. §. 16.*) *observatio*. Fœtum toto corpore colore livido pingit. *Vit. Riedlin* (*c. l. n. 6. p. 110.*) & maximè signat quod multis *Th. Fienus* (*tr. d. viribus. imagin. qv. 18. concl. 51. p. 167.*) probare annititur. In Puerperis Lochia supprimit *ut modo* (*§. præced.*) recensui. In Nutricibus Lac turbat & corrumpit (*Dn. D. Sigismund. Ledel. Noster M. C. D. 2. A. 9. obs. 36. p. 71.*) adeò ut illud exsuctum Epilepsiam *Exc. Joh. Dolæi* (*l. 6. Encyclop. Med. c. 1. p. 989.*) *experientia* induxerit. Quin & Lac. absumere *iterum Vit. Riedlin.* (*c. l. M. D. obs. 5. p. 998.*) in literas retulit.

§. 9. Terrorem & Metum obstetricem Pestilentiæ, fomitem Contagionis, incendium morbi, & sæpè præconem mortis appellat *Sæpius allegatus Dn. D. Dolæus* (*c. l. §. 8. p. 758.*) Terror in Peste plus valet, quam nullum certe contagium *dicitur Dn. D. Rivinus* (*c. l. p. 72.*) illudquè variis egregiis observationibus dilucidat, *cui adde Laurent. Giseler* (*d. Pest. Brunsuicens. obs. 93.*) Anno 1588. contigit quod Rusticus quidam Wernigerodam nocturno tempore ad ligna devehenda in Sylvam transire voluit, quem pauper quidam offendit invia, currumque ejus ascendit. Auriga paululum propediente, equi sudare incipiunt, ac si ingenten ponderis molem traherent. Rusticus retrospiciens nihil nisi hominem currui insidentem cernit, terrore perculsus de morte & peste cogitans, se mortem duxisse ex imaginatione concepta asseruit, & moritur. Hoc Sparso rumore civitas tota timore percussa ac Peste depopulata est, ut ne unus quidem, qui se in fugam non dederit superstes remanserit, *quæ Henricus Scheunemann* (*in Paracelsia d. Peste c. 15.*) *retulit.* Præsentaneum igitur deprehendit in Peste Hispalensi incipiente remedium timorem à se dejicere *Caspar Caldera* (*d. Pest. Hispal. Stat. 5. p. 521.*) *Fr. Baco de Verulamio* (*Sylv. Sylv. Cent. 1. Exper. 61. col. m. 770.*) Confidentiam apud Turcas facere, ne ita facilè inficiantur, exempla habet *Blunt* (*p. 2. itinerar. or. p. 74.*) Et hinc qui vulgò curam habent ægrotantium rarò Peste corripiuntur quod tamen in Peste Chemnicensi à veritate deviare aliquoties deprehendi. Nec apud Turcas hoc adeò feliciter procedit, cum potius dicerem hos stulto fate excœcatos, loca infecta dum non reformidant, prædæ Orcinæ numerum adaugere. Ita *Petrus della Valle* (*p. 1. itiner. Epist. 9. p. 83.*) in Peste constantinopolitana anno 1615. undecim Septimanarum Spatio 120000. Turcas enectos tradidit. Pluribus hoc thema ventilavit *Helmont* (*tr. Tumulus Pestis p. 860. sq.*) cujus verba

verba *alibi* (*l. 1. d. Mirac. mort. Tit. 3. §. 30. p. 37.*) excerpta dedi. Inveritatem doctrinæ Helmontianæ inquisivit *Athan. Kircher.* (*l. 2. Scrutin. d. Pest. c. 1. p. 188.*

§. 10. A Spectris igitur terrificis pestem inductam *apud Joh. Hornung.* (*Cist. Med. Epist. 223. p. 414.*) *memorat Jo. Ingolstetterus.* De Lue Byzantina (*l. 2. d. Bell. Persic. c. 12. p. 123.*) *ista Procopius.* Lues incipiebat hoc modo: Phantasmata Dæmonum multis humana specie visa sunt, quot enim in ipsam inciderent percuti se ab alio putabant, morbusque subitò irruebat. Nonnulli ab initio verbis sanctis ac aliis, ut poterant, supplicationibusque eum avertere frustra quærebant, ac tanquam lymphati seu Spiritu malingno agitati, amicos vocantes minimè audiebant, in locis quoque angustis coërcebantur, nonnullis verò in Somnis hæc eadem accidebant. Allegat etiam *Philipp. Hœchsteter* (*Decad 7. Cas. 2. in Schol. hist. 3. p. 47.*) & habet quædam *Ludovic. ab Hörnig* (*Würg Engel qv. 75. p 145.*) *Hieron. Jordan.* (*d. Eo quod est in morbis divinum.*)

§. 11. Pestem etiam omnis ætatis & Sexus Epilepsiam à Terrore cudi constat. Repentinus Terror & mœror sœpè aliquos improvisa morte multavit: Aliis quoque Syncopen fecere. Plerisque mulieribus profluvium suscitarunt in vitam durabile. Sin autem vis non ferocierit in cruorem huncque ideò non ut exosum proscripserit, sed penes se in hypochondrio custodiverit, sigillat ibidem morbum comitialem *Philosophatur Helmont.* (*tr. d. Conceptis n. 11. p. 483.*) *Et paulò post*: Si violentus Terror vel timor irruunt cuduntur, Ideæ Epilepticæ, quæ in vitam permanent, dictitat. Exemplo allato quid Clarius esse poterit. Novi & ego puellam *recitat Hœchsteter.* (*c. l. p. 432.*) quæ ex perfusione Aquæ inopinata in Epilepticas convulsiones perterrita seu consternata incidit, ex quibus non adhuc liberata, sed fatua nunc grandis convellitur. Sed nec hæc tantum in scenam hanc advocanda. Nobis observationum & historiarum gemellarum prostat *apud Joh. Schenck.* (*l. 1. obs. med. p. 109.*) *Amat. Lusitan.* (*Cent. 2. Curat. 90. p. 334.*) *Math. Cornar.* (*l. 1. Consil. Med. 3.*) *Petrum Forest.* (*l. 10. obs. Med. 54. p. 382.*) *Felic. Plater.* (*l. 1, obs. Med. p. 19.*) *Hieronym. Mercurial.* (*l. 2. d intern. Morb. puer. c. 3. f. 57.*) *Zacut. Lusitan.* (*l. 1. Prax. med. obs. 34. p. 8.*) *Adde. l. 1. d. med. Princ. Hist. 38. Dub. 15. p. 51.*) *Phil. Hœchsteter.* (*Dec. 4. obs. 8. p. 432.*) *Wolfg. Gabelchov.* (*Cent. 5. Cur. 67. p. 142.*) *Everhard. Wassenberg.* (*Flor. Germann. pag. 396.*) *Martin. Weinrich.* (*pap. 1. d. Monstr. c. 15. f. 143. a.*) *Math. Unzer* (*d. Epileps. c. 16. pag. 102.*) *Petr. Borell. Cent. obs. 32. Th. Bartholin.* (*Cent. 3. hist. anat. 41. pag. 82.*) *Casp. Theoph. Berling.*

Bierling. (*l. 1. Adversus c. 8. p. 218*) *Samuel. Ledel.* (*M. Dec 2. A. 3. obs. 101. p. 211.*) *Christ. Francis. Paulin.* (*M. C. App. ad. A. 6. D. 2. obs. Med Phys. 55. p. 71.*) *Simon. Scholz.* (*D. 1. A. 4. & 5. obs. 143. p. 39.*) *J. A. Hünervvolf.* (*D. 3. A. 2. obs. 93. p. 116.*) *Carol. Rayger*, (*c. l. p. 171.*)

§. 12. Ipsam demum mortem in momento accelleraſſe etiam ap. Medicos & historicos Exempla superſunt. Ex solo signo prælii dato exanimatos quosdam milites Tyrones *Job. Rhodius* (*Cent. 1. obs. 45. p. 29*) testis est. Franciscus Forerius ulysiponensis Theologus in bello Lusitanico cum commissos ad Almadam acies Spectaret in signi correptus terrore fato succubuit, *ut est ap. Jacob Augusti Thuan.* (*l. 70. Hist. edit. Germ. p. 249.*) & *Th. Lansium* (*Orat. pro Hispan. n. 170*) An huc referendus Summus ap. Israelitas Pontifex erit? Non puto, infelici namque nuncio perterrefactus cadebat, & ex Casu isto fractam cervice obibat. (*1. Sam. c. 4 v. 18.*) idolum illud Borrussorum Potallos s. Pocollos adeò homines terrebat, ut, *teste Casp. Hennebergero* (*Descript. Pruss. f. 30 b.* quidam morerentur. Plura dabit *Pneumato pægnion* (*s. d. Halitus humanni salubritate & nova Commentariolus s. 2. Artic. 8. § 9*) Morbo ex terrore gravissimo prehensam paucis diebus vitam cum morte commutasse *ap. Vit. Riedlin* (*Lin. Med. Ann. 98. M. Maj. n. 16. p. 395.*) *legimus*, & pestis tempore multos sine peste solo timore & terrore occubuisse scimus *Vid. Wolfg. Gabelchover* (*Cent. 5. cur. 87. in annot. p. 144.*) De vidua, cui tantum nuntiatum cadaver cujusdam peste demortui efferri, terrore extincta *Th. Bartholin. Cent. 4. hist. 76. p. 386.*)

§ 13. Non possum non hic addere multos ab aliis animi motibus vehementioribus, gaudio imprimis letho datos cum potius Terror & consternatio subitanea id effectum dederint. *Retulit Valer. Maximus* (*l. 9 c. 12 n. 2. p. m. 430.*) Matres duas cum falso mortis filiorum nuncio mœstæ sederent ad primum eumque inopinatum conspectum redeuntium, exanimatas. Gaudio id tribuit *laudatus Author* ob reditum insperatum filiorum ὑστερούντων. Ego mallem consternationi & Terrori id dare, cum Spectrum potius s. Umbram Filiorum, quam Filios ipsos adhuc viventes se videre reputarint.

(*Chemnicio Augustam Vind. d. 1. Octobr. A. 1701. missæ.*)

OBSER-

OBSERVATIO LVIII.

Dn. D. JOHAN. MAURICII HOFFMANNI.

De Viro fulminis ictu repente exanimato.

ANNO Superiori Septingentesimo Mensis Septembris die septimô fatali, agricola quispiam horâ pomeridianâ secundâ, aratrum in vicino admodum oppido nostro agro equis ducens, obortâ repente tempestate, fulminis ictu prostratus in momento occubuit, uxore non adeò procul ab eô distante illæsa: Corpus defunctum mox delatum in ædes civis cognati, sequentia phænomena oculis concessit. Et primum quidem pilei fundus, quo caput tectum erat, nec non ejusdem ambitus in plures lacinias inæquales & irregulares divulsus erat, non secus ac si violentis disruptus fuisset manibus, cum fœtore Sulphureo-acido subtilissimo natabili, effluviis similibus intra porosam ejusmodi tegminis substantiam intimiùs admissis & residuis, adscribendo. Vertex capitis illæsus cernebatur, retro sinistram auriculam verò vulnusculum manifestum aderat, articuli pollicis extremi longitudinem adæquans, & per integumenta incumbentia ad pericranium usque pertingens cum aliquali præsente cruoris profusione, ossea cranii substantiâ ibidem tamen integrâ nec diffractâ; circum vulnusculum capilli ambusti apparebant, barba autem menti mystacisque ejusdem lateris aurea per deflagrationem absumta erat, oppositâ intactâ: Colli proximè subjacentis regio maculas duas atro liventes monstrabat; in denudato autem pectore stigmata varia numero plura occurrebant, quorum aliqua brevi terminabantur, aliqua in longum progressa ad pubem desinebant, æquiparandum vesiculis ulcerosis, quales ab aqua fervidâ cuti superfusâ aut cauterio actuali leviter admoto erumpere solent. Læsiones aliæ nullæ sensibus sese manifestabant, quæ autem visæ & antea recensitæ necem istam subitaneam efficere haud poterant. Adeò spectaculo hoc confirmatus in meâ opinione permansi, fulmine tactos interimi momentaneâ suffocatione ac principii vitalis sufflaminatione, quod quidem fulminis sulphureum gas suo narcotico & νεκρώδη, per intentatam sanguini in cerebro, & pulmonibus coagulationem, spiritibusque illic confluentibus siderationem, moliri potis est, ita ut nullus mirari debeat, fulmine tactis alicujus violentiæ lethalis extrinsecus inflictæ sæpius nec leviſſimum sese prodere in-

dicium, ſicuti anno prioris ſeculi Octuageſimo primo in Stidioſo veterano ab aſtroboliſmo heic etiam trucidato nonniſi linea atra ſupra ſternum extenſa cum pilis temporum ex aduſtione incriſpatis ſub ſenſum obtutus venerat. Ceterum autem eô faciliorem conjectura hæcce mea inveniet apud Lectorem fidem, ſi ſpecie fati ſimili ex fulmine ſubſecuta, defunctorum octo meſſorum hiſtoricam relationem à Cardano l. 8. de varietate rerum cap. XLIII. conſignatam legerit, ibi namque dictus Autor teſtatur, meſſores iſtos, tùm in Lemno inſulâ, ubi inſulæ cornu dividitur, ſub quercu coenaſſent, à fulmine percuſſos atque exanimatos ſuum unumquemque ſchema, ſub quo diſcubuerat, retinuiſſe, ita ut unus comedere, alter ori poculum manu admovere, alius bibere viſi fuerint, cumque omnes nigri apparuiſſent, imagines totidem ſtatuarum repræſentaſſe.

OBSERVATIO LIX.

Dn. D. JOHANN. MAURICII HOFFMANNI.

De

Hæmorrhagia uterina fluore ſuccedente Sanioſo, atrophia tandem inſecuta lethali, & poſt mortem in corpore aperto notabilibus.

MAtrona quædam perilluſtris aliquot liberorum mater, temperamenti cholerico-ſeroſi, lacticiniis, olere fermentato crudo, cibis ſale conditis acidisque obſoniis diu multumque abuſa, cum fœtum poſtremum utero geſſiſſet, ſub medium geſtationis tempus Hæmorrhagiam uteri perpeſſa eſt, ſanguine florido quotidie lento extillante motu, nec Venæſectione revulſoriâ in brachio inſtitutâ, nec adſtringentibus tàm internis quàm externis coërcendo, ſuperveniente mox notabili virium jacturâ corporisq; macie, citra tamen abortum, legitimo namque tempore fœtum enixa eſt maſculum, ſed debilem & poſt brevem lucis uſuram vitâ defunctum. Purgamenta uteri à partu ritè profluebant, quæ ſanguinis rutilantis revertens excretio mox excipiebat, ejusdem quippe bilioſo-ichoroſi acrimoniâ ſalina volatilis per oſcula vaſculorum ſanguiferorum vaginæ uterinæ eroſa, illuc, qua ſemel data erat porta, ruebat, color autem qui ante hac ſonſpiciebatur ſanguinis effuſi coccineus, in dilutiorem pallidum lo-

turæ

turæ carnium similem postea mutabatur, quo demum evanescente, ichor sanioſus extillabat, cum ramentis minimis à vaginæ uterinæ tunicâ rugosâ glandulisque suppositis botryformibus propter exulcerationem prævium abscedentibus; nec sanguis purus ulteriùs prodibat, nisi cùm tributum lunare solveret, id verò per aliquot tempus solvebat; interea molestiam singularem ciebat tenesmus, quem diarrhœa bilioso- serosa crebrior relinquebat, subinde accedebat etiam stranguria, sedimento urinæ existente mucoso imò nonnunquam ferme pultaceo. Ad hæc in regione inguinis dextri sub carne musculorum ob maciem tenuiori, tactu deprehendebatur tumor magnitudine ovi gallinacei, figurâ superius circumscriptus subrotundâ, quem uterum dislocatum obstetrices reputabant, ex situ autem altiori tumorem præternaturalem esse rectiùs hariolari, infimulque glandularum aliquot scirrhosarum duritiem in abdomine contactu indagare licebat. In consilium igitur tunc demum ego advocatus, curationem auspicabar ab usu remediorum internorum, acrimoniam jamdum accusatam & dyscrasiam fluidorum catholicorum scorbuticam corrigentium; hinc injectiones per metrenchyten fieri curabam in vaginam uterinam, primum ex detergentibus, scil. aqua hordei cum melle rosaceo, postea ex adstringentibus & consolidantibus, decocto radic. nymph. altheæ, herb. scord. plantag. linar. Flor. ros. rubr. sem. agni casti, thure cum vino rubello styptico parato; suffitus de hinc instituebatur ex thure, succino, mastiche, benzoe, storac. calamit &c. quorum continuato usu etiam paulatim fluor uterinus imminuebatur. Perilluſtris ægra nihilominus majorem virium jacturam sentiebat, cum vigiliis, siti, inappetentiâ, superiorumque artuum atrophia, pedes contra tumore oedematoso increscebant, nec minus abdomen in tumorem flatulentum mox attollebatur, mox rursus subsidebat. Conjunctas ergò plurium Medicorum Consultationes cum affectus gravis & pertinax exposceret, ad medendi præstandum munus convocati sunt Medici bini excellentissimi, Collegæ mei honoratissimi, qui mecum omnem adhibuerunt operam ad reddendam Matronæ animi corporisq; dotibus præcellentissimæ adeò desideratam salutem, cui fini propinabatur quotidie infusum trifolii fibrini & scobis ligni sassafras cum semine fœniculi Indici stellati, per intervalla etiam exhibebatur essentia vincetoxici, nec ♂ialium usus negligebatur languentem stomachum essentia Balsi. peruviani ut & opobalsamum verum subinde restaurabat; adhæc balnea ex aromaticis & carminativis tùm antiscorbuticis

ticis temperatis concinnata tensivum abdominis dolorem ex voto sedabant : interea diarrhœa colliquativa aliquoties inopinato ægram perillustrem corripiens, funestum nobis minabatur eventum, hunc autem eò magis metuebamus, ex quo acrimonia noxia adeò invalescebat, ut labiorum oris & faucium tunicam communem erodoret, quam nihilominus mucilaginosa illita demulcebant ac sanabant, dum ægra ultimò de siti intolerabili, & intimò pectoris æstu extremas habebat querelas, donec extra lectum in sella sedens motibus convulsivis repente obortis neci succumberet. Jam verò cùm & piè defunctæ matronæ declarata ante mortem voluntas, & Illustrium agnatorum vota corporis per dissectionem aperiendi inspectionem exposcuissent, eandem cum Chirurgo dexterrimo suscepi, & sequentia notatu digna observavi. Abdomine nempe cruciatim resecto in conspectum mox veniebat tumor sub inguine dextro antehac occultatus, subcarnosus, spongiosus & materiâ purulenta suffarctus, ex propinqui ossis ilium sede humiliori enatus, ac versus uterum reclinatus, hujus vero substantia exterior maculâ subfusca ibi notata, cavitas autem aperta sine omni labe erat : juxta epatis sinum alterum, superiorem anterioremque ventriculi partem complectentem, protuberabant non adeò procul ab invicem dissiti tumores duo materia sebacea instar steatomatum repleti, dehinc ubi Vena Cava de se ramum Iliacum exteriorem exporrigit, tumor eminebat membranaceus pellucidus lymphâ limpidissimâ turgidus, & prædicti quidem tumores excisi simul ad lancis pondus examinati libras quinq; civiles cum dimidiâ ponderabant. Ceterum reliqua abdominis viscera bene sese habebant, nisi quod omentum omni pinguedinis consortio destitutum apparuerit, & mesenterio aliquot interspersæ glandulæ scirrhosæ visæ fuerint. Revelato autem medio ventre hydrops pectoris patebat, & præter viscera contenta, universum ejus ambitum lympha extravasata ob Salium sylvestrium inibi solutorum copiam subrubens, rutilans & admodum acris occupabat. Cor flaccidum emarcidumque jacebat, pulmones punctulis hinc inde conspiciendis erosorum vasculorum lymphaticorum ostiola prodibant. Reliquus corporis habitus exterior macie adeò consumtus erat, ut arida solum cutis ossa obtegeret, artus soli inferiores tumore œdematoso ex lympha intercepta motu oriundo distenti nitebant.

OBSERVATIO LX.

Dn. D. JOHAN. MAURICII HOFFMANNI.

De

Diarrhœa cum excretione pelliculârum plurimarum.

MAtrona Illustris hypochondriaco-scorbutica, doloribus arthriticis vagis, aliisq; symptomatibus ejusmodi sortis hominibus alias infensis, sæpius & multum divexata, diarrhœam diutum passa est crebriorem, sub qua præter excrementa fluida modò flavescentia, modò virescentia, modo mucoso-serosa pallescentia per intervalla nunc longiora nunc breviora innumeram pelliculârum copiam rejiciebat, illas autem abscessuras mens præsaga noverat ex dolore tensivo, & aquæ quasi ebullientis motu sub hypochondrio sinistro tunc sensibili. Variæ interim erant variorum de hisce pelliculis sententiæ, nonnulli lumbrici lati abscedentes credebant portiones, sed nulla unquam lumbricorum præcesserunt signa, alii peristromatis villosi intestinalis interioris sive tunicæ vasculoso-glandulosæ reputabant esse particulas per erosionem separatas; ego autem pelliculis istis aqua probe elotis, & quoad figuram exactiùs examinatis, reputavi esse prolem mucivisciditioris suprà valvulas conniventes intestini ilei præprimis coli coagulati, & in speciem membranæ condensati, corpus enim totùm pituita lenta tenaci & glutinosâ præternaturali acido coagulativo impræguatâ scatebat, hinc post usum purgantium clysterumque detergentium pelliculârum, illa excretio paulatim minuebatur, & tandem prorsus cessabat.

OBSERVATIO LXI.

Dn. D. JOH. MAURICII HOFFMANNI.

De

Tumore ex pudendo femineo enato feliciter ablato.

CUm Chirurgi in extirpandis tumoribus experientissimi Dn. Johan. Michaëlis Sutorii τὴν χεῖρα πρακτικὴν felicissimam aliquoties ipse observaverim, & testari possim: memoratu dignam quoque censui

observationem sequentem mihi ab illo communicatam. Quinquennio abhinc femina trigenaria virgo tum sat matura Viro, plenis jam nubilis annis sensit juxta orificium vaginæ uterinæ extremum in sinistro latere tumorem duriusculum, qui, cum illa postea per matrimonium viro juncta esset, ad magnitudinem pruni Damasceni excrevit, postea autem anteriora versus simul amplior factus συνεσίαν connubialem intercepit, successu autem temporis per insecutum triennium tantum sumsit incrementum, ut triginta unciarum civilium pondus ad æquaverit; sustulit nihilominus misera mulier gravem ejusmodi molem magnâ animi constantia, & hancce quidem eò magis molestam, quòd inter crura pendula ingressus etiam facilitatem remoraretur, tandem autem cùm morbidus ille tumor in medio sponte rimam egisset, & caro inde propullulans fungosa putris, carcinoma futurum minata esset, laudati chirurgi opem implorare coacta est. Hic verò inspectione institutâ, situque & nexu tumoris priùs exactè explorato ab interiori vaginæ tunica ultra modum extensa & labio pudendi sinistro, impositio ex arte causticò suo probatissimo sensim feliciter separavit, vulnusque relictum spatio unius mensis optimè consolidavit, adeòque ægram sanam & habilem ad concipiendum reliquit. Vid Figura.

(*Missæ Altdorffio-Norimbergam d. 3. Octobris 1701.*)

OBSERVATIO LXII.

Dn. D. JOHANNIS JACOBI HARDERI.

Ex Anatomia à gravi dorsi vulnere defuncti.

CUm nuper Durlaci Januario mense Serenissimæ Principi hæreditariæ à consiliis medicis essem, accidit ut Cursor quidam Italus, à stipendiis Serenissimi Principis hæreditarii, odium clandestinum foverit contra famulum cubicularem Serenissimæ Principis Regentis, bonæ famæ hominem, & de tali prorsus non cogitantem: Maleferiatus ille, quum hic circiter undecimam noctis in hospitium suum se conferre vellet, sub ipsâ porta miserum sclopeto globulis pluribus farcto petit, & per vestimenta, subtus costis, lumborum vertebras versus graviter trajicit: Ingens ilicò ejulatus, accurrunt qui in hos

res,

Fig. XVI. pag. 126.



observationem sequentem mihi ab illo communicatam. Quinquennio abhinc femina trigenaria virgo tum sat matura Viro, plenis jam nubilis annis sensit juxta orificium vaginæ uterinæ extremum in sinistro latere tumorem duriusculum, qui, cum illa postea per matrimonium viro juncta esset, ad magnitudinem pruni Damascéni excrevit, postea autem anteriora versus simul amplior factus συνοσίαν connubialem intercepit, successu autem temporis per insecutum triennium t sumsit incrementum, ut triginta unciarum civilium pondus ad verit; sustulit nihilominus misera mulier gravem ejusmodi magnâ animi constantia, & hancce quidem eò magis molestam inter crura pendula ingressus etiam facilitatem remoraretur dem autem cùm morbidus ille tumor in medio sponte rimat set, & caro inde propullulans fungosa putris, carcinoma futur nata esset, laudati chirurgi opem implorare coacta est. Hi inspectione institutâ, situque & nexu tumoris priùs exactè e to ab interiori vaginæ tunica ultra modum extensa & labio di sinistro, impositio ex arte caustico suo probatissimo sens citer separavit, vulnusque relictum spatio unius mensis optir solidavit, adeòque ægram sanam & habilem ad concipiendi quit. Vid. Figura.

(*Missæ Altdorffio-Norimber Octobris 1701.*)

OBSERVATIO LXII.

Dn. D. JOHANNIS JACOBI HARDE

Ex Anatomia à gravi dorsi vulnere defuncti

CUm nuper Durlaci Januario mense Serenissimæ Principi hæreditariæ à consiliis medicis essem, accidit ut Cursor quidam Italus, à stipendiis Serenissimi Principis hæreditarii, odium clandestinum foverit contra famulum cubicularem Serenissimæ Principis Regentis, bonæ famæ hominem, & de tali prorsus non cogitantem: Maleferiatus ille, quum hic circiter undecimam noctis in hospitium suum se conferre vellet, sub ipsâ porta miserum sclopeto globulis pluribus farcto petit, & per vestimenta, subtus costis, lumborum vertebras versus graviter trajicit: Ingens ilicò ejulatus, accurrunt qui in hos

res,

spitio eodem fuerant ac vicini, & vulneratum, quantâ possunt cautelâ, in hypocaustum deportant, Chirurgosque, inter quos præcipuam operam præstitit Dn. Zachmannus, Operator ac Sereniss. Principis Chirurgus primarius peritissimus, accersunt, qui exutis vestimentis, foramina à globulis inflicta plura, eaque magna deprehenderunt, cum gravi hæmorrhagia & contusione, unde præcipuus ipsorum labor fuit, ut illam sisterent, & externis convenientibus huic occurrerent, propinatis internè cardiacis & vulnerariis attemperatis. Manè cum ægroto iterum assisterem, vulnerum faciem exactius contemplari, quodque diaphragma versus, & in abdominis cavum, inde & renem sinistrum versus globuli perexerint, ac vulnerare potuerint, stylo haud difficulter deteximus: sanguinis equidem profluvium minus, at æger summè jam debilis, pulsus creber & frequens, cum sitis intensa, quam paucis horis post querelæ de intensissimo ardore in parte affecta, & ubi urinam reddere veliet exceperunt, quibus omnibus licet medicamentis internè maximè, hinc & externè obviam ire studuerimus, Æger, ceu prædiximus, die tertio tamen blandè expiravit. Cadaver Sereniss. Principis jussu cultro incidimus, & siquidem maxima cura circa partem vulneratam versari debuerit, non modo musculos abdominis obliquos cum transverso & dorsi latissimo graviter dilaceratos ac sauciatos, sed iisdem remotis, renis sinistri corticem superiorem ac inferiorem à globulis hîc illic atrociter trajectum, simulque cisternam vesiculosam sauciatam, manifestè deprehendimus, neque partium harum scrutinium, materiæ fæculentæ, ex colo in hoc latere à sclopeti ictu prorsus lacerato & sphacelato profluvium impediit, ex priorum verò partium læsione, nobis equidem difficile non fuit, cum hæmorrhagiæ, tum copiosum materiæ aquosæ è parte vulnerata effluxum, qui sub finem primi, & hinc secundo die notabatur, explicare.

OBSERVATIO LXIII.

Dn. D. JOHANNIS JACOBI HARDERI.

De Liene triplici.

NUper cum anatomicis lustrationibus indulgerem cum Philiatris ex macello Lien bovinus triplex allatus fuit, quorum alter ordinariam lienis magnitudinem habebat, bini verò reliqui paulo minores

res, & unus quidem altero minor, sed ejusdem cum primo figuræ, nonnisi secundum sui originem, per membranas contigui, vasis insuper nerveis sanguiferisque, quorum originem à trunco majore, per lienem ordinarium sive primum sese disseminante, repetimus, instructissimi, quibus prudenter inflatis, eloto prius sanguine, singulorum vesiculosa structura eleganter comparuit.

(*Basileæ Augustam Vind. d. 5. Octobr. Anno 1701. Missæ.*)

OBSERVATIO LXIV.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Tussi, cum involuntaria excretione alvi.

INcontinentiam urinæ à tussi exhibet Wedelius & Scholzius, Dec. 1. Ann. 9. Observat. 84. & Scholio. Pannifex notus 60. annorum, in juventute aliquoties infestabatur hæmoptysi, sed DEI Gratia restituebatur à me convenientibus remediis. Jam conqueritur, Senior factus, de Asthmate cum tussi vehementissima, sicca tamen. Adhibuit varia consilia & remedia, absque juvamine. Me tandem etiam consuluit, & dedi, & feci mea, cum pauca tamen alleviatione. Nihil sibi magis molestum esse ingemiscit, quam spontaneam, in tussiendo, alvi solutionem: sive enim esset in templo, sive in foro, sive in thoro, excrementa retinere non valet, tussi commotus & solicitatus; sicque miserè vivit.

OBSERVATIO LXV.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Natura in Opere suo non turbanda.

FOemina Prittagensis, puerpera, corripiebatur melancholia ob retentionem lochiorum, cumque de calore summo dicerent, quos ad me miserat consilii gratia, ordinabam temperatum sudoriferum cum optimo effectu, pustulæ namque pruriginosæ, instar scabiei, totum occupabant corpus, appetitus & somnus redibat, eratque alacrioris

animi

animi ægrota. Ex accedentis barbitonsoris consilio saphœnarum sectionem admittit, non attenta metastasi, ad superficiem corporis facta. Per biduum benè habet, tertio autem die omnia inversa, desperata, melancholia de novo ingruit, appetitus desinit, vigiliæ redeunt, pustulæ evanescunt. De novo Consultus, exprobro quod non meum requisiverint judicium: ita vomitorium præscribo insigni cum juvamine, & subjunctis aliis cum DEO feliciter restituo.

OBSERVATIO LXVI.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Simplicium Utilitate.

QUid de Simplicibus statuam, jamdudum dixi cap. 7, & 8. Tractatuli mei, de Centaurio minore. Tempore nostra dum jam sunt angusta, paupertas plurimos, etiam pios, honestos & bonos premit cives, in mea vicinia hocque loco, per aliquot Annos simplicibus optimè satisfeci plurimis, concurrente Divina Gratia & benedictione. Suibusii pannitonsoris uxor 32. annorum molestabatur defluxione ad pedem circa talum, cum pruritu & copiosa seri exstillatione. Evacuabam cum gialap. & ordinabam ei, ut trifolium fibrinum cum cerevisia coqueret, maneque & vesperi calidum haustum biberet, dictum factum, intra 14. dies fons hic erat exhaustus, in dies sudore copiosius fluente. Pistor statæ ætatis Grunebergæ diu laboraverat dolore sinistri lateris cum angustia pectoris, Consultus, primum purgabam, dein dabam infusum trifolii fibrini in Aqua calidissima, & bonus effectus, cum utriusque symptomatis abolitione nos exhilarabat. Cacheticus juvenis Rusticus Schloin, plures deglutierat Agyrtarum purgationes & alia absque effectu. Ordinabam, præmisso vomitorio leni, ut biberet decoctum foliorum maluæ manè & vesperi calidè. Post aliquot dies optimam videbat melioriationem, calore & siti quæ hucusque satis presserunt, multùm remittente, aluoque indies leniter fluente. Imprægnata Krampensis magnum in fronte gerebat tumorem, aliquid seri plorantem cum doloribus sat intensis. Re pensitata, quia scorbuticam deprehendebam, ordinabam decoctum trifolii fibrini ut indies bis calidè potaret: hoc facto ad aliquot dies, omnis tumor disparuit, & legitimo tempore fœtum sanum exclusit. Auriga nostras decumbebat tertiana intermittente, ob errores in victu,

itineribus deditus, commissos, hunc evacuabam tartaro emetico, & dabam Chinæ Chinæ pulverem. Febris abibat, recidivabat tamen, ideo quia pretium Chinæ ipsum deterrebat ab ulteriore usu, eapropter suadebam decoctum centaurii minoris quatuor vicibus indies calidè assumendum, & intra paucos dies pristina fruebatur sanitate. Vetula Grünbergensis in Cardialgia & Cephalalgia ingenti, cum mettu Apoplexiæ, post datum vomitorium cum euphoria, pristinas recuperabat vires à decocto betonicæ indies aliquoties calidè epoto. Sartoris ibidem filia 17. annorum chlorosi laborans, post sumptum vomitorium, laudabat usum decocti artemisiæ rubræ nostro Consilio per septimanam continuatum. Vetula civica 64. annorum detinebatur per 14. dies fluxu alvi, huic dabam theriacæ cœlestis gr. iij. & fluxus subsistebat per diem, iterabam dosin cum eodem effectu, redibat tamen malum, ideò evacuabam pulvere pialap. & ordinabam decoctum foliorum plantaginis cum utilitate & sanitate. Juvencula corripiebatur hæmoptysi, ob retentos menses, huic post saphœnarum sectionem & lene evacuans, profuit decoctum veronicæ. Lintearii filia 18. annorum detinebatur retentione mensium cum artuum contractura, hanc evacuabam tartaro emetico, parum autem movebatur, ideò porrigebam purgans, nec hinc operatio cessit ex voto, licet esset, tenerioris constitutionis. Subjungebam decoctum malvæ, & alvus leniter indies fluebat lassitudine artuum, de qua usque huc conquesta fuerat, multum imminuta, contracturaque penitus remittente. Vis plura? Quæ desperata excruciabatur obstructione alvi fœmina, sola infusione foliorum Sennæ solvebatur feliciter. Zullichiensis lintearii uxor, symptomatibus scorbuticis multùm afflicta, utpote cephalalgia, defluxione ad fauces, gingivarum ex ulceratione, artuum lassitudine, præmisso leni evacuatorio, curabatur decocto trifolii fibrini, hocque decocto dentes & fauces eluebat satis utiliter. Sartor Lawaldensis habebat defluxiones ad oculos cum imbecillitate visus & lassitudine spontanea. Hic post evacuationem corporis bibebat decoctum trifolii fibrini, & supra modum laudabat hujus usum, omnibus prædictis symptomatibus ex voto evanescentibus. Pannificis Grunbergensis uxor, ab usu decocti foliorum malvæ dolorificam mitigabat emissionem urinæ. Decoctum veronicæ auferebat Grunebergæ apud Fiedleriam juvenculam, anguſtiam pectoris cum tussi. Saborensi fœminæ ob retentos menses tumore abdominis oppressæ, suadebam post usum pilularum Bontianarum, decoctum

ctum florum cyani, & alternatim decoctum radicis vincetoxici, cum emolumento. In leucophlegmatia Rustici plotensis, Proficuum vidi decoctum trifolii fibrini, data prius ʒj. pulveris gialapii, quæ 10. sedibus corpus cachecticum à sero liberavit.

Plures possem subjungere observationes, si vino vendibili opus esset hederà. Apud pauperes & mediæ sortis homines magis proficua sensi istiusmodi simplicia quam Chymicorum maximis laudibus onerata medicamenta. An autem iis qui simplici victu utuntur, magis profutura sint simplicia quam alia medicamenta, nunc decidere mea intentio non est. Ephemerides nostræ loquuntur, etiam de Decoctorum simplicium summa utilitate, utpote absinthii in Cancro, musci pulmonaris quercini in ictero flavo, herbæ vermicularis in scorbuto, trifolii item fibrini, veronicæ, arnicæ, vine cetoxici & aliorum simplicium. Nam quod potest fieri per pauca, non debet fieri per plura, vulgatum est dicterium.

OBSERVATIO LXVII.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Amentia à terrore.

EPhemerides nostræ Curiosæ ubertim loquuntur de terroris effectu sat efficaci & damnoso. Scriniarius mediæ ætatis, circa meridiem noctis cogitur ire ad Rivum, ut apportaret aquas parturienti uxori inservientes. Offendit ibi vetulam, notam quidem sed de veneficio suspectam, qua visa horrendum in modum terretur, cum tremore artuum per plures horas durante, simulque animadvertit singularem debilitatem capitis cum aliquali vertigine. Evanescunt cum tempore hæcce symptomata, sed ante Annum redeunt eadem, sirio æstuante, maximoque delirio subsequente. Curabam eô tempore cum Deo, feliciter, & per Annum benè vivebat, immunis ab omni imbecillitate aut ægritudine. Hoc Anno 1701. mense Junio idem affectus redit, iterumque curo cum DEO meo, recidivabat tamen in diebus canicularibus, ideò etiam medicamentis statim succurrebam cum emolumento. An malum sequenti Anno sit rediturum, erit expectandum. Est crassioris constitutionis, parvæ staturæ, scorbuto repletus, pius tamen & simplex, omnique acumine judicii destitutus. Durante paroxysmo instar maniaci se gerit, & vix à quatuor

robustis viris detinetur. Interdum finito paroxysmo, omnia novit dicta & facta ad amussim, interdum nihil quicquam; horæ etiam variant, dum jam est tranquillus, mox furiosus. Crescentibus Annis majus metuo malum, opto autem probo huic viro tranquilliora fata. Vide si placet Observat. XXVII. Dec. II. Ann. VI.

OBSERVATIO LXVIII.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Polygono Marchico coccifero.

NOn omnis fert omnia tellus, verum quidem est, verum tamen & hoc est, quod alibi, crescere vidimus, illud & hic crescere animadvertimus. Ephemeridibus nostris insertum legimus à Dn. D. Segero, Polygonum Polonicum coccigerum, aut, ut nominare quoque placuit Chermesinum Polonicum circa Thorunium crescens, deditque Decur. I. Anni I. Observatione 27. Hunc secutus Bernardus à Bernitz/ejusdem Decuriæ, Anni 3. Observat. 102. explanat usum & utilitatem cocci, uti vocat, Polonici, modumque colligendi simul explicat. Jam Tibi communico, Curiose Lector, Polygonum Marchicum, quod ut ovum ovo, in omnibus convenit cum Polonico descripto. Crescit copiosè & pulchrè, producit granula purpurea circa radicem, & ex his granulis prodeunt vermiculi purpureum fundentes liquorem, pressi, qui, ni diligenter caveas, celerè avolant, idque circa Festum S. Johannis Baptistæ, ubi hujus herbæ tempus est balsamicum, ut loqui amamus, vel summa exaltatio aut maturitas. Ut autem scias ubi quærere debeas egregiam hanc herbam, notifico circa Rotenburgum oppidulum, ab Illustri & Generoso Domino à Rottenburg in Polnisch Urkau / Toparcha, Patrono meo colendissimo, ædificatum, uno miliari à Grünberga nostra distans, ibi admodum luxuriare videbis, in locis fabulosis & arenosis hinc inde: Sic ex singulari DEI Bonitate & Benedictione, terra ubique ferax, ad producenda ea, quæ hominum inservire possunt commodo & utilitati.

(*Grunberga Norimbergam missæ d. 2. Octobr. Anno 1701*)

OBSERVATIO LXIX.

Dn. D. SIGISMUNDI LEDELII.

De

Singulari in Hypochondriaco symptomate.

FAta Hypochondriacorum esse misera, eosque variis macerari symptomatibus, loquuntur pulpita, & scripta eruditorum Medicorum. Sic novi Illustrem hypochondriacum, cui quotidianum est, durante paroxysmo, mingere urinam nigredine tinctam. Alius Illustris Vir, & Magni Principis Aulicus, huic malo obnoxius, hilariter vivit, negotiis suis optimè deditus & expeditus, dum à paroxysmo liber est. Dum autem inordinato victu, & nimiis compotationibus in multam noctem protractis, hoc malum veluti somno sopitum aliquando excitaverat, paroxysmo tum valdè furente, animadvertit in Fronte sponte erumpere instar sudoris, guttulas sanguineas, sale scorbutico fortean nimium turgidas, ut curiosi Medici judicabunt.

OBSERVATIO LXX.

Dn. D. SIGISMUNDI LEDELII.

De

Globulo plumbeo in Fonticulo.

DE Fonticulorum utilitate & vanitate controvertuntur Medici, quam palæstram Disputatoriam ipsis etiam relinquo. Varii autem generis globulos illos portare, qui fonticulos alunt, notum est. Communiter pisa accersunt, item globulos è buxo & aliis lignis, ossibus item animalium, & quæ plura. Nobilis quidam, nostri Districtus, plumbeum globulum suo fonticulo imponit, sibique optimè proficium esse deprædicat. An Saturnus in ulcere hoc conservando, aliquid singulare præstet, medicorum judicio ad decidendum expono.

(Budissâ Norimbergam missæ d. 8. Octobr. Anni 1701.)

OBSERVATIO LXXI.

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De Frigore intempestivo.

INterruptum autumnali frigore æstivum calorem ad animos curiosorum revocare dum præsumo, facilem mihi veniam promitto ab illis, qui mancam nostram meteorologiam non nisi per diligentes observationes perfici posse gnari, cœlum cum aëre, & hunc cum instrumentis aerometris conferre amant, quorum passim crescit numerus. Contigit illud phænomenon nuperâ æstate, quam caloris vi insignem meminimus, proin miramur, prohibere non potuisse, quò minus in sui ferè medio benè mutatus aër naturam indueret autumnali similem. Scilicet, cùm ad summum perveniisset æstuosa intemperies die duodecimo & decimo tertio mensis Augusti, nemo tam citam in propinquo commutationem esse credidisset, quàm quidem brevi post subsecuta fuit; Nam post quatriduum temperatius non expectata venit septimana, quæ à die decimo octavo ad vigesimum quintum, à plenilunio ad ultimum quadrantem, sole ex fine leonis decurrente ad virginem, magnam meteororum inconstantiam, ventos & pluvias, nebulas tandem in serenitatem terminatas tulit, cum frigore, eò magis tum notabili & sensibili, quò magis insuetum illo tempore, & per calorem modò relaxato corpori magis in congruum: qui enim Novembri tepidus & blandus diceretur aër, idem Augusto frigoris sensum incutit corpori aliter disposito. Testimonium caloris & frigoris illius dedit Thermometrum florentinum clausum parvulum, cujus liquor caloris vi è globo in tubulum se expandit & exsurrexit ad gradum usq; vigesimum octavum, quò usq; prioribus æstatibus rarò pertigerat; Ab hoc autem gradu retractus refrigerato aëre descendit, usq; dum compareret in gradu decimo quarto, qui gradus est, quem non semel Octobri mense, etiam circa ingressum solis in Scorpium manè tenuit. Hæc proin per quatuordecim gradus stationum differentia, quæ intervallo dierum non magno, sc. à vesperâ diei decimi tertii ad mane vigesimi quinti contigit, magna utiq; est, cùm in summo hyemis gelu liquor vix intra globum cogatur, atq; ita per integrum annum ab extremo ad extremum differentia motuum non soleat esse major viginti octo dictis gradibus.

Non

Non verò durabile fuit inopinum illud frigus, sed dies hos velut autumnales iterum exceperunt dies æstivi, idque etiam sat citò, intra sextiduum adeò rursus excalefacto aëre, ut die ultimo Augusti liquorem thermometri ad vigesimum quintum gradum proveheret, non tamen amplius ad pristinum apicem.

Causas intempestivi hujus frigoris quærentibus, occurrit primò Sol, circa principium ultimi signi æstivi constitutus, adeòque finem faciens diebus canicularibus, quo tempore mirum non foret, remitti calorem, nisi notorium esset, ipsum non rarò ante & post canem tantum aut majorem sentiri, ac sub ipso cane; Cùm insuper mutatio illa fuerit subitanea!, & calor brevi post denuò magna sumserit incrementa, quapropter de causis porrò dispiciendum, & considerandus erit ille Augustus, ut nobis infestus duplici grandine: Aliæ tempestates utut frequentes & graves, aërem tamen, quod alias facere solent, nunquam contemperarunt, illæ verò duæ grandinosæ id utique effecerunt, prior quidem diei tertii vespertina nec multum, nec diu, posterior autem diei decimi quarti matutina & efficacius & in longius coërcuit aërem, ut ad finem usq; mensis in tempestates cieri nequiverit. Hæc quæ vicinum urbi tractum versus Zephyroboream percussit grando, tanta utiq; non fuit, quanta alibi lapsa non sine horrore legitur, atq; adeò, an pro tanto effectu sufficiat causa, dubium relinquit, ut optandum sit, ex aliorum observationibus suppleri, tam quales alibi tum fuerint tempestates, quam inprimis, quod cardinem rei tangit, quò usque per germaniam frigida illa septimana fuerit sensibilis. Tertium symbolum contulerunt venti, nam primo statim post grandinem die flare cœperunt, & per triduum repetierunt pomeridiani & serenantes etesiæ, sive euroboreæ, ad caniculares dies non restringendi; His perflatus aër manè solebat esse temperatior. Emanserunt autem ipso die plenilunii decimo octavo, quo cœperunt flatus occidentales, qui pluvias & insignem inconstantiam tulerunt, in specie die vigesimo spirarunt subfrigidi; Et sic tandem die vigesimo quarto post imbrem matutinum aquilo ita cœgit aërem, ut refrigeratus & serenatus, thermometrum retraheret ad illum decimum quartum gradum, non obstante matutinâ nebulâ. Colligi ex his potest, absumtum fuisse per tot & tantas tempestates inflammabile & calorificum in athmosphærâ principium, delatum cum grandine desuper frigidum æthera, spirasse ab ejus solutione gelida effluvia, quibus omninò prohibitus aër, quò minus incalesceret.

Satis

Satis quidem hæc probabilia videntur, sed non æquè clarum illud, qui tales intempestivè suis antris exciverit causas frigoris? Vulgus id in promptu sibi videbatur habere, cùm in calendario duas Eclipses uni illi Augusto adscriptas legeret, unam quidem solis die quarto, alteram lunæ die decimo octavo, quamvis utramq; nobis invisibilem; Et sanè hoc verum est, incidisse secundam eclipsin in principium refrigerationis, illud autem dubium adhuc, an illa duo fuerint connexa, an significativè an causaliter? Reliquos per id temporis spatium planetarum aspectus Astrologis applicandos remitto, illud modò notaverim, ante & post illud frigus æstuosas tempestates contigisse tunc, cùm veneri & mercurio oppositus staret jupiter, cùm verò soli opponeretur, uno die præcessisse mane illud frigidum; an, quòd serenitatis Pater, ita frigori terminum ponens, novo calori tulerit principium? Si illâ inclementi septimanâ saturnus veneri fuisset oppositus, uti quidem die ultimo calido (fide ephemeridum) stetit, tum ex fontibus Astrologiæ causam haberemus satis congruam, at verò sine tanto aspectu tale frigus, sub illo autem aspectu calorem viguisse, hoc permutatis, ita vicibus anomalum; quem nodum solvendum aliis commendo: Id unum adhuc addens, qualiter illis phænomenis tum correspondent Barometrum: Fuit autem quod mirum, non humile sed satis altum sub gravi dicto tempestatum æstu, quippe palmorum trium, & minutorum octodecim; Per eteſias procurata fuit ulterior duorum minutorum altitudo, sed & sensim rursus demissa adhuc sub euro; Ipso die plenilunii ecliptici & sequentibus humilius fuit barometrum, minuta non nisi quindecim aut sedecim habens ultra tres palmos, ita tamen, ut certò non constet, quid plenilunio vel eclipsi tribuendum, quia coinciderunt aspectus duo Kepleriani, quia mox sequta duplex lunæ cum superioribus planetis conjunctio, & proxima fuit veneris & mercrii conjunctio, qui famosus aspectus in turbando aëre ad demittendum barometrum; Tandè iterum cylindrus mercurialis fuit minutos octodecim supra tres palmos, sub principio serenitatis, & novendecim ipso mane frigido; adeòque vel nullum vel unius minuti discrimen intercedit inter stationes barometricum diverso adeò sub calore & frigore thermometro.

OBSERVATIO LXXII.

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De Fructibus Prunorum Monstrosis.

CUm Excel. Dn. Valentini ova prunorum subventanea in Ephemer. D. II. A. X. curiosis indicaret, tale quid Tubingæ visum non recordabar; sed non diu expectandum fuit, nam sequentes anni eorum abundè tulerunt. De notis itaq; mentionem ulteriorem non feci, transmisi etiam, cùm semel atq; iterum recurrerent, postquam verò per nuperam æstatem largior eorum proventus denuò fuit observatus, breve scholion subjungendum duxi. Cùm enim junio mense veri & boni prunorum fructus olivas referrent & æquarent, tum degeneres illi æquales ferè & consimiles Siliquis piscorum immaturis, utpote lati, compressi, inflexi, velut arcuati, pallidè virebant, in crassiusculo suo cortice cavi, nihil continebant, adeòque considerari merebantur secundum sequentia potiora sua phænomena: Primò, Cæsalpinus, Joach. Camerarius, Maur. Hofmannus, Turcas Italorum adscribunt pruno sylvestri sive acaciæ germanicæ, & hujus fructum modo prius dicto degenerasse annotarunt; Rajus autem id pruno sylvestri non peculiare esse monet, cùm aliis etiam prunis accidere observarit. Hactenus per plures annos, quibus frequentior talium prunorum degenerum proventus, circa urbem non uno loco, sed sparsim per hortos & vineas, mihi illa monstra non comparuerunt, nisi in illâ specie, quæ pruna Damascena vel Ungarica atrocærulea fert, quorum exsiccatorum in culinis usus est, cùm his permixtim ab eâdem arbore pendebant illi fatui, & præcociter delabentes exsiccabantur, dum hærentes boni matureścerent ad autumnum. Secundò, laudati scriptores conversionem fructûs in hoc monstrum observarunt à defloreścentiâ, simul atq; imbres contigerint, post frequentes pluvias verni temporis, aut cùm præmaturum veris calorem frigus excipit intensius: Fuit hoc anno germinatio arborum diu retardata, quippe Aprilis potissimum frigidus, siccus, sub finem post brevem veluti æstatem graviter pruinosus & gelidus; Majus item principio inconstans, dein autem maximam partem siccus, sub finem æstivè calidus. Tertiò Rajus huic corpori adscribit ova, depositа ab insecto, quod tenellum fructum compunxerit; Verumenimuerò

hospites vermiculos utut diligenter & sæpè quæsitos in os nunquam inveni, qui tamen in pomis, avellanis, &c. adeò sunt obvii, nec formam fructûs mutant, ipsa quoque pruna, quæ autumno sæpè verminoso intus pulvere scatent, ab illis monstris planè sunt diversa, quippe quæ illo non obstante, tamen matureſcunt; Nec gallam dicere possum, quod ita omnis insecti expers semper vidi. Unde quandò rectius Laud. Valentini analogiam quandam sumit ab ovis subventaneis, vel si ovum tale quis sumat strictiùs pro semine plantæ, ob deficiens masculinum principium infœcundo adeoque habeat ipsum nucleum pruni pro germine, membranas & corticem pro secundinis, pericarpii pulpam pro utero, tunc ita degenerasse dicemus illos fructus, ut non solùm ovi fœtus ibi defuerint, vel perfici non potuerit, sed & exteriora illa involucra in molliorem quandam carnem inanem obierint, & à naturali suâ formâ receſſerint, quæ in aliis ovis subventaneis solent esse integra. Consimile monstrum raphani fructificantis vidi uno priorum annorum, julio mense, ubi loco siliquarum fungosarũ excreverant folia crassa instar loborum, ut caulis mixturâ siliquorum & istiusmodi monstrorum crassè adumbraret similitudinem floris pasionis.

OBSERVATIO LXXIII.

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De Sono Quodam Dubio.

OBversari aliquando auribus suis, sub alto cæteroquin silentio, sonum quendam planè singularem, inquietæ parvuli & portatilis horologii pulsationi planè consimilem, cùm in amicorum conseſſu quidam nuper proponeret, plures mox invenit suffragantes, qui idem sibi quoque observatum confirmabant. Potiora phænomena, quæ ex illo discursu tunc haurire potui, huc redierunt: Prætendebatur ante omnia, sonum illum non fuisse imaginarium, quippe qui attentè fuerit observatus, & advocatis in testimonium domesticis quoque exauditus, quo ipso utique distinguitur à sibilo & tinuitu aurium communi; Describebatur porrò idem sonus quasi ludibundus, id est, non pro lubitu quovis tempore audiendus, non perpetuus, sed incerto tempore & ex improviso sæpè notabilis, subtrahens se & recurrens, interim subtilis, clarus, in totum autem simili-

similimus sono pulsantis horologioli, adeò quidem, ut cùm plerumque æqualis & ordinatus sit, interdum præcipitanter quasi unum alterumque ictum deproperet. Dicebatur itaque, cùm sic illuderet ille sonus præcipuè stantibus ad parietes conclavis, remotos aliquando fuisse asseres, quibus obducebatur paries, sed nihil tamen inde mutatum, quin velut ex ipso muro auditum fuisse sonum; Denique cùm quidam talem sonum certæ domui, certæve familiæ vellent esse proprium, alii ominosum prærenderent, fuerunt plures, qui contradicerent, ad experientiam propriam provocantes. Cum his phænomenis mihi propositis (pro quorum veritate stabant, qui narrarunt rem omnem) rationes neque quas ipse concepi neque quas ab aliis audivi, conciliare potui: Qui primus soni mentionem fecerat, fuit notus mihi hypochondriacus, etiam palpitationi cordis obnoxius; statim ergò suspicionem conceperam, tribuendam fore impressionem soni pulsatorii subtilis motui arteriolæ cujusdam internæ, à sanguine fortius moto aut ægrius promoto in penetralibus ossis auditorii per delicatius talis personæ organum; Sed hoc vicini non exaudirent, nec tot aliis commune. Non magis subsistere potest alia quorundam suspicio, audiri motum vermis, ligni interna rodentis & depascentis, si verum est phænomenon subsistentis soni remoto ligno. Multo minus concipere potui, quales essent illi genii vel Spiritus domestici, an lares aut penates gentilium, quibus alii sonum adscribere volebant. Unde rem omnem in incerto reliqui, usque dum eam mihi ipsi accuratius liceat observare.

(Tubingâ Augustam Vind. d. 13. Nov. A. 1701. missa.)

OBSERVATIO LXXIV.

Dn. D. EBERHARDI GOCKELII.

Ab Inhabitatione conclavis nuperrimè extructi & Concamerati, ac calce noviter illiti, mala ac periculosissima symptomata excitata.

ANno 1701. tempore vernali, cum in noviter altius evecto, & diversis ædificiis amplificato & exornato Monasterio Wengensi, (quod Ulmæ est,) inter alia schola nova & hypocaustum cum annexo Cubiculo

spatioso concameratum pro scholaribus extructum esset, & alumni, simul ac scholares per aliquod tempus in illo Conclavi, tam de die discendo, quam noctu in Cubiculo dormiendo commorarentur, quinque vel sex illorum ægrotare cæperunt, & de capitis dolore, asthmate, tussi, angustia circa præcordia, cibi inappetentia, siti, calore præternaturali, ac virium languore conquesti sunt. Ego ad hos Patientes Vocatus, judicavi, quod causa hujus morbi ex calcis vivæ vapore nidoreq; particulis acribus, mordacibus & causticis, per inspirationem organis respirationi dicatis, vasisque ac vesiculis pulmonalibus, lymphæ ac sanguini, nec non ipsis spiritibus vitalibus ac animalibus communicatis ac insinuatis, provenerit; Quapropter illis statim in principio emetica, ac potiones lenientes, postea que etiam alia remedia lenientia, alterantia, abstergentia, lubricantia, diaphoretica, theriacalia, & alexipharmaca; aquas item ac decocta pectoralia, clysteres, aliaque hujus generis appropriata remedia, (non neglecta conveniente Diæta,) præscripsi, quorum unus ex nobili prosapia oriundus, gravitate morbi, febris acutæ, ac gravissimorum symptomatum extinctus fuit, reliqui verò successivè convaluerunt. Sedulò igitur cavendum est, ne quis diutius in conclavibus noviter extructis & calce illitis commoretur, ne in similem morbum, graviaque & simul periculosissima symptomata incurrat. Hujus rei Exemplum refert etiam Franciscus Joel. Med. D. & quondam in Academia Gryphiswaldensi Professor celeberrimus Operum suorum Medicor. Tomo 5. de Febribus & Venenis pag. mih. 125. & 126. Tit. de Calce viva, de Viro quodam nobilissimo ac prudentissimo, Georgio à Platen, Rugiæ præfecto, qui cum Wolgasti in nuptiis Ducis Ernesti Ludovici in conclavi pridiè calce oblinito propter hospitiorum penuriam commorari cogeretur, in Peripneumoniam, Catarrhum, Tussim, & inextinguibilem Sitim incidit, & paulo post interiit. Et dictus Author non solum ab istiusmodi Conclavibus nuper extructis, & calce viva illitis, sed etiam à largiori potu vinorum, quæ in loco calce scaturiente nata sunt, dehortatur, qualia sunt Hungarica, Gallica & Misnicorum pars benè magna, ex quorum largiori potu non tantum allegata symptomata, sed & ardentes febres, nervorum Contractiones, & paralyses excitantur. De reliquo, Cura symptomatū ex calce perficitur potionibus lenientibus & lubricantibus, calcisque acrimoniam refringentibus, qualia sunt Decocta rad. & sem. malvæ, altheæ, sem. lini, syrupus Violarum, & pulpa Cassiæ per os sumpta; it. Clysteres ex decocto malvæ, pulpa Cassiæ, & mucilagine seminis psyllij parati. In Cibo prosunt butyrum recens, lac tepidum, Cremor ptisanæ

sanæ avenaceæ, & Oryza cum lacte cocta. Antidotum veneni est Terræ Lemniæ ʒij cum aq. rosar. aut lacte assumptæ. Plura, quæ ad Curationem attinent, ex Curatione Arsenici & Cantharidum, quæ paria fermè symptomata, videlicet ventris & intestinorum ex erosione cruciatus, faucium & linguæ ariditatem, inexplebilem sitim, tussim, respirationis difficultatem, urinæ suppressionem, & dysenteriam excitare consueverunt, peti debent.

OBSERVATIO LXXV.

Dn. D. EBERHARDI GOCKELII.

De Milite, ex improviso Convulsionibus epilepticis sine manifesta causa tentato, ac spatio aliquot horarum trucidato.

ANno 1701. die 8. April. Christianus Jörgner, miles præsidiarius Ulmensis, manè sanus & incolumis è lecto surrexit, & totam diem usque ad cænam sine ullo persentito incommodo transegit, & â meridie cum aliquo suorum commilitonum mensuram cerevisiæ in diversorio bibit, & circa vesperam domum ivit; Cum verò cum sua Conjuge cœnasset, inter Cœnandum conquestus est, quod sibi non aliter sit, ac si fumus Nicotianæ, (licet nicotianam non biberit) suo nidore & acredine totum caput, linguam ac fauces occupasset; Hoc tamen non attento, ille ad nocturnas excubias in propugnaculum se recepit, ubi circa horam nonam vel decimam ex improviso sensu ac motu privatus in terram decidit, ac â suis Comilitonibus in suum domicilium deportatus est. Ego media nocte ad illum vocatus, hunc Patientem horrendis convulsionibus infestatum deprehendi, & licet ipsi varia specifica & appropriata remedia interna & externa, (Pulvis videlicet Cephalicus Dn. D. Michaelis, cum pulvere epileptico Marchionis & castorei, it. Liquor CC. succinatus, theriaca, & Aqua Composita Epileptica ex aquis Cerasor. nigr. flor. tiliæ, pæoniæ, epileptica Langii, hirund. cum castoreo, aliisque specificis, invicem mixtis; Externè verò Spiritus Cephalicus Anhaltinus, vertici, naribus, ac Cervici illitus, fumusque ex accenso succino naribus insufflatus, propinata & applicata, itemque sectio venæ medianæ) adhibita fuerint, omnia tamen nihil quicquam profecerunt, sed paroxysmi epileptici creberrimi (quibus ante hac nunquam obnoxius erat) ipsum identidem sine induciis cruciarunt, ac circa diluculum vita privarunt. Quamvis

autem hoc malum aliâs motus convulsivus & interpolatus totius corporis, aut nonnullarum tantum partium, cum detentione sensuum ac principũ functionum sit, ac ut plurimũ, quoad causam internam, ab acido, nervos spasmodicè irritante, spirituumque animalium impetuoso ac explosivo influxu, proficiscatur; Nemo tamen de hoc patiente, qui nihil horum antehac per totum vitæ suæ curriculum expertus est, nullum quoq; prodromum hujus morbi sensit, sed subitò ac derepentè atrocissimis his & exitialibus symptomatibus epilepticis & convulsivis correptus est, certò scire & asseverare potuit, an hoc lethale malum â causa interna in ipso corpore genita, an ab externa, venenato scilicet ac maligno aere hausto, vel cibo, autpotu intoxicato & deleterio nervis ac Spiritibus inimico provenerit, quod etiam in hunc usque diem ignoramus.

(Missæ Ulma Norimbergam d. 15. Octob. 1701.)

OBSERVATIO LXXVI.

Dn. D. ALPHONSI KHONII.

De Pertinacissima vasorum Mesenterii Hepatisque obstructione Sale Tartari volatili feliciter reserata.

VIr quidam nobilissimus & perstrenuus 37. annorum, temperamenti sanguineo-bilioſi, validâ & laudabili corporis constitutione gaudens, nisi quod per integri anni spatium paulatim sibi abdomen distendi observaverit, sed nullum inde sentiens incommodum, sibi bellè vivere visus, cum hac fuit persuasione, illud quicquid erat, esse à naturali corporis incremento potius, quam ex aliquali præter Naturam ejus constitutione. Cum autem in diæta quandoque graviter peccaret, derepentè vehementissimis colicis corripitur cruciatibus, â pituita viscida, bile æruginosa, magnaque flatuum copia oriundis, cum insigni abdominis intumescentia, vigiliis molestissimis, ciborum appetitu fermè dejecto, magna virium prostratione, bilisque & pituitæ lentæ evomitione, cui quantumvis varia medicamenta, tam purgantia & clysteres, quam anodyna & confortantia, internè & externè fuêre adhibita, dolor tamen acerbior tertio demùm decubitûs die aliquatenus saltem fuit sedatus, relictâ abdominis intumescentiâ, cachectico faciei colore, appetitu prostrato, cum corporis inquietu-

inquietudine, nocturno potissimùm tempore ac siti, cum oris & linguæ siccitate, quæ omnia magnam adhuc materiæ peccantis biliosæ & phlegmaticæ abundantiam, ac effervescentiam flatulentam in stomacho & intestinis delitescentem, fermentique stomachici corruptionem, cum pertinaci vasorum mesaraicorum obstructione indicabant, quibus tam reserandis, quam ad materiam excrementitiam leniter expurgandam, alternis vicibus partim aperientia (inter qua etiam chalybeata singulariter præparata, locum habebant.) Partim evacuantia, aliaque appropriata & efficacia fuêre propinata medicamenta, quibus per plures dies studiosè continuatis, nobiliss. Dn. Patiens melius se habere cœpit, dum abdomen successivè & notabiliter detumescebat, aliqualis alimentorum appetitus sese repræsentabat, ægerque per unam & alteram horam extra lectum subsistere poterat, relicto tamen subindè acri quodam abdominis dolore, facieique colore cachectico, cum linguæ & faucium siccitate, somnoque per intervalla turbato, accedente quandoque tempore præsertim vespertino, rigore quodam febrili, cum subsequente calore præternaturali, donec tandem quartâ decubitûs septimanâ, tam alimenta quam medicamenta omnia planè respuere incipiebat, quamvis paucissimâ quantitate exhibita, deque intenso in hypochondrio dextro, circa hepatis regionem dolore conquerebatur, cum atrophia totius corporis, ob succi alimentitii defectum. Paulo post autem Natura contentorum adhuc dum in stomacho & intestinis excrementorum biliosorum pertæsa, mediante facultate expultrice, magnam bilis vitellinæ & pituitæ picis instar lentissimæ quantitatem per vomitum exturbavit, cum aliquali levamine, sed nauseabundo adhuc stomacho, & oris amaritie, quibus observatis, leve quoddam vomitivum fuit propinatum, quod felici successu bilem cum pituita viscida conjunctam non solùm per superiora sed etiam per secessum largiter & cum euphoria expulit, cum corporis quadam allevatione.

Sed paulo post omnia in pejus ruebant, dum Dn. Patiens de gravissimo circa hypochondrium dextrum, intestinorumque dolore de novo conquerebatur, ob vasorum mesenterii hepatisque obstructionem pertinacissimam, hinc ob exortam quoque inediam, vigiliasque ferè continuas, corporis vires quotidiè magis magisque deficiebant, Dominusque Patiens valdè extenuatus erat. Tandem mihi de remedio quodam obstructiones internas rebelles efficaciter reserante cogitanti, in mentem venit Sal Tartari volatile, de cujus singulari oppilationes inveteratas reserandi virtute experientia me egregia quædam docuit, usurpato igitur

hocce

hocce sale quotidiè in vehiculo convenienti mane, & vesperi, à scrupulo semis paulatim ad 15. grana ascendendo, & quidem per 15. dies continuando, tunc tam hepatis quam mesenterii vasorum obstructiones pertinacissimæ sensim & successivè, Divinâ mediante benedictione, feliciter reseratæ fuerunt, hincque nobilissimus Dn Patiens, præscriptâ quoque convenienti diætâ studiosè observatâ, assumtoque simul per intervalla medicamento stomachum roborante, pristinam sanitatem, DEO O. M. sit laus & honor, ex voto recuperavit.

OBSERVATIO LXXVII.

Dn. D. ALPHONSI KHONII.

De Chirurgia Infusoria ejusque ope chronicis & fermè desperatis quibusdam morbis egregiè depulsis.

EXimia hactenus de Infusione liquoris alicujus in hominem aut bestiam & Transfusione sanguinis ex animali in animal, aut ex animali in hominem, aut ex homine in hominem, Experimenta in Germania, Anglia, Gallia atque Italia facta fuisse, scripta diversa non minus docta quam curiosa demonstrârunt. Infunduntur autem ab Artificii hujus sedulis scrutatoribus, apertis vivi corporis vasis varii liquores, artificiosi siphunculi metallici ope, tam curiosæ indagationis, quam recuperandæ sanitatis gratiâ, prout diversa à viris celeberrimis specimina in lucemfuêre edita.

Et quoniam occasio sese mihi obtulit aliquot ægrotantium, morbis chronicis affectorum, qui plurimorum medicaminum usu pertæsi, & tandem adeò nauseabundi facti, ut amplius ea ne quidem olfacere, multo minus assumere potuerint, propterea suasi, ut emissâ sanguinis certâ portione, liquorem aliquem salutarem venis eorum infundi concederent. Annuentibus ipsis, & opere hoc arduo studiosè pensitato, ne nimis audax videar, à cane prius initium feci, & Chirurgo experto ad hanc rem sufficienter instructo mandavi, ut canem majorem per artus ligaret, in dextri cruris latere interno cutem dissecaret, venam cruralem ejus loci detegeret, lanceolâ foramen pararet, & ut ejus minister injecto indice venam ultra incisionem, pro fluxu sanguinis impediendo, comprimeret. His ita præmissis, Chirurgus aquæ borraginis unciam unam semis in siphunculum æneum attractam per fissuram impulit, mecum non parùm gavisus

gavisus, laborem hunc tam commodè succedere, postea pauxillo fungi impositò, cutem acia consuit, & canem in terram reposuit, qui vulnus aliquantisper circumlambiendo surrexit, & fugam, quasi nihil passus, arripuit. Negotio hoc feliciter peracto certior redditus, Infusionem istam non tantùm in canibus fieri posse, sed etiam in hominibus, captare occasionem cæpi apud tres ægros cordatiores, qui Immissionum hanc admiserunt. Primus erat Rusticus quidam 28. annorum, Scabie inveteratâ, Lepræ Græcorum parùm absimili, per aliquot jam annos laborans, qui multivariis remediis internis & externis, à Medicis & medicastris frustrà usus, meam tandem implorabat opem, cui primâ vice, probè purgato prius corpore, Infusionem hanc adaptavi & consului, si sanari desideraret, è re fore, ut aperto venæ cruralis ramo interno, tantillum liquoris cujusdam balsamici per canaliculum subtilem immitteretur. Is cum spe salutis facile consentiret, jussi venam illam aperiri à Chirurgo, cujus supra mentio facta, in venam incisam siphonem ad hunc finem affabrè factum, Essentiâ lignorum cum aqua sumariæ certâ proportione repletum indidit, & compressâ cute sursum sine obstaculo aut noxâ impulit. Post fasciam injectam ægrum interrogabam, utrum intrusio canalis dolorem sibi intulisset? ferè nullum respondit, & DEO favente indies melius se habere cœpit, idcircò Infusionem hanc menstruo spatio duabus adhuc vicibus apud illum repetii, & sic ægrotans ille qui fœda & abominanda scabie laborabat, & jam ab hominum consortio removendus erat, Divinâ benedictione pristinæ sanitati restitutus fuit. Alter patiens in simili fermè casu fuit fœmina quædam 47. annorum, in cælibatu adhuc vivens, famulæ vices gerens, quæ scabie psoradicâ per longum temporis spatium fuit affecta, & innumeris remediis inaniter usurpatis, tandem quasi desperans à me quæsivit, utrum nullum in universo reperiatur medicamentum, quo molestissimus illius affectus curari & depelli queat? huic de modò Infusionis liquoris cujusdam in venam brachii vel pedis dixi, cujus ope aliquot morbi rebelles & chronici fuêre ablati. Annuente ipsâ, simili modo uti supra Infusionem instituì, mediante certo quodam liquore, sanguinis massam impuram & corruptam egregiè corrigente ac depurante, & quoniam morbus valdè contumax erat, quatuor vicibus Infusio iterata fuit, quibus ritè peractis, ægra hæc à turpi & molestissimo affectu DEI gratiâ liberata, convaluit.

Tertius ægrotans Vir est nobilissimus, 40. annorum, qui per aliquot menses Arthritide vagâ scorbuticâ cum atrocissimis doloribus per intervalla fuit divexatus, plurimis etiam medicamentis selectissimis, tam

chymicis quam Galenicis, à diversis Medicis hic & alibi diu frustrà internè exhibitis, & externè applicatis, vitæ suæ pertæsus, ob ingentes & fermè intolerabiles cruciatus ipsemet à me petiit, ut Infusio liquoris cujusdam dolorem sopientis in venâ crurali institueretur, præprimis cum audivisset, artificiosum hunc varios morbos curandi modum apud non nullos felici successu administratum fuisse. Peractâ igitur infusione ex mixtura Spir. lumbricor ʒß. Essent. anodijn. ϑß. & aq. beccabung. ʒij. post unam & alteram horam dolores atrocissimi paulatim remiserunt, & quasi evanuerunt, ac Dn. Patiens pro egregiâ hac allevatione magnas supremo Archiatro persolvit grates, Infusionemque hanc summis extulit laudibus, firmiter sibi persuasus, medicamenta per os assumta, magnam virium partem in via longinqua perdere, antequam ad locum affectum perveniant; illa verò per istiusmodi Infusionem ægrotantibus applicata, integris viribus ad partem destinatam penetrare. Quando deinceps dolores redire sentiebat, statim ad infusionem hanc, tanquàm ad sacram anchoram confugiebat. Doloribus ita mitigatis & sopitis, medicamenta etiam per os exhibita libentius postea assumebat, & sic internorum & externorum medicamentorum viribus unitis successivè ab intensissimis & pertinacissimis cruciatibus Divinâ benedictione, feliciter fuit ereptus, simulque insigne levamen in Arthritico suo affectu sentiens, longè melius postea se habuit, suoque Officio iterum fungi potuit.

OBSERVATIO LXXVIII.

Dn. D. ALPHONSI KHONII.

De Passione Colica cum cruciatibus intensissimis, Mercurii vivi beneficio ex voto sublata.

TExtoris cujusdam conjux 44. annorum propter abdominis tumorem mensiumque suppressionem pro gravida perperàm habita, Colicâ corripitur passione gravissimâ, cũ intolerabilibus fermè doloribus, ac tumore abdominis pedumque fermè hydropico, Medici cujusdam operâ utitur, quia varia haud contemnenda præscripsit remedia, quibus parùm vel nihil efficientibus, omnibusque statim per os rejectis, meum imploravit consilium, cui primâ statim vice (causam morbi secum indurationem valdè pertinacem esse conjecturans, ne malum in pejus rueret, affectusque hic in passionem Iliacam degeneraret) præscripsi Mercurii vivi purificati ʒiiij. Olei amygdalar. dulc. ʒß. & aq. cinamom. cydoniat. ʒij.

℥ij. quam mixturam quidem retinuit, unà cum postea assumto jusculo, doloribus tamen perseverantibus, idcircò paulo post clysterem emollientem & laxantem applicari curavi, dolorem quoque demulcentia externa abdomini fuêre admota, sed irrito conatu. Altero die ob doloris acutissimi continuationem enema fuit injectum ex olei lini depurati ℥x. & pulv. troch. Alhand. ℥ij. quod patiens per horam integram retinuit, indeque feces exiccatas copiosas excrevit, cum egregio levamine. Interea ad virium resocillationem & stomachi refectionem exhibui aquam cinamomi cydoniatam, & stomachicam Dn. D. Horstii, cum syrupo cydoniorum permixtam, cujus effectum valdè commendabat; potus erat vinum cum decocto passularum dilutum, ac Syrupi Cydoniorum pauxillo permixtum, Et hisce medicamentis usque ad tertium diem mediocriter sese habebat, postea atrocissimis cruciatibus denuò divexabatur, propterea mercurii vivi purificati alterâ vice propinavi ℥vj. cum oleo amygdal. dulc. & aqua cinamomi uti supra, clyster quoque ex oleo lini cum pulv. trochiscor. Alhandal ob doloris pertinaciam, aliquot interpositis horis, fuit repetitus, tunc subsequenti nocte copiosa valdè materiæ peccantis pituitosæ, limosæ, viscidæ & serosæ, cum mercurio vivo mixtæ quantitas cum euphoria insigni exturbata fuit. Ad reliquias deindè expellendas præscripsi ol. amygdal. dulc. rec. expressi & vini Hispanici optimi an ℥ß. pulv. troch. Alh. ʒß. quæ potiuncula felici admodũ successu residuas feces, cum mercurii vivi subtilissimis particulis commodè eliminavit, doloresque ex toto sopivit, paucis postea ordinatis corroborantibus patiens à gravissimo hocce affectu, DEI gratia, feliciter liberata, & pristinæ sanitati (menstruo fluxu ad debitum tempus redeunte) fuit restituta, quæ etiamnum in hodiernum usque diem prosperâ & athleticâ corporis fruitur constitutione.

OBSERVATIO LXXIX.

Dn. D. ALPHONSI KHONII.

De Passione Iliaca gravissima ab Hernia intestinali excitata, mediante Mercurio vivo prosperè devicta.

OPifex quidam 56. annorum laboriosissimus, per aliquot jam annos Herniâ intestinali in inguine, seu Bubonocele laborans, cum ante annum durioribus laboribus valdè defatigaretur, doliaque variis rebus

repleta satis ponderosa ab uno loco in alium transferre conaretur, sensit peritonæum antea laxatum, rumpi, quo rupto, intestinum Ileon subitò ad fundum usque testiculorum in scrotum delapsum est, magno statim oboriente tumore & dolore. Hisce valdè terrefactus & anxius domum redit, conjugi inopinatum casum recenset, & quid faciendum cum illa deliberat, re hinc inde pensitatâ Chirurgum ad se accersunt, qui applicato cataplasmate emolliente tam tumori quam dolori succurrere conabatur, ut postea repositio intestini prolapsi eo melius succedere posset, & ne iterum excideret, locum, effectum emplastro ad rupturas. & fascia convenienti obfirmare in animo habebat, verùm omni diligentiâ manuumque opera per biduum fermè gnaviter adhibitâ, intestinum prolapsum in locum proprium præter spem reponere non poterat, cum magnâ patientis & conjugis ejus consternatione, præsertim dum paulo post, præcedente singultu, vomitus quoque omnium assumptorum sequebatur, immò sequenti die non solùm alimenta assumta, verùm etiam feces alvinæ per os fuêre exturbatæ, cum magno fœtore & adstantium horrore, quibus visis de Medico convocando quam maximè erant solliciti, meumque implorabant auxilium: explorato statim pulsu valdè debili, ex corporis viribus prostratis, membris externis frigefactis, sudore frigido erumpente, torminibus ventris gravissimis, aliisque circumstantiis probè consideratis, rem in præcipiti esse, magnumque vitæ periculum imminere dixi, nisi alvus quamprimùm aperiatur, eapropter ægrotanti gravissimè decumbenti statim propinavi mercurii vivi per corium trajecti ℥v. cum aq. confortant. usitat. ℥ß. & paulo post clysterem ex carminativis & purgantibus, cum oleo lini & sale gemmæ nitroque præparato mixtis, applicari jussi, quo facto duabus elapsis horis alvus quidem parùm fuit subducta, cum pauco tamen vel nullo patientis levamine, & nihilominus intestinum prolapsum in locum naturalem reponi non poterat, remanente adhuc scroti & abdominis tumore, quoniam intestina non solùm fecibus valdè induratis, sed etiam plurimis flatibus repleta, distenta, & arctius compressa erant, hinc alimenta in paucissima etiam quantitate assumta, propter motum intestinorum peristalticum inversum, per vomitum denuò fuêre rejecta, unà cum fecibus alvinis, quod fœdum visu & grave odoratu spectaculum erat, symptomatibus insuper supra recensitis adhuc quoque præsentibus, paucam super esse & affulgere salutis spem quilibet facile judicare poterat. Omnibus hisce studiosè pensitatis, denuò exhibui Mercurii vivi ℥iiij. cum aq. Cinamom. ℥ß. simulque statim clysterem validiorem ordinavi, quibus Omnipotens ita benedixit, ut paulo post alvus egregiè

regiè fuerit aperta, alvique excrementa cum flatibus murmurantibus in magna quantitate fuerint extrusa, intestinumque prolapsum illicò in locum proprium reduci potuerit, cum luculento ægrotantis levamine, Symptomatibus quoque omnibus antea periculosissimis, paulatim post evanescentibus, medicamentis quibusdam corroborantibus exhibitis. Intestino tandem reposito emplastrum de pelle arietina cum fascia decenti fuit applicatum, & sic ægrotus Divinâ favente gratiâ, præter omnem spem & expectationem ex mortis faucibus fuit liberatus, cum admonitione, ut summoperè caveat, ne alvus in posterum induretur & supprimatur, vel flatibus nimis distendatur, & ut à durioribus laboribus porrò sibi caveat. Quibus observatis, optimâ jam sanitate gaudet vir, qui morti erat vicinus, & nullas vel exiguas ab herniâ molestias hactenus sensit, ad labores exercendos satis promptus & habilis.

OBSERVATIO LXXX.

Dn. D. ALPHONSI KHONII.

De Fulmine tacti curatione.

FUlmen terrificum justitiæ Divinæ telum est, mentes indomitas, & DEUM ipsum negantes stupescere, & Numinis vim agnoscere facit. Mense Majo, ipso S. Ascensionis festo, in media concione, procellosâ circa vesperam tempestate, cum murmurante tonitru fulguribusque crebris exortâ, faber quidam murarius; in summo Ulmensi templo, officii ratione cum sociis quibusdam circa fenestram in loco sublimiori, siphone quodam fulminis facile irruentis & quasi minantis damnum præcavere, vel incendium reprimere gestiens, derepentè fulmine terebrante, & ex parte urente, in aliquibus corporis sui partibus tangitur, statimque resupinus in terram cecidit, ubi per unam vel alteram horam totus attonitus recumbebat, sed post venam in brachio sectam paulatim ad se redibat, spiritibus vitalibus ad cor prius affatim properantibus, denuò postea per universum corpus diffusis, In domum cum deportatus, & in lectum collocatus esset, corporis læsio talis inventa fuit. In hypogastrio, inguinibus, circa pubis regionem, ut & in sinistro pede circa tibiam magna combustio apparebat, plurimis hinc inde vesiculis excitatis, ex quibus forficulâ apertis serosus & mordicans subflavus humor effluxit, conquerebatur de fervore totius corporis, de virium prostratione, siti, & dolore

n partibus affectis, sed assumtis aliquot cochlearibus aquæ cordial. temperat. Augustan. cum aq. perlar. & ceraſor. mixtæ, additis ocul. cancror. præp. & antimon. diaphoret. ex reg. rec parat. (ob malignitatem in hiſce caſibus facilè ſe inſinuantem) melius ſe habebat. Potus erat decoctum C. C. cum Syrupis Confortantibus, ubi ſingulo haſtui guttæ aliquot liquoris Nitri fixi admiſcebantur. Sub noctem emulſio ex ſeminib. 4. frig. major. papav. alb. citri & card. benedicti, admixtis Bezoardicis quibusdam, magnum ipſi levamen attulit. Poſtea per aliquot ſeptimanas quotidiè aliquid ſequentis pulveris cum magnâ allevatione aſſumſit:

℞. C. C. philoſoph. calc.
pulv. rubr. pannon.
Antimon. diaphoret. ex reg. an. ʒj.
Cinnabar. Antimon. opt. præp. ʒij.
Miſc. f. pulv. detur ad ſcatulam.

Partibus læſis Joh. Bartholomæus Hecking, Chirurgus Urbis deſignatus expertisſimus, unguentum ſuum ad ambuſta probatum, ex litharg. ceruſs. ſucco ſolani, ol. roſar. &c. compoſitum applicuit; dum autem malignus & valdè acris ichor partes affectas nimiùm erodebat & depaſcebatur, ut in aliquibus oſſa quaſi denudata apparerent, idcircò balſamum ſuum vulnerarium in affectibus hujusmodi appropriatum ſimùl uſurpavit, quo mediante, etiam prava illa & depaſcentia ulcera, 12. Septimanarum Spatio, Divinâ benedictione, feliciter fuêre curata.

(Ulmâ Auguſtam Vind. d. 25. Novembr. A. 1701. miſſæ.)

OBSERVATIO LXXXI.

Dn. D. GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI.

De Urina calculoſi ſanguinem mentita, calculis materiam exhibente.

URinam admodum incerta præbere morborum indicia ſi febres, calculum, & pauca alia excipias, ac ſæpe etiam illos fallere, qui ſe

se maximos in hac divinandi arte Magistratos profitentur ; imò non sine suspicione magiæ , aliquando ea produnt, quæ naturali industria jures assequi neminem posse , cum ab aliis dudum notatum, tum mihi quoque compertum est. Multa tamen atiam nobis ostendere quæ uroscopiæ imperiti nunquam fuissent assecuti , praxis cotidiana docet : quo referendum est, quod nuper vidi. Calculosus , cui dederam insigne elixir lithontripticum , quod familiari mihi in usu est, mittit ad me post dies aliquot urinam ex purpureo nigricantem , crassam ita ut sanguine plenam esse existimares. Rogo , utrum calculus acutus forte ejectus sit , negat. Sepono itaque urinam ad examen & post evaporationem , qua tota nigra sensim reddebatur , crassamento , quod in fundo remanserat , aquæ portionem adjicio , eluendi gratia. Solvitur materia , liquor fit brunnus , remanet quod aquæ poros subire renuebat. Per filtrum chartaceum transfundo solutum , aquæ nonnihil tinctum transit, sed parum : magna pro paucitate liquoris , materiæ copia in charta remanet : hanc sepono, ut sensim exsiccetur : post dies complures repeto chartam meam , invenio materiam lutosam , ex nigro ad cinereum vergentem , in duritiem lapidis concrevisse : æger vero bene habuit. Ex quo colligitur calculi hanc materiam fuisse, haut multo post coagulandam in renibus , nisi fuisset incisa & expulsa : simul apparet tales urinas in calculosis non esse magis reformidandas , quam in lienosis : de quibus alibi.

OBSERVATIO LXXXII.

Dn. D. GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI.

De Urinis in febribus cum sedimenô fallacibus.

NE autem putes urinas in febribus , quæ cum sedimento sunt certum esse reconvalescentiæ signum , hæc Observatio prohibebit. Nimirum in omnibus febribus , urinam ex crassa & rubra turbatam reddi , & luto flavo , quod Laimen nos appellamus imbutam aquam referre , & deinde cum sedimento clarescere , nemo est , qui non inter bona signa habeat : ne tamen fallaris , cautio est. Nam in febri-

febribus continuis, quæ etsi singularibus symptomatis stipata incedant, non tamen admodum hic malignæ sunt, observavi iteratis vicibus & constanter, ubi post dies aliquot (nam criticarum ἀκέλευστα hic plerumque cessat) primum nubecula se ostendit, quam sequitur mox urinæ turbatio, & paulo post sedimentum satis magnum ad fundum secedit, ut putes coctionem jam perfectam, nihilque superesse periculi, nisi tamen simul superstans urinæ liquor omnem crassitiem prorsus exuat, fiatque tenuis, citrini coloris, & pellucidissimus, non subsequi sedimenti continuationem, sed post biduum vel triduum cessare, urinam ad crassitiem & ruborem pristinum redire, & morbū recrudescere videbis: qui tamen postea sincera sedimenti positione redeunte, bona solvitur fide.

OBSERVATIO LXXXIII.

Dn. D. GUNTHERII CHRISTOPHORI SCHELHAMERI.

De Hectica cum urina bona.

Mirum est hoc tertium exemplum: vir quadraginta annorum postquam injuriam sibi factam à magistratu intemperantius ferret, in summam imbecillitatem virium incidit, cum febricula, quæ cum ipse in hecticam pronus esset, & ea jam olim laborasset, continua ac mitis quidem est, brevi tamen tempore carnes omnes depascit, hominemque in magnum conjicit periculum. Ubi aliquid cibi capit, statim calor exasperatur, ita ut appetitu licet integro & stimulante vix tamen audeat assumere quicquam tale, debilis est, pulsus manifesto frequens & durus; urina interim nihil minus quam febrim ostendit, citrina, pellucida, tenuis, paucis, sanorum similima. Quod cum plane contra omnem experientiam & rationem contigerit (qui enim calor non adurat & altius evehat, coloreque imbuat particulas terreas?) inter naturæ miracula referendum censebam. In hoc etiam id mirum, quod & appetitus esset constans, contra omnem febrium certamque consuetudinem, & somnum capere non posset, ne lassus quidem nec opiatis juvabatur, sed simul ac firmabat oculos, nullo etiam opiousus, statim in phantasias & deliramenta comatosa incidebat. Hic jam omni cerevisia & jusculis pinguibus omis-

omissis, decoctis largis hordeaceis cum passulis & aliis melius habere cepit, & in magna exspectatione ac spe est positus pristinam valetudinem & recuperaturum.

OBSERVATIO LXXXIV.

Dn. D. GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI.

De Itinere ad Insulam Maris Baltici.

MEnse Junio anni currentis, cum & temporis opportunitas, & amœnitas cœli, & jucundissima aeris temperies nos invitaret, vacatio denique esset à curationibus, morbis propemodum omnis generis cessantibus, in Insulam decem leveis hinc dissitam, Femaræ nomen est, iter habui. Ibi cum alia multa, & inter hæc etiam Strumas mammarum ab autoribus descriptas non ubique aut facile obvias, in ægra, quæ sese offerebat, vidi: (de quarum curatione forte alio tempore rationem reddam) tum & loci cœlique temperiem & soli naturam, non sine animi oblectatione, contemplatus sum. Sita est ad extremum (Vagriæ, quæ nunc nomine Oldenburgensis districtus, ab oppido quodam ejus regionis in mappis recentibus exhiberi solet) angulum a continenti; ita ut vix dimidiũ horæ trajectus intersit, si quis terra iter instituat, sub gradu latitudinis 31. & his qui Kilonia Lubecam navigio tendunt, in medio itinere occurrit, estque per fretum illud, quod a continenti eam distinguit, transeundum. A tergo septentrionem versus Falstriam habet, quatuor milliaribus dissitam, ut per hanc etiam viam commode Haffniam tendi possit. Hinc antiquissimorum temporum scrutator aliquis conjectat, omnia hæc in principio terram cultam fuisse, & hominibus habitatam, postea Diluvio, cum cœli fenestræ immanem aquarum copiam illi desuper immisissent, frementibus undis, & locum sibi vi maxima facientibus perrupta repagula, & ibi tum mare in medio consedisse, relicta nostra hac Falstria atque Seelandia, rupibus forte innixis, solidissimoque fundamento gaudentibus, quorum tamen in hujus superficie ne vestigium quidem apparet; parvus tantum collis ad Burgum oppidum, insulæ caput, ex Sabulosa constans terra: pars reliqua perpetua planitie lata panditur, & ubique fere tota oculis patet, paululum ex mari prominens, cujus fluctus arenosa ripa

sa ripa ut in Hollandiæ extremis oris quibusdam videmus, franguntur. Mira hic Baltici maris nostri benignitas præ Oceani feritate eluceſcit: Cum enim ex altero litore Holſatiæ noſtræ ad occaſum fortisſimis opus ſit propugnaculis, & per longisſimos tractus protenſis vallis hic planam & veluti ſuo numine tutam Inſulam nihil incommodat, & placide inclinatam ripam vel altisſimum tumens innoxie alluit æquor. Et cum ex altera Holſatiæ parte Oceanus âb Inſula, quam terram ſanctam vocant (heilige Land) quotidie aliquid rapiat, atque deterat, ita ut jam certo credatur, antequam ſeculum hoc ad finem ſuum delabatur, nullum ejus amplius veſtigium reliquum fore, hæc nihil detrimenti patitur. Cujus rei cauſam non aliam eſſe puto, quam æſtum maris, quem, fluxus & refluxus conſtituit, cui cum ventus adjungit ſe, & à tergò inſtat procellarum vi maxima concurrente, vix ulla humana potentia poteſt reſiſtere: hoc autem caret fluxu & refluxu Balticus ſinus, perinde atque Mediterraneum mare in Italiæ oris.

Tota igitur hæc Inſula plana eſt, gleba pinguis, nigricans, adeoque fertilisſima, tritici hordeiqu ferax, quæ optima producit, & hinc omnibus expetita, non accolis modo ſed Batavis, Britannis, aliisque diſſitis populis. Hinc incolarum non exiguum alit numerum, ut cum milliare dimidium lata ſit, vix duo milliaria longitudine æquet, quadraginta & duos pagos complectatur, eosque non ſtramine tectis tuguriolis conſtantes, ſed ædibus unius licet plerumq; contignationis, ob ventorum impetum, ſpatioſis tamen & tegulis munitis. Iſtis cum undiq; pateat, hyemes nonnihil inclementiores & æſtates frigidæ: ita tamen ut poma, pira, imo mala Armeniaca & ex parte etiam Perſica juſtam maturitatem attingant & arbuſculæ ferant ætatem. Pecudum greges pauci ſunt, quod omne ſolum frumento deſtinatur, mare piſcibus abundat: Salmone, Halece, & quem Dörſch vocant, nobilisſimo & exquiſiti guſtu. Piſcinis non caret, ut quantum ſat eſt, hinc etiam petant aquarum dulcium ſobolem indigenæ. Feras tamen, quod ſylvis deſtituatur, majores nullos lepores alit, & vulpes autem copiam ingentem habet. Horum captandorum cauſa cum excurrerem in campos proximos, in locum devenimus incultum parco gramine obtectum, ex cujus ſolo ingens lapidum copia prominebat. Sciſcitor ex comitibus, quid hoc rei? cur non effodiant lapides & latisſimum campum frumento, itidem conſerant. Reſponſum fero, hos lapides ibi generari, & ſuccreſcere cotidie, & quos videam, vix ſupremo vertice conſpicuos profundius adhuc in terra latere, ſenſim magis egredi, & prout augmentum capiant, è natali ſolo extrudi in aërem liberum: oſten-

ostendunt simul colliculorum magnum numerum, quos prægnantes lapidum esse ferunt. Vix fidem habeo, tam inauditæ narrationi, cum interim unum aut alterum emetimur stadium, ubi rursum talis tractus sese offert, adeo lapidibus non nisi suprema parte aut media conspicuis repletum, ut vix invenirent equi, ubi pedes ponerent. Et cum non modo ipsa Insula, sed etiam adjacens omnis provincia rupibus penitus carerer, neque lapides illatos ingentes, & vix machinis movendos, credi ullo modo posset, satis jam certum erat, ibi natos esse. Cum autem de modo tam insolito adhuc ambigerem, ecce unus ex incolis, quem consulo, vir gravis, & non ex vulgo, sed magistratu, asseverat, observari lapides magnitudine augeri hominum viventium memoria. Senes Insulæ testes esse, qui parvos conspexissent & recenter è terra matre egressos qui nunc in molem excreverint. Alii & hoc affirmant, intra quinquennium accidisse, ut quos agros arare, & glebas eorum vertere, jam dudum essent consueti, lapidibus ex intimo solo in altum ascendentibus, & protrusis, deserere cogerentur. Sunt isti lapides durissimi, ex cinereo nigricantes, magnitudine varii, nulli tamen infra capitis humani amplitudinem, omnes, ejusdem generis, terræ adhuc inhærentes omnes, & qui emersi sunt, vix dimidium sui oculis offerre videntur. Inter hos ipsos colliculi illi parturientes frequentes adhuc comparent, ex quorum aliquibus jam supremum caput emergebat, ut parturire non montes sed lapides, terra hæc verè dici possit. Non secus ergo hic isti, ac alibi plantæ nascuntur, aut metalla, quæ itidem tandem e terra erumpere constat; sed ex venis. Hujus rei cum nihil usquam simile legatur, dignum judicavi quod hic publici juris fieret. Si quis de negare mihi fidem velit, cogitet, me quæ vidi, manibusque palpavi, in tali loco scribere, qui cum Insula vicina quotidianum alit commercium, unde facile mendacii convinci ab incolis possim, si vera non sint, omnemque frontem exuissem, si in faciem me redarguentes ferre sustinerem. Post hæc omnia reditum cogitavi: Solvimus ex Insula vento secundo, sed qui mox adversus, vertere proram coëgit, & in proximum portum, qui Sanctus incolis appellatur, cum adjacente Wagriæ oppido, confugere. Ibi etiam, ne otiosus essem Symbolis nostri memor, operam dedi: apud Reverendum Ecclesiarum Præpositum, *Præpositum Antonium Buchardum Georgii Henrici F.* cui ipso ætatis anno LXXVII. extincto, modo in officio successerat, insigni humanitate ejus invitatus, invisi: instructissimam, rarissimisque libris refertam Bibliothecam perlustravi obiter, & miratus sum beati senis & eruditionem summam, & eum in aliis, tum maxime confingendis, quod vocant inscriptionibus

ptionibus felix ingenium: cujus aliqua lucem adspectura, spem faci paternorum bonorum ac laudis dignissimus hæres. Tum vero hortum ingressi sumus arboribus consitum, sapidissimorum fructuum fœcundissimis, quos ad maturitatem perduci in ipsa maris ripa ventis septentrionalibus aperta, & felicius provenire quam Kiliæ, quæ longe a mari remota est, & minus istis exposita, notatu, dignum judicavi. Exhoc prospectus erat in Insulam, quam reliqueram, de qua retulit Venerabilis Antistes, tanquam rem notam omnibus, ubi procellæ & tempestates instant, eam hujus loci incolis longe altiorem & veluti ex aqua exsertam conspici; & vicissim Insulanis hunc Wagriæ tractum. Cujus rei causa in occulto sit, Esse vero ex radiorum refractione, dubitandum non est, & omnino videntur tum temporis ex Athmosphæræ regione suprema vapores deprimi, quocunque modo, terræque incumbere. Hinc crassiore circumfuso nobis aëre accidit, quod in patella collocato nummo, qui à proxime remotis, margine obstante, non conspicitur: at simul ac aqua eam repleas, veluti ascendere videtur, & in conspectum venit: ut opticis notum est. Nam deprimi ab instantibus tempestatibus etiam barometrum docet, in quo ventis tumultuantibus illico hydrargyrum descendit ex tubo vitreo, non secus ac tempore pluvioso, & aëris gravitatem indicat: ut & in montosis regionibus itemque sereno tempore humido aëris cessante & vaporibus à sole dissipatis; ubi minus incumbit Athmosphæræ pondus, ascendit rursum. Ex quibus colligere tuto licet, aërem hunc inferiorem nos circumstantem, tunc esse æque ac pluviosis temporibus crassiorem. Erat in proximo, litorisque ex orientali latere protendebatur parva quædam Insula, carens proprio nomine, Incolæ Germanica lingua den Werder nuncupant, quæ vox vernacula communi nomine Insulam significabat olim, continentis olim pars, postea maris fluctibus, procellisque abrepta, longitudine duo stadia, unum latitudine æquans, ab incolis deserta, pecudibusque quæ ex oppido cotidie huc transeunt, & potus causa sponte redeunt ad littus (quippe cum aqua dulci illa destituatur) depascenda relicta. Hic ingentem maritimarum avium copiam, nemine turbante, hospitari perhibebant. Quidam itaque nostrum, sclopetis instructi eo venatum abiere: Ego vero spectandi & explorandi causa sequi, si forte plantas nonnullas maritimas reperire obtingeret: Quæ me spes haud fefellit: Illico enim inter gramina fabulosis locis brevissima, *Glaux Marina* se obtulit, elegans plantula: itemque *Eruca siliquis subiguis hastæ similibus, à Job. Buch*: descripta, & olim in Gallia ame reperta, qua etiam nostrum hic litus condecoratur. Porro conspeximus

speximus *Eryngium* marinum cœruleum versus ipsum mare *ibidemque Cochlearian marinam* nostræ hortensi similem, nisi quod ventorum ac tempestatum injuriis paulo minus grato virore nitebat, nec ita pinguis & elegans esset, amara etiam potius quam acris. Hunc Grœnlandicæ similem non dubitaverim, qua perinde ac illic ex navigatione contractus scorbutus protinus sanaretur, si copia suppeteret. Elegans tamẽ præcesseris & novum invenimus *duplex Brassicæ marinæ genus*: quarum erat *facie Lepidii*, nam & caule & foliis, & altitudine illud exactissime referebat, sed colore ad flavedinem inclinans, flosculi erant minimi, candidi, confertim positi incima, radix vero lignea, longa & alte in terram descendens, sapor Brassicæ tam similis, ut vel gustanti confertim pateret genus ad quod esset referenda. Alterum autem quod memoravimus hoc longe elegantius & pulchrius: Nam *Brassicæ capitatæ hortensi simillimum*, nisi quod se diffundentia folia nullatenus affectabant capitis globum. Erant vero ista amplissima duplo superantia hortensis folia magis incisa & crenata imo laciniata, & virore non secus ac genuinæ, cœrulescentia: caulis crassus, robustus, in ramos plurimos divisus, florum copiosissimorum coma exornatos, qui tetrapetalis satis magni, candidi, in medio versus centrum lutea veluti corona & luteolis staminibus. Hos sequebantur siliquæ breves, tum temporis recens quippe pronatæ sed quas ætas in longum protractura videbatur. Hujus partem caulis supremam utcunque leviter adumbratam, rejectis tamen plurimis ramis ad confusionem evitandam figura hic addita repræsentat. Puto autem esse rarissima, & in cibum facile cultura aptandam. Est autem parva hæc Insula inculta quidem, nullis arboribus consita, pascuis tamen utcunque apta, ut noctes ac dies in illa boves morentur, nullo bubulco custodiri, cum ipso circumfluo mari tuti sint. Ad externam ripam ubi arena, ut dixi modo, e mari congesta altior eminet, ingens volatilium copia illarum maxime avium, quas Westeren hic dicunt, varia genera, quarum pulli in nuda arena ad lapillos semiplumes hærebant; ad quas ubi propius accessimus ut capturæ periculum imminueret, mirum quantis clamoribus & lamentosis vocibus capita nostra circumvolarent adultæ: non nunquam ex alto sagittæ celeritate descendentes & rostro acuto vertices nostros petentes. Vanilli præterea & rusticolarum aquaticarum non unum genus. Gallinula serica & multæ aliæ mihi prorsus ante non visæ. Quanta earum sit copia, inde patet, quod nobilium atque edulium intra duas tresve horas ultra quinquaginta tribus sclopetis nostri enecarunt, quæ nobis lautas præbuere dapes. Ova multa in arena aperte soli

expoſita invenimus, non alba, ſed cinerea, vel maculii nigris elegantiſimè variegata. Nullo ergo nido utuntur, ſed arenæ mollities ipſis pro nidis eſt.

Hic non poſſum non conqueri de negligentia noſtrorum hominum, qui tot avium maritimarum genera cotidie ſpectantes, æquè ac piſcium nonnullorum parum alibi cognitorum, quorum tamen non dicam hiſtoriam, ſed vel nomenclaturam nobis dare, ſæpius negligunt, relatum mihi eſt, ultra 50. avium ejusmodi genera in Inſulis iſtis ad Oceanum Germanicum deprehendi, vix alibi cognitarum, de quibus omnibus nihil nobis innoteſcit interim. Sed in promptu cauſa eſt: ea vero duplex: una Genius hujus populi, quo plerique, opibus corradendis & rei faciendæ plus, quam culturæ animi ſtudere ſolent, aut bonis literis, quas multi odio & invidia potius proſequuntur, & extinctas mallent atque ejectas ex ſuis Urbibus, quam excultas, altiusque evectas. Altera communis Germaniæ propemodum univerſæ, quod & Ariſtoteles deſunt Alexandris, qui excitatis ingeniis animum addant, & ſi qui inveniantur (qui pauci ſunt) tanto negotio, quantum eſt animalium hiſtoria, pares, deſint Alexandri, qui excitatis ingeniis animum addant, & ſumptus ceteraque ſuppeditent præmiumque conſtituant laborum. Neque enim eam rem ſine publicis, regiisque ſumtibus digne aggrediaris, & pœnitet eſſe induſtrios, ubi virtus non alget modo, ſed ne laudatur quidem etiam: tantum abeſt, ut præmiis ſuis gaudeat.

Fig. XVII.

[*d. 10. Decembr. A. 1701. Kiliâ Norimbergam Miſſæ.*]

OBSERVATIO LXXXV.

Dn. D. MARCI GERBEZII.

De Modo frangendi ſoleas ferreas, clavoſque & findendi Vitra, fiſſaque ſeu diffracta rurſus glutinandi.

DUm ante paucos annos Modernus Sereniſſimus Poloniæ Rex Venetiis hàc viennam tranſiret, fuit ingens de ejus corporis robore rumor factus, in ſpecie, quòd clavos ferreos, ſoleasque ferreas citra ullam

Fig. XVII. pag. 158





ullam difficultatem diffringere valeat. Id quod quidem & mihi ipsi videbatur nonnihil singularius: postquam autem ante biennium vidi idem ipsum à pusillo quodam Franco Maguntino hîc Labaci practicatum; conjecturavi eâdem arte & laudatum Sereniſſimum Poloniæ Regem uti sole re, ipsâ autem adeo admirabili robore non pollere. Quid quid verò hoc sit: memoratus juvenis de majoribus clavis vulgo Lothnägl dictis assumere solebat, ejus utramque extremitatem forti linteamine, vel etiam obvio quocunque strophiolo, sed tamen latiore, obvoluebat, & adeo intorquebat, ut clavus amoto strophiolo planè contortus visus fuerit. Soleas ferreas equinas autem subinde etiam citra obvolutionem confirngebat. Vitra autem findebat, quâcunque figurâ libuit, eis fomitem vulgo Zünd-Strick/ aut Lunten qualibus milites in bello communiter ad incendendas suas bombardas utuntur, ignitum admovendo, jugiterque versus vitrum insufflando, progrediendoque qua lubuerat; & findebatur vitrum, ad votum, quâcumque figurâ lubebat. Taliaq; vitra divendebat in meros circulos discissa. Continebant siquidem in se infusos liquores, nisi autem ritè tractabantur, se tractantes eis liquoribus perfundebant. Glutinabat verò eadem, vel aliàs diffracta vitra dissoluendo Collam piscis in spiritu vini ad ignitas aliquot prunas, eâque fragmentorum extremitates intincto cultro perliniebat, componebatq; eâ ratione, quâ ante diffractionem conjuncta fuêre. Et uniebantur tam firmiter, ac si diffracta nunquam fuissent, retentis tamen cicatricibus. Ducebat quidem eadem vitra etiam in fila, & quidem mediante ungulâ cabalinâ, qualiter tamen, penetrare non potui.

(*Labaco d. 20. Decembr. A. 1701. Augustam Vind. missæ.*)

SCHOLIUM.

COnfer. *Ephemeridum harum Dec. 1. Ann. 1. obs. 98.* ubi de generoso quodam Barone Silesio beatus noster *D Sachsius* refert, eum tam insignis roboris fuisse, ut ferreas equorum soleas, & solidos Imperiales sola manu rumperet; id quod etiam de Nobili aliquo Curlando Nob. noster *D. Lentilius Dec. II. Ann. 10. app. pag. 58.* memorat. Quendam non minus funambulum Venetum *Joh. Wierus lib. 1. de præstig. dæm. cap. 18.* producit, qui tres clavos ferreos, digiti auricularis crassitudine, manibus

nibus sudario involutis, simul contorquere poterat. In quibus omnibus non tantùm insigne tendinum robur & firmitatem, sed non minimam etiam in tractando dexteritatem concurrisse existimo. (*Luc. Schröck.*)

OBSERVATIO LXXXVI.

Dn. D. LUCÆ SCHROECKII.

De Aphonia Singulari.

ANni jam elapsi sunt plures quàm viginti, quando Nobilissima Matrona uterum prima vice gerens, una cum Socru sua in forum exspatiata, cum alia inter edulia venum exposita Cyprinum elegantem, quem ob maculas aureolas nostri Carpionem specularem, einen Spiegel-Karpffen/ nominant, conspexisset, magna eundem emendi cupiditate adsecta, quo minus tamen id faceret, à Socru, dedecori id sibi fore rata, impedita, sicque domum tristis reversa fuit; ubi varie & delicate in cibum paratos alios Cyprinos à Socru quidem adpositos habuit, ex quadam tamen animi impotentia, tristitia & indignatione edere pertinaciter renuit. Accidit verò ut post aliquot menses justo tempore puellam sanam & nulla labe deformatam pareret, in qua loquelam, linguæ motu quidem libero, deficere successu temporis observatum fuit: id quod denegato Cyprini expetiti esui imputatum postmodum ab amicis fuit; cum pisces mutos esse experientia testetur. Et sane in proverbium, pisce magis mutum esse, jamdudum abiit; qua de re *Desid. Erasmus* in *chil. 1. cent. 5. adag. 29.* legi potest. Causa hujus rei communiter in linguam & pulmones rejiciunt, quibus pisces destitui nonnulli credunt; licet alii non omnes lingua carere, aut saltem analogum quid possidere, quin & branchias pulmonum vices supplere, atque nonnullos etiam sonum stridoremque aliquem emittere moneant; qua de materia agunt *Ephemerides nostræ dec. 1. Ann. 9 obs. 176. Nicol. Steno in anatome canis carchar. Carol. Fracassatus exerc. epist. de lingu. & cerebr. Rob. Boyle de vi aëris elast. exper. 41. Paul. Neucrantius cap. 4. de bareng.* & citatus *Erasmus*. Quidquid sit Phantasiam maternam, ex frustrato Cyprini expetiti esu contristatam & exacerbatam, aphoniæ memoratæ ansam dedisse, tum cura subsecuta, tum alterum, quod jam dabo, exemplum confirmare videntur: In vicina nempe Imperiali Civitate, Kaufbayern, ante plures abhinc annos Civis cujusdam uxor gravida, pariter piscem aliquem oculis obversantem comedenti cupidine inflammata, præ pudore tamen celare adpe-

adpetitum hunc maluerat, quæ & ipsa postea puellum peperit, quem mutum esse ætas succrescens docuerat: ille itaque cum novennis jam esset, atque patrem extra urbem piscatus gratia euntem comitaretur, truttam circiter libralem, quam hamo captam pater, plurium capturæ operam daturus, ipsi custodiendam tradiderat, magno ardore adpetens, præmorso primum vivæ capite, totam dein dentibus dilaceratam devoraverat, patrique id cum stupore spectanti, & quid fecisset, interroganti, rupto linguæ repagulo, responderat: guter Fisch (bonus piscis) & mox essen (edere) sicque liberiorem loquelam nactus planè convaluerat, Id quod cum præfatæ Nobilissimæ Matronæ relatum esset, atque ex matre hujus pueri, tum vidua, & nostra in Urbe, puerperis ministrando vitæ suæ adminicula quærente, rei certitudinem percepisset, in ipsamet filiola dum quadrienni, simile experimentum facere, non tantum ab amicarum cætu, sed imprimis à dicta femina persuaderi sibi passa est; quæ ideo tres fundulos majores vivos in aqua pelvi immissa puellæ oculis exposuit, quos ipsa conspiciens, neque à præsenti mulierum corona (quæ dissimulando obliquis tantum oculis actiones puellæ intuebatur,) se observari rata, magna cum aviditate pisciculum unum post alterum ex aqua venari, capitibusque eorum demorsis, reliquum etiam corpus dentibus comminuere ac deglutire sustinuit; atque paulò post magno conatu adhibito, aliqua verba proferre incepit, sicque sensim magis magisque loqui perrexit, in hunc usque diem sine remora loqui apta; nisi quod nonnihil tardiuscule, vel quasi aliqua cum pigritie suos sermones proferat. Qua ratione verò phantasia materna hîc in fœtum operata fuerit, ego quidem non capio, cum de aphonia piscium desideratorum nec huic nec illi matri cogitatio supervenerit, quæ spiritum in nervos recurrentes, quos voci efformandæ potissimum inservire constat, influxum sufflaminare in fœtu potuisset. Sicuti autem nervis modo dictis aliquam labem fuisse impressam, ex eventu satis elucescit, ita vivi piscis adspectus in spiritibus, ideam maternam olim conceptam & quasi sopitam adhuc conservantibus, eam resuscitare, eosdemque in motum vehementiorem concitare, atque ut violentiori impetu repagula nervorum penetrare valerent, impellere potuit, ut ita libere deinceps influere, atque suum in vocibus formandis obire officium inceperint. Cæterum quod multi Viri clarissimi de mirandis gravidarum imaginationis effectibus candide fatentur, multa admodum in ea re obscura nec satis explorata haberi, id de præsenti Casu, utpote plures, quam alia similia exempla, obscuritates continente pronunccire eo minus dedecori esse debet.

OBSERVATIO LXXXVII.

Dn. D. JOHANNIS CASPARI GRIMMII.

De Cranii depressione per Cataplasma ex Herbis aromaticis curata.

ANno 1700. Mense Octobris Adolescens quidam 15. annorum à Domino suo graviter ita percutiebatur Calceô, ut inde Depressio Cranii in Bregmate sinistro, in peripheria instar Imperialis, cum symptomatibus gravioribus, v. g. delirio, vomitu, febre, &c. subsequeretur. Quare statim in principio sequens ordinavi Cataplasma, ex H. Rosmar. Origan. Basilic. Absinth. Salv. Serpill. & Cent. min. paratum, quod in Vino coctum calidè continua serie applicandum curavi, quô factô intra triduum felici cum successu prorsus evanuit dicta depressio. Id quod ex ea ratione factum fuisse reor, quòd per applicationem Cataplasmatis calidioris vis aëris elastica interna facta fuerit major, adeò ut deinceps potens fuerit reprimere depressam Cranii particulam.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Dn. D. JOHANNIS CASPARI GRIMMII.

De Infante Tussi convulsiva ex dentitione difficili per IX. Hebdomadas laborante.

ANnô 1700. Mense Novembris infans unius anni tanta atrocitate tussi corripiebatur, ut sæpiùs per horæ semi-quadrantem respiratio cessaverit, & licèt huic tussi enormiori Remedia generosissima exhiberentur, tamen omnis labor erat inanis. Hinc elapsô IX. septimanarum spatiô, conspiciebantur VIII. dentes, qui intra dictum tempus erupêre, quô factô Tussis evanuit prorsus. Hujus mali atrocioris causa quærenda est in motu dentium Nervulos in alveolis maxillarum vellicantium.

(*Lipsiâ Augustam Vindelicorum d. 14. Januarii A. 1702. missæ.*)

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIX.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Calculo Cordis in Hydropico.

VIr juvenis XXV. annorum sub Musarum vexillo strenuus miles, à pueritia Phthisicorum faciem ac corporis habitum præ se ferens, crescentibus annis creverat & malum, tanquam perpetuus comes, cui adhuc Asthma sese associabat, ab adhibitis tamen appropriatis remediis inducias agebat, quibus quoque hostis irruentis vis refracta ac imminuta erat, ut aliquandiu ab omni morborum genere liber esse videretur, literis assiduè incumbebat, omniaque negotia absque ullo impedimento perficiebat; diætam tamen, quæ alias ipsi curæ cordique esse debebat, ac strictè observanda fuisset, neglexit, nonnunquam Baccho nimiùm litavit, unde Asthma recurrit cum cachexia totius corporis, lassitudine omnium membrorum, quæ omnia sanguinis sputum excipiebat, mox & cordis palpitatio. Ægro Medici opem impensè imploranti, Medicamenta propinata sunt. Malum sublationem sui & reconvalescentiam nonnunquam mentiebatur, sæpius enim levamen percepit, respiratio facilius processit, cordis palpitatio aliqualiter cessavit, Hæmoptysis imminuta fuit. Sed ecce! scintilla sub cineribus latitans mox in flammam erupit. Malum enim non solùm in pectore residebat, sed totum corpus in consensum trahebat, facies pallida, tumefacta & deformis planè reddita est, Abdomen magnus aquarum confluxus occupabat, scrotum appensum non minùs eadem labe infectum prominebat, maculis rubris ac pustulis consitum, quæ ab Epithematibus, aliisque adhibitis medicamentis aliquando planè evanuerunt; Pedes in immensam molem crescebant; Urina quoad colorem variabat, mox lixiviosa, mox intensè rubra apparebat, illiusque excretio interdum copiosa, interdum verò planè suppressa erat, adeoque aquæ abdominis de die in diem majus incrementum sumebant, ut sese vix ampliùs movere potuerit Æger; Aqua è pedum poris in magna quantitate effluens, stragulas substratas permeavit, cordis palpitatio, anhelitus difficillimus continuârunt, omnemque pharmacorum propinatorum optatum effectum eluserunt, sitis nullis haustis potionibus extingui potuit, vigiliæ erant continuæ, usque dum animam acturus somno perpetuo sese dedisset.

Pectus Cadaveris defuncti, quanquam ægrè annuentibus Parentibus, ad morbi ac mortis verum fontem adeundum, & perscrutandum præsente Excellentissimo Dn. D. Hottingero P. P. aperuimus, ulterius verò proper nimiam aquarum collectionem, ipsiusque effusionem, & subsequentem incommoditatem pergere non licuit; contenti ergò in pectoris inspectione, quòd sequentia satis notatu digna recondita prodiderat.

Sterno aperto & remoto pulmones & cor liquori copioso cruore tincto innatantia conspiciebantur, absque tamen insigni fœtore.

Substantia Pulmonis sinistri lateris, planè putrida, facilè in viscositatem ac mucositatem solubilis animadvertebatur. Alterum latus, dextrum scilicet, spermatis ranarum instar punctis nigricantibus distinctum, materiâque purulentâ repletum erat.

Pericardium totum pulmonum parenchyma magnitudine æquabat, pulmones vicinos in utrumque latus, quam maximè premebat, & potius corium densum, scalpello non facilè cedens dixeris, quam subtilem aliquam ac tenuem membranulam in sanis aliâs reperiundam. Quin & sterno firmissimè adnexum, & sic ablato omnis mediastini vestigio cum diaphragmate continuum, difficileque ab eo separabile erat. Ex hoc diseco Mensura una hujus liquoris in cavo thoracis observati occurrebat.

Ipsum cor admirandæ magnitudinis, imò ferè cor bovis etiam superans, in conspectum veniebat, flaccidum planè, omni pinguedine orbatum, nec dexter ventriculus à sinistro tactu distingui potuit, hinc inde foveolæ quasi exesæ ac laceratæ conspicuæ erant. Auriculæ cum præfata prægrandi mole cordis satis benè correspondebant. Dextrum ventriculum vix scalpello aperire potui, hæsitans, quodnam obstaculum id impediret, insistenti autem ulterius, ecce! loco valvularum tricuspidalium, magna congeries lapillorum candidorum folliculis inclusorum, insignis duritiei aderat, qui exempti pondus ℥j. excedebant. Porrò idem hîc dexter cordis ventriculus polypum ingentem, ac longè sese extendentem întra suî cavitatem condebat. Ejusdem generis lapilli in sinistro cordis ventriculo in arteriæ pulmonalis principio, seu valvulis semilunaribus, non tamen in tanta quantitate hospitabantur.

Diaphragma ob maximam aquarum in abdomine colluviem, illud sursum premendo, medium ferè thoracis occupabat, certissimum indicium permolesti Asthmatis à levi motu, maximè per acclivia facti in immensum aucti.

OBSER-

OBSERVATIO XC.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Urinæ Suppresione à Calculo post sextùm diem, soluta

VIr Nobilis Septuaginta septem annos natus, à multis, jam annis calculorum torturam periodicè expertus est, ita tamen, ut per aliquot nonnunquam menses liber ac immunis ab iis, vixerit: Cruciatus eum invadentes aliâs, intra unum alterumve diem, excretione lapilli minoris grani unius vel duorum terminabantur, âque doloribus liberabatur. Sed ætate crescente, senioque ingravescente, vires quotidie magis magisque imminuuntur, debilitates augentur, hinc morbos & symptomata non ampliùs tantâ celeritate superari ac debellari posse, nemo mirabitur. Noster hic per plures annos doloribus calculi, uti dictum, exercitatissimus Æger, die 23. Junii 1701 lancinationes in Hypogastrica regione percepit, Urina ferè planè suppressa erat, exstillantibus tantùm nonnullis guttulis; Adhibita fuêre primò moderatè diuretica ac lithontriptica dicta, sed eâdem nocte transitus urinæ planè erat denegatus, ac urina per sex dierum decursum suppressa manebat, ut ne guttam quidem illîus reddere potuerit, nisi quarto, seu 27. die Junii, duas vel tres guttulas materiæ sanguineæ ac purulentæ, dolores ferè nullos per totum hoc spatium sensit, nec somno planè carebat, alvus constipata erat. Fluctuationes quoque instar aquarum in abdomine effusarum animadvertit, vomitus assumtorum, etiam jusculorum aderat. Omnis generis remedia, etiam fortiora Urinam provocantia, calculos imminuentia assumpsit, sed omnia incassum erant. Ab injectis Clysteribus materiam viscidam, mucosam excernebat. Unguenta exterius lumbis, Hypogastrio, Inguini, &c. inuncta, ne hilum quidem proficiebant; semicupia, Sacculi lacti incocti eodem successu applicabantur, tandem nauseam ac fastidium contra omnia remedia contrahebat die 29. qui erat sextus à suppressione, insistenti, ac aliis medicamentis porrò non macerandum esse promittenti, tandem petitioni nostræ cedit, decoctum sequens optato successu præscripsi.

℞. Rad. V. Aperient. ʒß. Alth. ʒiij. Liquirit. ʒij. Sem. Malv. Alth. Alkekeng an ʒij. Violar. ʒj. cicer. rubr. ʒß. Sebest. Fic. an. N. 7. Hord. integr. Mß. Lumbric. terrest. ʒij. M. incisa & contusa coquantur in Aq. Fontan. Mjß. de quo singulis bihoriis haustum ʒij. sumpsit. cùm eodem manè vix bis assumpsisset, post meridiem ʒß. urinæ mucosæ solvit. Lætum hunc nuntium Ægro indicanti, frequentem Apozematis prædicti continuationem ipsi injungo, qui horâ quartâ vespertinâ summo horrore febrili per unius horæ spatium correptus, in tibia dextra Erysipelas concomitantibus doloribus vidit. Noctu non sine summo levamine multum urinæ egesit, Die 30. Manè horâ octavâ, effluentem unius Mensuræ urinam calculus echinatus angulosus, fractus quasi gr. iij. pondere, cum cruore sequitur, doloribus tamen non planè evanescentibus, lancinationibus sæpius recurrentibus; Usui Decocti supra nominati insistens, vesperi majorē lapillum, granor. v. Scilicet, cum magna urinæ quantitate excernit, noctemque exoptatam ac quietam transegisset, nisi semper ob urinæ stimulationem ac profluvium excitatus fuisset. Sequentibus diebus 1. & 2. Julii benè iterum sese habuit, nisi quod ob repentinam aquarum evacuationem nonnullæ artuum ac corporis imbecillitates permanserint; Eodem die vesperi calculus gr. x. vel xij. per Virgam, associante se Urinâ non sine tormentis exiverat, ab eoque momento omni dolore ac incommoditate liber degit, & vires pro ratione ætatis decrepitæ, roborantibus ac confortanribus restitutæ sunt, Eresipelas evanuit, sicque pristinâ sanitate gaudebat.

OBSERVATIO XCI.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

A Mercurio intempestivè assumptô post biennium exorta febris maligna Ptyalismo soluta.

MUlier Nobilis annum XXXIX. agens, quinque Liberorum mater, corpore magno ac obeso prædita, Saccharatis ac alimentis minùs congruis assuefacta, à quorum usu, imò verius abusu, massam sanguineam salsam, acrem, scorbuticam reddidit, prædictæ constitutionis testes erant gingivæ tumentes ac cruentæ, manus pforâ siccâ, seu potius Herpete miliari infectæ &c. Ad hanc manus deformitatem tollendam ac sanandam,

dam, Medici consulti interna sanguinem purificantia, salsam istam ac scorbuticam colluviem educentia &c. suaserunt, quæ etiam nostra Ægra non immorigera lubens assumpsit, absque tamen accurata diætæ ordinariæ sibi præscriptæ observatione, imò sanitatem, quàm Saccharata negligere maluit. Cùm suprà dicta non ex voto succederent, malumque non planè extra peripheriam cutis mantuum relegaretur, illa medicamentorum imbecillitatem, ac non sufficientem ἐνέργειαν accusans, omnibus Accedentibus, & mox hoc, mox illud, quàm absurda hæc fuerint, commendantibus, aures patulas præbuit, omnium sibi oblatorum sine discrimine periculum fecit, ut plurimum interna sprevit, contenta externis Unguentis, aliisq; olcosis strenuè manus læsas inunxisse. Sed nec hisce proficientibus, Vetulæ cuidam, jactanti arcanum quoddam huic malo accommodatissimum non obstrepebat, imò ambabus ulnis consilium amplexa, pillulas propinatas semel iterumque deglutivit, ipsarum effectum, summo cum desiderio exspectans, tertio vel quarto die, loqui, commedere, ob linguam nimiùm tumefactam, ac os deformatum, nesciens Pusilanimis Vetulam accersit, quæ optimum successum spondet, ac animum ipsi de novo injicit. Patientissimam sequenti die ptyalismus ac nimius sputi fluxus prehendit, cùm verò abinde summè debilis facta esset, petit Medicum, cui casum fideliter enarrat, Medicus statim videt Mercurialia nimis intempestivè ac sinistrè fuisse adhibita; Ægræ perterritæ calorem maximè atque quietem commendavit, & putatitium illud Mercuriale Arcanum sanitatis cupidissimæ ac adstantibus patefecit. Ægra uti monebatur quieti atque calori sese dat, saliva per octiduum copiosismè exstillat; Postquam hoc temporis octiduanum spatium effluxit excretio hæc, substitit, remanente totius Corporis imbecillitate, manibusque eâdem fœdâ labe infectis, unde cautiùs in posterum mercari didicit. Vires ac quodammodo pristinam sanitatem à Medico ab adhibitis roborantibus iterum impetravit; Pruriginosa illa manuum proles sæpius oculos fugit, & recessisse videbatur, præsertim æstivo tempore, sed autumno accedente iterum præsto facta est. Balnea dulcia, Thermæ Badenses inducias etiam fecerunt, non duu autem hoste quietato. Tandem exacto à recensita salivationis tortura biennio, die 2. Septembris 1700. prægresso summo horrore febrili, corripitur Febri Catatrhali, degenerante in malignam, æstus aderat intensissimus, cum summa cephalalgia, siti ardentissima, præcordiorum angustia, Urina intensè rubescens clara erat, noctes inquietas egit, V. S. in brachio administrata nonnullam opem tulit. Septimo ab invasione die delirium, sed per intervalla remittens, accesse-

rat,

rat, remediis tamen ad artis regulas accommodatis non neglectis, nocte subsequenti auctum & sine intermissione continuum, ad nonum usque diem sese extendebat, quo Furibunda quasi & omnis generis remedia & juscula, non nisi vi infusa, respuerat; Epithemata ex fermento, Aceto Rutac. &c. Calcibus pedum imposita, intra paucum temporis decursum arida reddita sunt. Fauces blenna viscida, mucosa, ac ferè nullis instrumentis ac gargarismatibus cedens obsidebat, absq; tamen ulla inflammatione; Decimo die, quanquam maxime debilis, paulò iterum ad se rediens, summam ariditatem oris, ac sitim accusabat, gargarisma aliquandiu in ore detentum, sputi effluvium non sine magno levamine sequitur, & fonticuli salivales postmodum copiosas serositates amandabant, illud quod criseos indicium esse statim autumavi, nec impediendum statui, quod & eventus comprobavit. Somnus eam obruens Salivæ exstillationem retardavit, statimq; delirium eam corripuerat, expergefacta, non citò iterum mentis compos facta est, sed oris collutione, ac hanc concomitante salivâ, Ægra oblita est præteritorum, delirium ab eâ ablatum est; Id tamen per aliquot vices recurrebat, usq; dum per biduum copiosissimam salivam, ac si de novo Mercurium assumpsisset, (haud procul erravero, omnem si culpam Mercurio ante biennium assumpto, tamque diu in corpore latitanti attribuero) excrevisset, materiâque malignâ ita eliminatâ, reconvalescentiam, medicamentis scopo huic satis-facientibus adjuvantibus, ac omni ope pretiosissimam sanitatem postliminio iterum acquisivit.

[*Tiguro Augustam Vind. d. 28. Januar. An. 1702. missæ.*]

OBSERVATIO XCII.

Dn. D. JOHANNIS BENEDICTI GRUNDELII.

De Napello, Bella donna Clusii & Ranunculo hortensi.

QUantum damnum mortalibus napellus afferat, omnibus in re Medica aliqualiter peritis abundè constat; de antidotis tamen & alexipharmacis specificis variè à variis discurritur, quibus & meas observatiunculas addere volui.

In

In montibus giganteis Silesiæ (in quibus olim famosum illud spectrum Rübenzahl / cum accolis & incolis lepidas produxit comœdias) copiosè progerminat napellus; Contigit ibidem meo tempore, quòd quædam virgo cum parentibus suis per dictos montes iter faceret, quæ viso napello, ob colorem valdè pulchrum, aliquot flores decerpsit, & aliquamdiu in manibus tenuit, unde paulatim anxietates, debilitates, & dum vicinum diversorium ingredi coguntur, animi deliquia secuta sunt.

Parentes causam horum symptomatum ignorantes, Cauponi proponunt filiæ anteà saniſſimæ subitaneum affectum, & remedium postulant; Caupo similes casus sæpius expertus, viso napello, illi tanquam pandoræ omnium malorum causam unicè adscribens, promittit alexipharmacum infallibile, & affert lac à capra recenter emulctum, quo hausto, patiens paulatim restituitur, ità ut post aliquot horas saniſſima inceptum iter continuarè potuerit. Addit caupo tales casus sæpius se observasse, & semper lac feliciter adhibuisse, non tamen omne lac caprinum talem effectum dare, sed solummodo illud à capris mulctum, quæ in mento quosdam processus pendulos habent, vulgo: die Ziegen mit Glöckel. Putarem ego, hoc magis adscribendum esse herbis & radicibus alexipharmacis copiosè ibidem progerminantibus, & à capra comestis: Præterea lac quodcunq; per se ad toxici corrosionem obtundendam valdè conducere, experientia docet. Hæc Observatio mihi ab oculato teste Schneidenbergensi relata est.

Notatu etiam dignum est, napellum è sua terra in alienam, utpote novercam plantatum, multum virium suarum amittere. Sic memini, Clariſſimum D. Doctorem Greisselium in Montibus Neo-stadiensibus, Austriam & Styriam separantibus, venenosam istam herbam decerpsisse, & vix per 5. minuta in manibus tenuisse unde protinus anxietates se insinuârunt. Econtrà idem napellus ex iisdem montibus ad hortum botanicum Viennensem, à D. Doctore Pileot fundatum, & ante obsidionem Turcicam satis cultum plantatus, indolem suam multùm mutavit, ità ut in manibus per 2. horas retentus, & calefactus nullum damnum attulerit, prouti mecum alii botanici observarunt.

De bella donna Clusii Pannonica, quadam specie solani, in multis Styriæ locis crescente, retulit mihi, Reverendus Frater Æmilianus Capucinus in Botanicis satis versatus, quòd fauces adeò constringat,

ut deglutitio, & loquela omnimodè impediantur, aceto autem acri aliquamdiu in ore retento, denuò restituantur, dixitque se præsente decoctum hujus solani cuidam vexationis gratiâ esse datum & similes effectus produxisse, eòsque adhibito aceto cessâsse.

Ranunculus hortensis flore pleno miniato, omnis odoris expers, in nostris hortis non adeò rarus, magisque ad visum, quàm olfactum exhilarandum, est etiam toxico copioso præditus.

Novi minoritam Pettovii, à me pro dolore capitis remedium petentem: Cùm autem in sua cella ranunculos terræ impositos multos viderem, & eorum exhalationes causam hujus affectûs pronunciarem, suasi ut amoverentur; quo facto omnis capitis dolor sine ullo adhibito remedio disparuit.

Charissima Domina mea affinis, Anna Constantia Perillustris Domini Francisci Mülleri Vicecapitanei Generalatûs Varasdinensis lectissima conjux, pariter hoc toxicum experta fuit. Habebat nimirum olfactoriolum ex variis floribus, & etiam præfato ranunculo compositum, hoc vestibus circa pectus acu affixit: dum aliquamdiu apud prandium posteà sederet, exortæ sunt ipsi debilitates, anxietates, & capitis dolores, unde recordata illorum quæ de venenoso hoc flosculo retuleram, abjecit olfactoriolum & paulatim ab omnibus symptomatibus liberata, cum appetitu sumsit prandium. Illustrissimus Dominus, Dominus Baro Figger, Colonellus Cæsareus, invitatus hospes, nolebat fidem dare, sub tam pulchro flore tantum venenum existere posse, reassumpsit itaq; olfactoriolum, manibus tenuit, & naribus admovit, sensitq; post paucum tempus eadem symptomata, unde & mihi & Dominæ meæ affini firmiter credens, Toxium hoc in terram projecit, & paulò post ab omni morboso insultu liberatus est.

Idem hoc, ast infeliciori exitu expertus est Marpurgi Perillustris Dominus, amicus meus singularis; Iste elapso anno in festo Corporis Christi habuit sub processione solemni olfactoriolum exsimilibus ranunculis & paucis aliis floribus compositum, quod naribus aliquoties applicuit, & mox dolorem capitis, non tamen intensum sensit; Post prandium autem dum hortum Capucinorum ingreditur, & olfactoriolum sæpius manibus contrectando naribusque admovendo occupatur, derepente concidit dirâ epilepsiâ correptus, quam antea suâ vitâ nunquam passus fuerat.

Ad-

Adhibita quidem fuerunt varia à me, & ab aliis Medicis celeberrimis, verùm frustrà: post duas septimanas paroxysmus rediit violentior, & cùm cachexia, podagra nodosa, atrophia, & cephalæa etiam adesset, tandem in Augusto, dum ego ad aliquem Comitem fueram evocatus, piè in Domino obiit.

(*Marpurgo Styriæ d. 8. Febr. An. 1702. Augustam Vind. missæ.*)

OBSERVATIO XCIII.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De Rore melleo vitioso.

PLurima mille commoda, queis ros naturalis corpora sublunaria perfundere manifestum est, Historia tam sacra quam profana præconiis egregiis extollit. Ipse patriarcha patriarchæ filio benedicens, DEUS, inquit, de rore cœli tibi largiatur, *Genes. c. 27. vers. 28.* Ecquis vero varios usus & commoda queis profani naturalium Scriptores rorem celebrant, nunc memoret? Sunt quippe qui ex rore præprimis Majali panaceas & ipsum lapidem Philosophicum venantur. Sunt alii qui vim alvi solutivam inesse vel exinde probant, quoniam comedentia frondes & fructus rore madentes animalia ventrem sibi fluere statim experiuntur. Quare & brutis apprime gratus juxta illud Mantuani Poëtæ, ecclog. 8.

Frigida vix cœlo noctis discesserat umbra,
Cum Ros in tenera pecori gratissimus herba est.

Alii dulcissimum mel & mannam roris esse progeniem non obscure monstrant. Quin imò frumenta quævis, arbores & plantas deficientibus pluviis incrementa sua rori debere experientia nos docet, ut plura jam non laudem. Sicut ergo commoda ros naturalis affert immensa: ita præternaturalis & vitiosus multivarias noxas & incommoda tam animalis quam vegetabilis regni speciebus affricare solet. Hujusmodi vitiosi roris (qualis nomine Rubiginis à physicis notatur) exemplum Excellentissimus Ramazzinus in dissertatione sua Dec. III. ann. IV. inserta paragraph. 4. & 5. refert, ut alias differentias, queis à vitiosis roris qualitatibus velut epithetis variis significare & distinguere solent ruricolæ nostrates, hic & nunc silentii peplo involvam. Melleus quippe ros, à materia subdulci & glutinosa arborum

ac fruticum frondibus imò frumentis ipsis adhærente, sic dictus est, quem rudi penicillo delineabo: Hujus generis rorem annis præteritis observare licuit in his terris. Videlicet die quarto mensis Julii anni 1699. humor quidam saporis subdulcis & glutinosæ naturæ in frumentis arborumque & fruticum frondibus visebatur. Mellea hæc humiditas sive Ros, grati quidem dulcisque saporis erat, sed acrimoniam volatilem occultam quasi subvelantis. Curiosi quippe qui primoribus labris degustaverant hunc rorem, singularem nauseam & vomendi conatum ab eo sentiebant. Nonnullis ulcuscula labiorum suscitaverat. Pauci qui diutius eô temporis momento in campis commorati fuerant, Febribus ardentibus corripiebantur. Imò qui nudis pedibus incesserant, ut ruricolæ solent, pustulis & ulcusculis pedum nigricantibus inde vexabantur. Ipsa vero frumenta quædam præprimis siliginis grana, quibus roralis ejusmodi lympha largius inhæserat, mirum in modum notabantur corrupta, nigricantia ac monstrosa. Qualia vulgus Mutterkorn appellat. Quamvis autem fertilioribus annis hujusmodi grana subinde notentur, adeò tamen anno dictô frequentia plurimis in agris, præsertim in vallibus & profundioribus locis sitis per universam pene Thuringiam, imprimis in agro & territorio Erffurtensi visebantur, ut post hominum memoriam frequentiora nusquam visa sint. Ab horum usu locô cibi ordinarii, annô subsequente 1700. vix evitabili variis morbis epidemicis juniores æque quam robustæ ætatis homines affligebantur. De quibus in dissertatione epistolari ad Magnif. Dominum Præsidem Acad. Cur. perscripta & appendici hujus anni inserta pluribus dictum. Similis consistentiæ & saporis rorem, anno proximè finito 1701. notavimus, qui tamen cum vernali tempore contingeret, non æquè frumentis quam pomis & oleribus summè noxius erat, utpote qui verminosa putredine seu seminio potius scatebat, quod maxima dictorum fructuum parti affricabat. Hinc aliquandiu post erucæ è vermibus illis natæ oleracea plurima depascebant: poma vero à rore verminoso læsa vel decidebant immatura, vel maturescebant verminosa, vel sapore amaricante & ingrato maxime nauseosa fiebant.

SCHOLIUM.

RUbiginem esse vaporem aëreum, crassum & pinguem, frigore nocturno circa folia, flores, ramosve arborum concretum, sive etiam cum pluvia tenui, dum sol splendet, depluente illuc delatum,

latum, uti plurimorum fert opinio, ita errare eos, qui eandem ex aëre delabi, edeoque cum rore convenire adserunt, oculatissimus *Antonius Leevenbockius in Continuat. arcan. naturæ detector. epist. 104.* adstruit, nihil aliud quàm incredibilem minimorum animalculorum, eorundemque ovulorum copiam esse, ostendere laborat. Et sanè vermiculorum pullulaginem alii etiam in ea ante ipsum deprehenderunt, atque inter nostros Curiosos, præter Nob. *Dn. Autorem*, beatum *D. Joh. Mich. Febrium Tr. de Absinth. pag. 65.* & Excell. *D. Christ. Frider. Garmannum in Oolog. curiosa*, Inprimis celeberr. *D. Joh. Conr. Brunnerus in Obs. 227. Ephem. harum Dec. III. Ann. 2.* erudite de hac materia disserit. Quamvis autem eâ quandoque minimorum insectorum & muscularum copia in plantas irruere queat, quæ puncturis & morsicationibus suis easdem nativo succo orbare, acri saliva conspurcare, eôque ipso quasi ustulare valent, quò minus tamen exhalantes quandoque ex terræ gremio acres & nocivæ particulæ, frigore nocturno iterum se condensare, versus terram relabi, herbisque incumbere queant, nihil obstare credo, quod vel observarus quandoque nebularum crassarum fœtor satis arguit. Licet ex ipsis etiam vegetabilium poris turgens in ipsis succus exsudare & rubiginem talem sistere possit; quale quid in fraxino fieri, cujus succus liquamen aliquod officinis pharmaceuticis, quod Manna vocatur, suppeditat, curiosus noster *D. Paul. Bocconus* in *Mus. phys. obs. 14.* Docte ostendit: hujusque vegetabilis succi gratia variorum insectorum agmina allicere valet, quale quid Ticini An. 1628. contigisse *Johan. Christ. Magnenus exerc. de Manna cap. 1. §. 3.* refert, ubi mannam cum fraxini, quæ ante sanctæ Crucis ædes umbram agebant, sudarent, cantharides illuc tanta confluxerunt copia, ut aërem corrumperent, odoremque euntibus ad templum spargerent abominandum: Culicum etiam circa Calabrenses fraxinos copiam intuitus *Christophorus à Vega*, in eam venit sententiam, ut à muscis illis mannam generari, esseque vel earum excrementum vel vomitum, *lib. 2. de arte cur. sect. 3. cap. 11.* crederet, refutatus tamen propterea à prædicto *Magneno cap. 7.* Unde non tantum à rore particulis impuris acribus gravido, sed ab insectis etiam sale volatili caustico turgidis cereales fructus imbui, sicque, dum humano generi in cibum veniunt, nocere possunt. Pluviam, quæ dum Sol splendet, delabitur, non semper, aut rarò rubiginem producere existimo, quod etiam experientia testatur; vegetabilium tamen familiæ eandem quandoque fieri nocivam fieri non

dubito, si à radiis solaribus tenera eorum aliquorum corpuscula flaccescere priùs contigerit, unde nimirum guttulæ aqueæ, ubi super ea depluerunt, ab eorundem radiorum calore excalefactæ fibras tenuiores quasi excoquere & destruere, succique contenti motum sufflaminare valent.

(*L. Schröck.*)

OBSERVATIO XCIV.

Dn. D. JOHANNIS GEORGII HOYERI.

De

Nebula singulari febris malignæ lethalis causa.

RArius equidem annuum spacium sine nebulis insalubribus & nonnunquam morborum epidemicorum causis præterlabitur. Id quod sicut pluribus annis præteritis, ita nuper admodum anno scilicet 1700. exactius observavi, quando nebula triduana febrem catarrhalem cum contumaciſſima Tussi & symptomatibus aliis causabatur. De quibus prolixius in desert. epistol. jam memorata dictum. Anno proximè finito, tempore autumnali, nebulam notavi, in qua vel ambulantes vel fructus eò temporis momento matureſcentes à nebula illa conspurcatos neque satis repurgatos, scilicet pruna Damascena, pyra hyberna, Uvas &c. comedentes, febre quadam ardente contumaci quidem non tamen facile lethali corripiebantur, de qua fortasse prolixius alibi dicam. Quemadmodum & reliquos morbos à nebulis ortos non æque lethiferos fuisse vidi. Enim verò febris maligna contagiosa & lethalis à nebula in finitimo nobis territorio Eisfeldensi, quod Celsissimi Principis Electoris Moguntini Jurisdictionis est, forte obortâ, Eschwegæ Hassiæ oppido tria milliaria abhinc distante, notata: Nimirum viri septem cæterum sani atque robusti partim cerdones partim sutores, à nundinis Düngelstadiensibus (est enim Düngelstadium territorii Eisfeldensis vicus) domum reversi prope pagum Mertenfeld obviam habebant nebulam adeò tetrum odorem spirantem, ut per eandem ambulando, dictum factum dysarestesi quadam correpti, male habere cœperint. At illi nihilosecius in itinere pergentes in patriam Eschwegam puta, quo tendebant, molestè perveniebant, jam jam sensu quodam gravativo ventriculi, cephalalgia, aliisque

aliisque symptomatibus vexati, viribus nimium prostratis cubitum ire cogebantur; febre maligna (idiomate nostro vocant die Haupt-Kranckheit) satis superque se manifestante, quâ tandem omnes ac singuli intra quatuordecim dierum intervallum misere periebant, variis medicamentis à præsentibus Medicis in usum frustra vocatis. Neque contagii experserat malum, dum plures etiam domestici eodem moriebantur. Certe cum haud facile sit naturam & causas nebularum forte obortarum rimari, utpote quæ vel pro mineralium, sulphurearum, arsenicalium, & aliarum, vel aquarum paludosarum & putridarum in terræ cryptis & antris contentarum vel rerum nescio quarum quibus tellus hæc illa referta, diversitate maxime variare possunt; ita curatio morborum ab iisdem natorum sæpe difficilis.

(*Molhusio d. 9. Febr. A. 1702. Augustam Vind. missæ.*)

OBSERVATIO XCV.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Ingenti & tragico effectu ab exili causa.

GEneroſus ac ob strenuè gestorum in nuperis bellis tam in Hungariâ quam Belgio famam Inclytus Heros, cujus nomini res ipsa parcere jubet, corporis constitutione alias, satis firmâ ac validâ præditus, nisi quod incommoda, quibus vitæ genus bellicum indies exposuerant, nonnihil fractâ, & debilitatâ arthritidi vagæ scorbutica subinde obnoxius redditus fuerit, postquam ab insultu prædicti mali paulô ante octiduum fortê reconvaluerat ac Aulam Regiam Consiliorum bellicorum ergo quæ occasione novorum motuum Gallicorum nimirum circa Mosam ac Rhenum ac Suecicorum in Curonia & Livonia tunc temporis maxime fervebant, rursus frequentare cæperint, in dolorem lateris dextri coltis spurii circa Ilia latentem 2. mensis Decembris Anni præcedentis 1701. incidit, quem moderatum initio, ideo per biduum post habitum, sed tandem, cum nauseâ, vomituritione ac febriculâ ingravescentem; unde quartâ demum die à meridiè, cum medicus Generosæ illius familiæ Ordinarius, statum mali prædictum exploro & animadverto, calculum doloris hujus ac reliquorum symptomatum causam judico ac indico, ac medicamenta

camenta quædam antinephritica ut & alia tam quæ ad nauseam sopiendam, quàm ad vomitum compescendum facere possent, malo averruncando aliàs satis apta & efficacia præscribo, quibus nimis parcè nec juxta præscriptum, quòd Generosissimus Dominus Patiens ad quævis pericula subeunda aliàs intrepidus, ad remedia pharmaceutica nimioperè nauscaret, usurpatis, malum magis magisque ingravescit, accedentibus præter enumerata, per consensum adjacentium renibus & ureteri partium, colicis doloribus, febri satis evidente nec tamen nimis gravi, nauseâ ac vomitus sæpius molesto simul continuante. Neglectis hâc ratione, ab ægro remediorum internorum usum horrente, hactenus præscriptis, sequenti die alia interna gratiora ea præter externorum etiam & topicorum usum, linimentorum nimirum, fomentorum enematum, tandem & balnei aquæ tepidæ herbis emollientibus & lenientibus medicatæ in subsidium voco, non sine dolorum & molestiarum levamine sed temporario, nec intentioni aut voto tam Ægri quam meo satisfacienti. Hactenus nullus adhuc urinæ defectius nec stranguria, licet parcior ejus esset proventus, eò minùs in considerationem veniens, quo magis Generosus Dominus Æger ob vomitum ab assumtis crebriorem & molestiorem, ab omni ferè cibo potuque abstinebat. Tertiò cùm accederem die, ab astantibus & ipso quoq; Ægro percipio Chirurgum quendam Castrensem satis nasutum, falcem sæpius in alienam messem mittentem à Supremo Campi Duce submissum, medicamentum ipsi propinasse purgans, quod cum apparens aliquod levamen attulisse videretur, applausum haud invenerat, sed succedente paulò post suppressione urinæ totali, dubiam mihi eventus spem faciebat, cum nullam subolfacere possem causam, cur dextri tantum lateris obstructo â calculo uretere, alterius lateris ureter officium suum negaret, non vesica, licet postea cathetere etiam solicitata, ne guttam quidem lotii reddebat. Interea percrebescente jam de Generosissimi Domini Patientis morbo difficili æque ac periculoso, & per totam nonsolum Aulam Regiam sed metropolim sparsa famâ, certatim opem offerentium & magna pollicientium advolabat turba: virtus enim ejus sublimis & peculiaris candor demerendi & benè cum omnibus agendi ut prudentia sic gloria amorem ipsi conciliaverat & affectum penè universalem.

Ut universi de illius conservatione soliciti, cipartim ipsi, partim peralios opem conferre studerent & consilia quibus omnibus in ægro tanti momenti, meum non erat obniti. Accedebant itaque me tam inscio quàm conscio plures Medici & Medicastri. Ab ipsoque insuper Serenissimo

Rege

Rege de salute seu tam strenui tamque benè meriti Ducis valdè solicito, missus ipsorum quoque Personæ Regiæ medicorum unus & alter. Itum tunc, ut in ejusmodi congressibus, ubi quot capita, tot ut plurimum sunt sententiæ, asolet, in diversa ut suffragia, sic judicia & consilia. Aliis Calculū equidem subesse non diffitentibus, & quidē satis magnum, quorum in numero me quoq; fuisse fateor; illum tamen omniū illorū symptomatum & præsertim suppressionis illius seri invictæ occasionē esse negantibus; Aliis colicam potius flatulentam dolorū enormium fontem asserentibus; Aliis Arthritidem vagam scorbuticam per mataſtasin in inteſtina delatam accusantibus; Aliis inflammationem renum suspicantibus; Aliis in valescente jam magis magisque morbo, ac labascente ob diutinam â victu sufficiente abstinentiam vigore, gangrænam ac sphacelum ureterum hariolantibus, quorum tamen posteriorum præsentiæ nulla in Ægro vivo sufficientia signa, nec in exenterato post mortem ulla indicia apparuerunt. Postquam enim deficientibus sensim omnino viribus, suppressione urinæ decimū 4tū usq; diem protractâ, placidâ morte 18. ejusdem mensis circa decimam nocturnam occubuisset, sequenti die, aperto ejus abdomine valdè obeso, nullum notabile in reliquis viscеribus vitium apparuit, omnia in situ naturali ac statu, verum copiosissimâ pinguedine stipata, omnia integra & illæsa, præter 1. ventriculum inanem & procul dubio ob frequentissimos vomitus, tenuem ac flaccidum, omnibusque plicis interioris tunicæ destitutum, quòd aliàs Theophilorum Bibaculorum (quorum tamen é numero Beatus ille non fuerat) ventriculis solenne κριτήριον sæpius in illorum sectionibus deprehendi.

2. Renem utrumque paulò flaccidiorem debito, & quidem sinistrum dextro aliquanto majorem neutrum tamen inflammationis, nedū gangrænæ aut sphaceli, non magis ac ureteres, nec aliūs vitii notabilis reos, nisi quod in utriusque substantia hinc inde pauci sparsim, illique exigui latitarent calculi miliare forte semen aut papaveris proportione æquantes. In pelvi, ut & uretere sinistro calami olorini forte capaci, præter serum, loturæ carnis non absimile, quo â pelvi ad vesicam usque turgebat, ne gry quidem ullius calculi aut sabuli aut alterius obstaculi, illum obturantis, aut contenta ab influxu in vesicam arcentis deprehensum, præter conniventiam inseritonis crica collum vesicæ. In uretere dextro, tres forte digitos â pelvi transversos, exiguus satis calculus planus utroque latere, triquetrus quodammodo, nullis tamen angulis præditus, acumine nullâ scabritie notabili, transitum sufflaminante aut difficilem reddente asper hærebat, coloris è gilvo spadicei ejus quam Schema

adjectum monstrat, figuræ & magnitudinis, ac crassitiei, quam linceæ adjectæ Lit. b. distantiâ suâ indicant. Ureteris dextri superior pars à rene seu pelvi potius ad calculum usque sero ejusdem cum illo quod in sinistro uretere continebatur, quâ colorem, quâ consistentiam generis repleta ac aliquatenus erat distenta inferior connivens, exilis & flaccida, nullus illîc tumor, nullus rubor, nulla inflammatio, ne dum gangræna. 3. vesicam, cæterà usque quaque sanam nullo vel inflammationis vel siderationis sive in externâ, sive in internâ superficie signo aut vestigio comparente; verum fibris robustissimis arctissimè contractam, internâ cavitate vix nucem juglandem paulò majorem aut ad summum ovum columbinum admittentem, ac ne guttam quidem urinæ continentem, ut mirari non immeritò subeat, cum sinister ureter ad vesicam usque sero plenus esset, quæ illius seri ab ingressu aut influxu in vesicam exclusionis vera causa fuerit? Nec aliam nisi prædictam arctissimam vesicæ ac fibrarum illius contractionem video. Quæ verò hujus contractionis causa? Nî consensum statueris cum uretere dextro, crispaturâ suâ procul dubio spasmodicâ dum in vivis esset, calculo transitum negante, illamque simul vesicæ communicante atque ad funestam fibrarum suarum, ac consequenter etiam insertionis illius, quæ inter tunicarum ejus duplicationem sphincterem versus transversim fertur, sinistri ureteris constrictionem sic solicitante & post obitum etiam continuatâ quasi syderatione perseverante.

Explicatio notarum figuræ XVIII.

A. *Ren dexter*
c. *pelvis sero turgens*
d. *Ureter dexter sero distentus ac repletus ad calculum usque.*
e. *Calculi in uretere dextro situs.*
f. *Reliqua ureteris dextri pars, ad vesicam usque inanis ac flaccida ob spatii defectum curtata.*
i. *arteriæ & venæ emulgentes dextræ.*

B. *Ren sinister.*
g. *pelvis sinistri renis.*
h. *ureter sinister à pelvi ad vesicam usque sero turgidus.*
k. *Arteriæ & venæ emulgentes sinistræ.*

a. *calculi ex uretere exemti magnitudo & figura.*
b. *ejus crassities.*

OBSER-

Fig. XVIII. pag. 178.





OBSERVATIO XCVI.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Sudore Moschum redolente.

HUmores excrementitios ab assumtis variè alterari, nunc has nunc illas qualitates induere, ac tam quâ consistentiam, quam præcipuè quâ colorem & odorem mutari haud insolens est. Nam ut de urinâ s. v. taceam, quam ab alimentis ac eorum qualitatibus non minus ac à medicamentis diversimodè variari notissimum, Sudorem quoque ab assumtis variè affici non ignotum: Ejus enim exempla plurima à viris curiosis observata & in Ephemerides relata haud pauca reperiantur, tam quâ consistentiam, verbi gratia nunc arenosam seu tartaream potiùs, nunc pinguem & oleosam, de quibus Dec. 1. Ann. 2. Obs. 19. Ubi D. Mollenbroccius prædicta sudorum genera, non tantum ab assumtis sic alterata sed & spontè erumpentium ac nullâ manifestâ causâ præcedente mutatorum exempla producit varia. Talis olesi nimirum sudoris valdè notabile exemplum, ab affine meo Mercatore Gedanensi mihi relatum, quid ipse negotio interfuerat, hîc adducere haud abs re erit: Navigabat ille, ex Hispaniâ in Hollandiam reversurus; Verùm procellâ vehementi & diuturna in longissimè disita Oceani. Atlantici loca abreptâ ac rejectâ, vino Hispanico, pipere & oleo onustâ, navi, quod paucarum hebdomadum fore sperarunt, in menses plures extrahebatur iter. Undè cum navigantium haud exiguus esset numerus, commeatu, potu imprimis & potulentis, aquâ præsertim dulci sensim deficiente, dimensum cuique diurnum aquæ loco deputare coactus fuit Navarchus, cyathum nimirum, sescunciam continentem, unum olei, duosq; vini Hispanici singulis dietum tribuendo. Undè evadit, cùm piper, ne quie tum ob solis æstum inflammaretur aut corrumperetur, quotidie ex uno navis loco in alium translocandum, sicque eventilandum esset, idque sine labore assiduo ac sudore copioso fieri non posset, ut oleo per poros cutis transsudante, indusiæ laborantium oleo imbuta, imò merum ferè oleum facta simulque piperis pulvere consperssa, ipsi verò spectris quam hominibus quâ colorem similiores redderentur, corpora verò ipsorum & præcipuè membra adeò agilia & flexilia facta, ut in glomum ferè convolvi potuissent. Meminerunt & alii vario-

variorum sudorum, sanguinis Liddelius Dec. 2. ann. 2. Obs. 34. Paulinus cruenti, Dec. 2. ann. 64. append. Obs. 37. Lactis. Idem Dec. 2. anni VI. in append. Observ. 18. Mellis idem ibid Observ. 25. Urinæ ibid Dec. anni VI. in app. Observ. 15. Quàm colorem, rubrum nimirum à vino rubro largiùs hausto, ex observ. Bartholini obs. V. cit. 19. ann. 2. dec. 1. qualis sudoris ipse quoque à largiori potu vini atro rubei, quem vulgo Alicantinum vocant, exemplum novi, vino illo à sudore modico totam uti cutem sic & indusium tingente. Miniatum sub axillis, à Domino Johan. Mauritio Hoffmanno Dec. 2. ann. 3. obs. 27. notatum. Violaceum dec. 2. ann. 5. inappendic. Dno. Paulino narrante. Viridem Eodem dec. 2. Anno 6. in append. obs. 23. tradente. Cœruleum Dec. 1. ann. 6. obs. 67. Croceum Dec. 2. ann. 4. obs. 168. Quàm etiam quâ odorem, ut ab assumto sæpiùs diascordio, allii tetricum, dec. 2. ann. 5. obs. 3. rursus D. Paulinus Porraceum, tam quâ colorem, quam quâ odorem à porro copiosiùs comesto in eâdem obs. 17. append. quorum odorum natales assumtis extra controversiam tribuendi; Verùm suaveolentem & moschi odorem æmulantem, absq; manifestâ causâ, observatum fuisse non memini. Talem tamen in amico strictissimâ familiaritate mihi juncto non semel notavi. Qui, licet septuagenario major, nullis deliciis aut cupediis, nullo vino, nec aromatis aut similibus, quæ fragrantiam aliquam conciliare possent, nisi rarissimè utatur, victu potiùs & potu tenui contentus, sudoribus nocturnis sæpiùs diffluit, ut indusia quandoque ob madorem mutare cogatur, satis alias, quâ reliqua, Gratiâ Divinâ, etiam ponè supra ætatem vegetæ constitutionis. Hujus indusia sudore madentia si calori siccando exponantur, odorem moschi satis suavem & fragrantem spirant.

(*Berolino Augustam Vind. d. 21. Februar. Ann. 1702. missæ.*)

OBSERVATIO XCVII.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Adamantis innoxia deglutitione.

JUvenis viginti annos habens, Artem Aurifabrorum addiscendi cupidus, die 12. Julii 1700. Adamantem auro cingere, ac annulo inclu-

cludere in animo habebat. Aurum autem nondum satis adaptatum, alveolumvè adhuc latiorem reddere studens, ori Adamantem lentis minoris magnitudine aculeatum interea indidit, mentem magis ad aurum poliendum, quàm dictum Adamantem intendit, inopinatoque illum deglutit. Miser Adamantis jacturam magis, quam periculum aliquod inde eventurum deplorans, Dominus verò ipsius, tristissimè hoc quod contigit percipiens, summum periculum, ac si venenum pernitiosissimum & immedicabile hausisset, subesse dixit, quo Juveni maximum timorem, ac si de vitâ ipsius actum esset, injecit. Timidissimo ex hac præconcepta opinione semimortuo bonum haustum Olei Olivarum propinarunt, absque tamen ullo effectu. Juvenis Adamantem prope scrobiculum cordis sensit, lancinationes leves, imò ipso referente frigus aliquod, quod horrores, forsan magis ob metum mali, quam malum ipsum produxit. Hic me accedens totum statum quasi lachrymabundus dicto modo enarrans, anxiè opem ac Consilium petiit, quo animum ipsi iterum injeci, nihil mali inde futurum timendum esse spospondi, præterea Linctum sequentem sæpius de eo sumendum commendavi. ℞. Ol. Amygd. d. ℥j. Succ. Citr. rec. ℥ij. Theriac. Andr. ʒß. M. D. Sumpsit, sed sine ullo subsequente effectu, noctem perterritus insomnem egit, mortis fauces semper apertas esse sibi imaginatus est. Manè die 15. Tremulus easdem ac hesterno die querelas movit, omnem iterum metum sed frustra excutere tentavi, Aliudvè Medicamentum propinavi, nimirum ℞. Pulv. Sang. Hirci. Sperm. Ceti. ad ℈j. Syr. Alth. Fernel. ℥ß. M. Strenuè præscriptum lambit, ac circa vesperam nihil mali ampliùs sensit, lancinationes ac horrores evanuerunt, integreque restitutum se esse affirmabat, noctem somno largissimo transegit. Sequenti die 16. alvum solvit, fecibusqꝫ permixtum Adamantem, sicqꝫ in stercore Thesaurum deprehendit, lætissimus statim ædes nostras convenit, putatitium illud pernitiosissimum venenum, Adamantem innuo, ostendit, qui; ut antea commemoravi, lentis formam æquabat, eminente cuspide armatus, eodem nitore, eâdem diaphaneitate, pulchritudine, &c. ac erat cùm intro sumptus fuisset. Hinc planè iterum convaluit, ac munia sua industriè obiit.

SCHOLIUM.

ANtiquitas anxiè sese circa quæstionem: An Adamas venenum, & causa dysenteriæ sit? torsit multi affirmativam ratione & experi-

entia, uti ferebant, freti, defendere non dubitarunt. Ex his *Abuali Ibn-Tsina. Canon. Medic. Libr. II. p. m. 58. Sant. Ardoyn. L. II. Phil. Camerar. Cent. I. Hor. Suc. C. VII. Joh. Anton. Menav. Hist. Turcic. L. II. C. 22. Aventin. L. VII. Annotat. Joh. Fernel de Part. Morb. & Symptomat. L. VI. C. X p. m. 313.*

Alii contrà Adamantem Venenum esse, & dysenteriæ causam, non solum pernegant, sed hunc potiùs pro Antidoto ac dysenteriæ specifico extollunt, cui sententiæ sese subscribunt. *Plinius Hist. Natural. L. XXXVII. C. 4. Garcias ab Horto L. I. Hist. Aromat. C. 47. Cardan. Contrad. Med. L. II. Tract. V. Contrad. 9. Joh. Anton. Saracen. in Comment. de Peste C. VII. Bembus L. I. Hist. Venet. Zacut. Med. L. II. Obs. 16. Andreas Cæsalpin. L. III. Spec. Med. C. 32. Anshel. Boët. d. Boot de Gemmis & Lapid. L. II. C IV. p. 124. Joh. de Laët de Gemmis & Lapid. L. I. C. I. p. 9. Sennertus L. III. P. II. S. II. C. VII. Q. II. p. m. 185. & Lib. VI. P. VI. C. VII. p. m. 1076. Worm. Mus. p. 103. Spiegel. L. III de Semitert. C. XIII. Ettmyl. Sch. dilucid. Mineral. p. m. 214. Cl. Tiling. Eph. Germ. D. II. Obs. LIX. p. 106.* aliique plures.

Sed Recentiorum Practicorum monumenta, sicco ut ajunt pede, hanc tanquam minoris momenti, & extra dubitationis aleam positam quæstionem prætereunt. Solùm iis, unde majus emolumentum in morborum corpus nostrum infestantium refractionem ac debellationem redundat, inhærent. Occasione autem casûs superiùs producti, in evolutione nonnullorum Auctorum hanc rem tractantium, diversa judicia hinc inde exstantia contuli, meamque ἐπίκρισιν, ac sententiam hunc in modum proponere constitui.

Adamantem per se & suâ naturâ nihil maligni, vel veneni in se condere, nemo forsitan Modernorum, quibus tanta lux veritatis ubique sole meridiano splendidior apparet contradicet: Quamvis *Sennertus L. C.* manifestam quidem virtutem ac qualitatem venenum inducendi ipsi abdicat, sed quandam occultam ac absconditam, quæ demum sese in ipsius resolutione prodat, Si autem Adamantis natales, naturam, &c. propius consideremus, certè eum nihil aliud esse, omnium Naturæ scrutatorum auctoritate patebit, quàm liquorem limpidissimum, tenuissimum, ac purissimum, qui in cavernis, vel aliis locis appropriatis collectus, in Crystalliformem massam durissimam, aquæ instar diaphanam concrescat: Hanc veritatem Crystalli propriè dictæ & Crystallisationes Chymicæ omnes publicè evincunt, fusiusque in *dissert.* nostra *de Crystallis* produximus. Unde, quæso!

quæso ! Adamantes Cryſtallini tantam venenoſitatem ac deleteriam vim acquiſiverunt, certè hi liquores puriſſimi nihil ſecum tam abſurdi ac impuri vehunt ; omnino quoque nobilitas, ſplendor, pelluciditas, diaphaneitas, imò & eorum pretium periret. Salvus ergò ac ab omni venefica virtute liber Adamas, gemmarum pretioſiſſimus, eſto. Adamanti firmiſſimam, ac pororum ipſius ſtrictiſſimam compagem, nemo denegabit, hinc nulla effluvia, neque Antidota, multò minùs lethifera ſperanda, ſed ut alius ſilex durior aſſumptus noſtrâ propoſitâ Hiſtoriâ teſte, eodem modo, nitore, pondere, ſubſtantiâ, &c. egeritur, ac erat deglutitus. Sed non inficias eundum, Adamantem craſſiusculè pulveriſatum, acuminatum, echinatum, ac plurimis ſpiculis rigidioribus armatum, ac intro devoratum, plicis ventriculi ac inteſtinorum ſeſe inſinuare, ac ab accedente continuo motu inteſtinorum periſtaltico lancinationes, tormina, &c. irritando ac vellicando, ut in ſæpius citata noſtra Hiſtoria videre eſt, producere poſſe, hinc quædam ſiniſtra ſymptomata non nunquam exſpectanda ſunt. Idem verò & à Vitris aſſumptis, Cryſtallis groſſo modo contuſis evenire poteſt, quanquam nihil veneficii in ſeſe habeant. Optimè autem contritus ac pulveriſatus, acidum abſorbendo, &c. contrarium edet effectum, diarrhæam, dyſenteriam, &c. ut alia terrea ac lapidea ſiſtet ac inhibebit. Cujùsnam porrò qualitatis Adamas, An frigidus, vel calidus ſit, An dœmonem, ac omnia venena fuget, An Uxores legitimas exploret, An ſingulares vires teneat, aliaque plura hujus farinæ examinare animus heic non eſt, contenti ſolùm demonſtrâſſe : Adamantem ab omni veneni infamia, liberum ac immunem eſſe.

OBSERVATIO XCVIII.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Febrè in Tympanitidem deſinente feliciter curata.

VIr honeſtus C. B. quinquagenario major, cujus dextram Tibiam ulcus ſinuoſum per biennium occupabat, nonnunquam cicatrices admittebat, mox autem recruduerat, non ſine inceſſûs impedimento, tandem corpore internis purificato, ac levioribus ſolùm externis ſuperim-poſitis ulcuſculum optimè conſolidatum eſt. Unum,

&

& quod excurrit, annum, athleticè, sed minùs diæteticè vixit, iræ ac Vino frena laxavit. Die 25. Martii 1701. Insultus febriles, rigores, cum superveniente summo calore ac siti intensissima eum corripiunt, summam membrorum lassitudinem persensit, somnus oculis ipsius se subtraxit, urina, quanquam sat parca, at intensè rubra, & cum copioso sedimento apparuit. Adhibita fuere Bezoardica, diuretica, &c. Intra triduum eum conveniens, symptomata superiùs allegata, calor, sitis, rigores febriles remissa sunt, contrà abdomen Tympani instar expansum, durius culum erat, scrotum caput infantis superabat, Virga brachium æquabat, præsertim præputium mirè contortum, tumefactum & prominens erat, Femora ad Tibiam tantùm, sed ad crepaturam usque inflata fuisse animadvertimus. Urina quidem prodibat, sed non nisi vi retracto præputio. Ascitem cum Tympanitide sociatum præsentem esse statim augurabar. Diureticorum carminativis mixtorum continuationem suasi. Fotus externè ex Semin. Cumin. Stercor. Capril. Farin. Fabar. Cinerib. Sarment. &c. In vino & aqua coctos calidè ac sæpissimè applicari mandavi. Mirum, quantum intra quatriduum monstrosæ istæ intumescentiæ abdominis ac scroti detumuerint, Urina naturaliter, non copiosè tamen effluxit, dexter testiculus intra abdomen, seu potius peritonei processum sese abscondiderat, hinc expansiones ac lancinationes excitatæ sunt non leves, Præputium item ferè solùm ad ultimum usq; rebelle permansit, quod Ungento Altheæ cum Balsº Sulphur. & Ol. Cumin. illinivi ac debellavi, à quo & hoc malum herbam porrexit. Ita ut intra quatuordecim dies pristinæ fuerit sanitati ex integro restitutus. Sed

Non minor est Virtus, quàm quærere parta tueri.

Sanitatem hanc recuperatam omnibus nervis ac viribus sartam tectamvè servare enitendum fuisset. Sed præteritorum oblitus eâdem ut antea chordâ oberravit. Minima quævis stomachum ipsi movebant. Vinum copiosius ac intempestivius ingurgitavit, &c.

OBSERVATIO XCIX.

Dn. D. JOH. HENRICI HOTTINGERI.

De Epilepsia in Febrem Acutam desinente lethali in Eodem, cum subjuncta cadaveris defuncti Anatomia.

IDem hic Vir Die 29. Januarii 1702. per decem Mensium intercapedinem optimâ sanitate perfruens, manè nullis prægressis indiciis, non

non horrore, frigore, aut Vertigine, ab Epilepsia repentina, fortissima, graviter in terram projicitur, spumam cum sanguine copiosissimo per os ac nares impetuosè excrevit, paroxysmo isto comitiali absolute quieti sese dedit, expergefactus prægressorum immemor, nihil nisi dolorem capitis ac Epigastrii accusabat; Intra Octo horarum spatium decies dicti insultus recurrebant. Post meridiem statum boni Viri tam depravatum ac periculosum mihi annuncianti-bus Mixturam Ant-Epilepticam cochleatim sumendam dedi, Vix bis vel ter eam degustavit, ne scintillam quidem prægressi mali Herculei sensit, ad quietem sese composuit, adhuc ambulans, negotia domestica perficere tentavit, maximè tamen erat debilis, noctem sequentem insomnem ferè egit.

Die 30. Nonnulla Febris indicia accesserant, pulsus erat inæqualis ac celer, sitis magna, cibos abhorruit, Urina Croceo-rubra & Clara, Adstantes leve aliquod delirium animadverterunt. Potiunculam diaphoreticam ac alexipharmacam cum Apozemate, eidem scopo satisfacienti ordinavi. Quietem commendavi, vinòque ipsi interdixi. Nihilominus tamen hic immorigerus Vinum clam absentibus suis copiosè ingurgitavit, deliransque semper in hypocausto incessit, domesticos placidè mandatum Medici suadentes, summâ ac vehementi ira increpabat, ad iram enim natura proclivis erat. Eadem nocte Somnus iterum oculos ipsius deseruit.

Die 31. Eodem ac hesterno die, modo se habebat, Febris verò augebatur. Continuationem prædictorum Medicamentorum injunxi. Æger noster nondum à vino abstinebat, hinc & quietem nauci fecit. Noctu è lecto surrexit, extra cameram prodiit, & ob intensissimum æstum febrilem frigus petere voluit, sed ab uxore lectum repetere coactus fuit.

Die 1. Februarii. Accedenti mihi nihil conquerebatur, quam Epigastrii dolorem, Ariduram linguæ, ac aliqualem capitis dolorem, alvum obstructam. Delirium haud vehemens erat. Linguam ac palatum inspicienti, occurrit principium inflammationis seu pruneolæ, statim os Chirurgi manu gargarismate collui ac purificari jussi, quo facto non exiguum levamen percepit, alvum suppositorio reseravit. Oculi erant torvi, crocei, eodemque colore & fuco facies, imò totum corpus inquinatum observabatur. Ulterius, quantum in me erat, diætam strictissimam, quietemque ipsi imperavi, cui

jam summè debilis morem gessit, lectoque sese affixit. Nox, ut præcedentes, somno carebat.

Die 2. Manè mentis planè impotens adstantes ac amicos advenientes ampliùs distinguere nescivit, stertore corripitur, sudor ubique emanabat, Aquas cordiales infusas ægrè deglutivit, imminentemque mortem ipsi prædixi, quæ & hora tertia pomeridiana secuta est, vitâ morboque fatur animam efflavit.

Die 3. Corpus exanime, annuentibus Uxore ac Filiis penitius in dissectione perspeximus. Abdominis musculi, quanquam Æger planè emaciatus videretur, pinguedinem flavescentem, & quidem non minimæ quantitatis fovebant; Ex Abdomine perforato Intestina flatibus distensissima statim proruebant flavo colore tincta, Omento pingui, ejusdemque coloris ad umbilicum usque expanso. Mesenterium sat larga pinguedine donatum, nihil præternaturale indicabat, nisi quod dextro Hypochondrio firmiter fuerit agglutinatum. Hepar erat prægrandis molis, putridum planè ac scirrhosum, punctis albis grandinis instar distinctum. Vesicula bilaria sat capax parum liquoris atro flavescentis recondebat. Lien naturæ præscriptas leges quoad magnitudinem multò superabat, plùs semel naturali erat major. Renes optime dispositi fuerunt, pelves tamen ipsorum dissectæ materiam purulentam minoris quantitas fundebant. Vesica Urinaria nullam Urinam in se continebat. Sterno remoto aquæ purulentæ, ac fœtidæ incirca Mensura una cum semisse, obvia erat, quæ sinistrum pulmonum lobum planè depressérat, ita ut hic ferè videri nequiverit, aquâ evacuatâ exesus tamen acâ putredine corruptus conspiciebatur. Nec Lobus dexter hanc labem effugit, punctis albis consitus; Uterque firmiter costis adnexus erat. Pericardium non multum liquoris asservabat. Ipsum Cor pinguedine consitum justam magnitudinem non excedebat. Dexter ipsius ventriculus Polypum grandem, ac in arteriam pulmonalem longè sese extendentem continebat. Hicque nostræ curiositati limites coacti posuimus.

OBSERVATIO C.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

Anatomia cadaveris ex ulceribus Tibiæ defuncti.

Die 29. Decembris 1701. cultro Anatomico subjecimus Juvenem octodecim annorum H. T. von Zollikon, Præsentibus Reverend. D. I. B. Ottio

B. Ottio, ejusdem loci Pastore, & D. Hospiniano, Chirurgo ibidem commorante. Dictus juvenis à septem abhinc mensibus graviter ex ulcere genu ac Tibiæ dextræ decumbebat, quæ referente supra nominato Chirurgo, à febri lenta per aliquot tempus continuante originem traxerunt: Quadam nocte summis horroribus febrilibus correptus, manè conqueri incipiebat, de maximis doloribus circa genu, quod etiam ob insignem rigiditatem non nisi magnis cruciatibus flectere potuit, intumescentia quædam eodem in loco observabatur, absque tamen ulla inflammatione aut rubore. Medicamenta sudorifera, discutientia, tam internè quàm externè propinata & applicata, spem omnem fefellerunt. Tumor indies majus incrementum sumpsit, tandemque ob materiæ acris ac Salinæ continuum affluxum exitum sibi ipsi paravit, in magna quantitate effluxit, interea temporis, non minùs internis decoctis vulnerariis, quàm externis Emplasticis, fomentis &c. ad malum funditùs extirpandum, sed frustra, institit. Corpus enim per se æque ac per malam diætam planè cacochymicum ac depravatum erat. Sed ulcus non solùm genu possidebat, sed omnes etiam musculos Tibiæ pervadebat, cuniculos ac plurima foraminula hinc inde in eodem membro agebat, uno loco sanato, in altero majori impetu prodibat; Interea miser summis cruciatibus vexabatur, sese non amplius movere, multò minùs incedere novit. Alterum pedem insuper etiam in consensum traxit, adeò ut ad crepaturam intumuerit, appetitu remanente salvo, imò nimio. Excrementa alvi, quoad colorem puri ulcerum correspondebant semper, noctes insomnes peregit. Tres dies ante ipsius obitum Gangræna Tibiam ulceratam concomitantibus intolerabilibus lancinationibus prehendebat, tandem vitæ ac doloribus valedixit. Externè, cùm accuratius ulcera ista fœtida inspexissemus, omnes musculi ac circumjacentes partes putridæ, materâ viscidâ serosâ repletæ, oculis nostris subjiciebantur, salvis tamen, incorruptis, ac ab omni carie liberis ossibus, imò & periostio; Mirum sanè, quod hæc acris materia ea non itidem infecerit.

Abdomine aperto, Omentum omni planè pinguedine orbatum ac corruptum prodibat; Intestina observabantur flatu distenta, crocea, à bile tincta. Mesenterium, præsertim prope Intestinum ileum & jejunum, glandulis prægrandibus purulentâ materiâ repletis, scatebat. Hepar magnum, pallidum, ac aliquo modo friabile, omni sanguine, ut totum corpus, hunc enim liquor limpidus, serosus, viscidus, constituebat, carebat. Lien, Renes, ac cæteræ partes nihil præternaturale ostendebant. Pulmonum parenchyma non minus acrimonia hæc salsa sanguinis

etiam salutavit, viscidamque materiam in ipsius vesiculis ac vomicas post se reliquit.

[*Tiguro Augustam Vind. d. 3. Mart. An. 1702. missæ.*]

OBSERVATIO CI.

Dn. D. DANIELIS CRUGERI.

De Vesicatoriorum Efficaciâ.

QUæ Excellentiss. Dn. D. Grassius de Vesicatoriorum Efficacia notavit in ann 5. Decur. 3. p. 37. tribus exemplis confirmare libet. Evocatus enim ad Illustrissimum quendam Ægrotũ ubi per octiduum commoratus; Domum rediens, Video cùm luctu animi uxorem meam jam per octiduum lecto decùmbentem, oculis clausis & sine loquelâ varia adhibita à Medico præsenti remedia, ast sine effectu; ordinavi ùt abrasis capillis toti capiti mitræ instar vesicatorium imponeretur per noctem & si vesica non excitata propter cutem densam, attamen multum seri effluxit, item retro aures duo vesicatoria applicata & manè duæ magnæ cucurbitulæ super regionem palpebrarum, omnia tanto effectu ut altero die remotis vesicatoriis, oculos aperiret, loqueretur, & sensim convalesceret.

Nobilis quidam â Steinbach post febrem malignam petechialem decimo quarto die per malam Crisin in eundem affectum incidebat, ita ut maligni humores totum cerebrum obruerint, & apoplectici instar sine Loquela clausis oculis decumberet per 6. dies applicato toti capiti vesicatorio & duobus retro aures, perfectè liberatus est.

Quemmadmodum & virgini Nobili post febrem petechialem accidit, quæ eodem modo curata fuit.

Reliquæ deinde per fomentationem ex herbis cephalicis in Vinio coctis discussæ sunt & cerebrum roboratum.

[*Missa Berolino Norinbergam A. 1702. d. 7. Martii per Excellentiss. Dn. D. Menzelium.*]

OBSER-

OBSERVATIO CII.

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

Ex Anatome à Partu difficili defunctæ.

Filiolum d. 19. April. an. 1701. enixia fuerat, variis doloribus, & prægnationis decursu & partûs tempore, afflicta perditè: postridiè accersor; Obstetrix *abdomen rigide extensum* ostendit; atque *sub regione epigastrica*, ab uno hypochondrio ad alterum, transversim, justâ fœtûs magnitudine, corpus situm esse comparebat: durum istud, & renitens, quamvis Puerpera ægerrimè tactum ferret. *Isti* verò *in regione Epigastrica loco elato respondebat depressus*, instar convallis, *qui umbilicalem* ab uno illo ad oppositum *emetiebatur*; post quem rursus *in Hypogastrio par Supremæ abdominis elatio* conspiciebarur. Illis Obstetrix gemellorum restitantium suspiciones oggerebat. Cum *contumaci alvi obstructione*, & *flatuum lancinationibus*, *in Sinistro inguine*, *doloribus atrocissimis pungentibus & scissoriis*, (als wann sie mit tausend Messern geschnitten und gestochen wäre) conflictata fuerat misera. Quinque diebus ante partum *obstructio* perseveraverat, nec flatus loco dimoveri poterant. Lenimen à Cataplasmatibus senserat post partum, assumto etiam Spermate ceti cum oculis cancri & tantillo croci, quod matrix statim, à partu eductâ secundinâ, occlusa lochia nulla dimisisset. Obstetrix referebat fœtum jam jam in lucem proditurum supremam epigastrii regionem adhuc occupasse, quo ipso de gemellis conjecturam firmare studebat.

Defunctæ autem d. 21. April. *apertio* aliam rerum faciem detexit: *intensum*, ad rupturam usque, *abdomen* quando Chirurgus *perforabat*, quasi ex bombarda explosio facta, in faciem secantis Sordes ejaculatæ, fœtore pessimo totum conclave inficiebant. *Patefactâ Epigastrii regione cum Umbilicali*, *Corpus illud elatum & durum*, *colon* deprehensum, tantâ vi expansionis, ut incisa hujus intestini totidem lobi visceris alicujus grandioris viderentur, ipsumque nullâ vehementiâ manus, comprimi posset: *Ubi amplissimum erat colon*, filo tres partes unæ longo vix comprehendebatur. *Par corporis in Hypogastrio elati conditio*; siquidem *Coli* itidem *portio erat*; quæ in confinio intestini recti tota *nigra atque sphacelata*, atq;

ad contactum, cum intestinis vicinis quæ tabe suâ corripuerat, rumpebatur: Hæc *sedes* erat *dolorum lancinantium*, de quorum atrocitate toties conquesta fuerat: Hæc *causa inquinamentorum in cavitate abdominis*. *Superius colon* à Gangræna erat immune: Ab hoc vero *Hepar sede suâ* erat *exturbatum*, & fermè inversum, ut Sima pars cum vesicula fellis in conspectum prius veniret, gibbâ ad vertebras distorta: *crepido*, quæ ad umbilicum vergere solet, coarctata & retrò inversa, cum suo fisso & suspensorio duas palmas à mucrone ensiformi recesserat. *Bilis in vesicula* fluida satis; *Hepar* ipsum subpallidum & emarcidum. *Lien* putris, ad contactum diffluens. *Omentum* nusquam comparuit, *neque* ad incisa coli, aut ullum intestinum *pinguedinis quidquam*, qua & *Renum fascia* destituebatur. *Intestina tenuia* sedibus suis emota, à colo obtecta, flatu distenta, & colluvie.

Uterus, licet alter solum à partu dies abierat, in globum jam contractus in pelvi quiescebat, magnitudine Capitis infantilis. *Fundi incisi crassities* erat duorum digitorum transversorum, *tantâ* è contra *colli minoris tenuitate*, ut calami anserini crassitiem non excederet. Intus per omnem superficiem *Placentæ reliquiæ* hærebant, quas tamen digito facilè erat avellere: *In collo* ipso cruor hæsitabat. *Tubarum altera* erat alba, cujus orificium *fimbrias*, quales *Svvamerdam* voluit, *lacinioſas* habebat: Hanc Tubam incidens *striis albis* secundum longitudinem distinctam inveni, *quales striæ in Uteri Gallinacei processu* extantiores: Stylum per eam adigens in cavitatem Uteri penetrare non valui. *Sinistra Tuba* erat sanguinolenta, Sphacelata, parti colisubjacens; *hujus fimbriæ lacertulos* sive carneos lobulos quales *Graafius* defendit, *ostendebant*. *Testes* oblongi, albi, plani, exsucci, exilibus & paucis hydatidibus.

Usus ex Anatome à Partu difficili defunctæ.

1. *Fallax gemellorum indicium*, partes abdominis elatæ.

2. *Femininus sexus Colicis doloribus obnoxius*, qui tamen Uterum semper causatur.

3. Quanta *vis flatuum intra colon*.

4. *à Gangræna dolor* acutissimus scissorius.

5. Succi vitalis defectus, *causa defectus*, *pinguedinis*.

6. *Uteri* post partum *crassities*; *diversaque* in diversis partibus.

7. *Lochiorum remora*.

8. *In*

8. In Tubarum fimbriis varietas.

9. Testium vigor ex abundantia & bonitate Ultimi alimenti.

OBSERVATIO CIII.

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI,

Ex Anatome Hœdi Hermaphroditi.

LAnio *partes genitales hœduli cum vesica & portione intestini recti an. 1701. m. jun.* obtulerat *Mira Penis conformatio* illicò aliquid monstri exhibuit, *glande insolitæ formæ*, divisa & incurvà; eâque nec stylo, nec flatui pervià: Per injectionem tandem *foramen* detexímus, sed exile illud, ut quod subtilis acicula vix ingrederetur; illud ipsum autem non glandis apicem permeabat, sed sub hoc ad alterum latus, in margine quasi præputii, *exigua papilla*, ejusdem coloris cum cuticula præputii subnigra, prominebat *ex qua ad injectionem aqua* subtili filo *exsiliebat*. *Præputium* quod glandem memoratam ambiebat erat rugosum, alicubi prominulum, instar alarum pudendi muliebris sejunctum, ut *glans* hæc *instar clitoridis* ex præputio protrudi & in idem retrudi posset: In acuminata sui parte & marginibus laterum sive alarum *præputium* pilis erat obsitum:

Urethra, quemadmodum ex tubuli insertione patuit, ampla, quæ pennam majorem caperet: excurrebat ad *Præputium*, cujus rugas flatus immissus expandebat: Nimirum *circa confinium glandis erat cavitas* quæ instar vesiculæ extendebatur, amplitudine N M capacis, urethra minimè à flatu dilatatâ: Tres digitos transversos longa erat urethra integumento exterius ejusdem coloris cum præputio & impili.

Testes Peni utrinque appensi satis magni, non procul à margine ani siti: Erant illis omnia quæ Virilibus ad esse debent, *Epididymides, tunicæ, vasa seminantia, præparantia* sed & *deferentia*, omnia sunt.

Progressis Ulterius, *sub Vesica, Corpus Uteri* obvium factum, *Vagina nusquam comparente*: *in margine* tamen *intestini recti foramen quoddam latiusculum* advertimus, quod prosequuti, ejusdem in Urethram insertionem detexímus: *Nullam speciem* autem *Vaginæ* istud foramen exhibebat, sed quasi intimæ intestini recti tunicæ productio atque velum huic protensum esset, quâ formâ ad articuli longitudinem progrediebatur. *Ipsum*

verò

verò *foramen* latiusculum quidem erat, sed ut minimum digitum non intromitteret: *Inserebatur ductus hujus foraminis Urethræ*, istâ figurâ quâ in sexu muliebri Urethra inseri solet Vaginæ. Locus ubi inserebatur, unciæ latitudine à Cervice Vesicæ distabat. Hunc ductu *Collum majus vel Vaginam muliebrem* Naturam molitam fuisse autumo.

Ipsius verò *Corporis Uterini facies* hæc erat: *Collum minus* referre debebat, sed longitudine infra istud quod s. n. erat, amplitudine verò hoc multum superabat; Amplum enim, in quo ovum gallinaceum mediocre recondi posset. Quum vero *in ruminantibus divaricata Processuum* reflexione suâ cornua æmuletur, alia species hic comparuit, instar literæ Pythagoricæ, Y uti ex Figuris est perspicere. Neque *antrum Commune* s. n. ut æquali proportione ex eo processus fuissent dimissi, sed alteri majus concessum erat spatium: Quando & *ipsi processus inæqualis magnitudinis erant*; *Dexter*, longior, sed angustior; *Sinister*, brevior, sed altero tanto amplior. *Uterque Processus aquâ repletus* erat, quæ ad inflationem prorumpebat. *Uterque quasi præcisa extrema referebat, quæ nec flatus nec liquor penetrabat.* *Testes* & *Tubæ* neutri processuum aderant, *particulæ* tamen *ligamenti lati* illis adhærebat.

Isti *Corpori Uterino amplo*, quo Collo Minorim analogum, *glandulæ erant affixæ*, magnitudine amygdalarum mediocrium. Atque *Corpore hoc aperto*, proximè ad insertionem Urethræ *membranam quandam crumenæ specie protensam* vidimus singulari exili foramine rotundo ab altero sacculo appositio, cujus foramen erat rhombiforme, adeoque *duas cavitates* hoc *Corpus* efformaverat in parte sui anteriori. *Interior superficies Hujus Uterini Corporis* nulla rugis aut sulcis erat divisa, in margine sacculi crumeniformis quasi annulus quasdam plicas colligebat. *Processus* injectionibus tentati, sed nihil liquoris transadigi potuit: *Incidi ambos*, *in illo qui amplior*, variæ formæ cancelli, profundius exarati, hinc inde; *in altero* verò vix ulli; aut exigui.

Duæ glandulæ ad Corpus Uterinum sitæ Prostatas referebant nulli verò ductus detegi poterant, à quibus in Corpus Uterinum aut viciniam humor deductus fuisset.

Penis incisus angustum *Urethræ tramitem* detexit qui *propè Glandem in sacculum* istum dilatatus fuit.

Usus ex Anatome Hœdi Hermaphroditi.

1. *Polydædala Natura.*

2. *In*



Fig. XIX. pag. 192.

Fig. XX. pag. 193.



2. *In Hermaphroditis aliquando* masculinum, *aliquando* femininum, *aliquando* neutrum sexum præpollere: *Vitulam Hermaphroditam* dedimus *in Dec. II. An. VII. Obs. XXVII. In qua partes muliebres* magis conspicuæ exterius, uti *in hoc hœdulo viriles. Vid.*

Fig. XIX. Hœduli Hermaphroditi Genitalia utriusque sexus cum intestini recti portione.

A. A. intestinum rectum elevatum & reclinatum.

a a a Locus ubi interius velum rugosa tunica intestini avulsa, sub qua transitus ad urethram, pro Urina mittenda.

B. B. Penis cum Urethra ad Vesicam usque sub Corpore uterino latentem.

b. b. b. b. Præputium clitoridis æmulum, intus piliis in margine raris.

c. c. c. c. Glans incurva & divisa.

d. d. Papilla per cujus foramen exile liquor ex urethra transiit.

e. e. e. Urethræ pars exterior glabra.

f. f. f. f. f. f. Cutis cum Pilis, mediam urethram complectens.

C. C. Corpus uterinum amplum, sed sinus quasi duos habens.

g. g. g. g. g. g. Loci ubi ex sinu majori vel superiori in Urethræ laxam partem per foramem triangulare, & ex inferiori sinu vel minori per rotundum exile foramen transitus erat.

D. D. Glandulæ instar Prostatarum Corpori uterino annexæ.

E. E. Antrum Uterini corporis commune.

F. F. Duo Processus Uteri, inæqualis amplitudinis & longitudinis.

G. G. Extremitates Processuum cœcæ.

H. Ligamentum latum.

Figura XX.

Hœduli Hermaphroditi Genitalia sexus feminini cum Vesica.

A. A. Vesica cum Urethra.

B. B. Corpus Uterinum amplum.

C. C. Glandulæ Corpori Uterino annexæ

D. D. Processus Corporis Uterini.

OBSERVATIO CIV.

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

De Utero Ovillo Hydropico.

EOdem *mense* allatus *Uterus Ovillus*. *Tumidus* prorsus erat, qualis partui vicinus : *incisâ vaginâ*, *collum minus* laxius quàm in gravidis fieri suevit, nullis asperitatibus insigniter distinctum, longitudine vix sesqui articuli. *Antrum* verò *commune* tanto prolixius *spatium occuparat*, *sex digitorum transversorum*, priusquam divisim cornua ex ipso fuissent progressa : Atque hoc *Hydropi sedem* præbuerat: *Aqua quæ effluebat* lacteſcentis coloris, saporis vero sat salsi erat. Incidimus *Cornua*, ut de antro certiores redderemur, & *totum antrum eâdem longitudine*, *pariete quodam intergerino membraneo denso divisum* contuiti sumus. Cornuum insertiones eodem separatæ fuerunt longius. *In Cornib. patefactis* exigua & plana *Cotyledonum simulacbra* occurrerunt, nullis fœtûs indiciis. *Tubæ* s. n. *Testium* erat discrimen; *alter triplo major*, in quo corpus glandosum pisi magnitudine, hydatidibus circumcirca, sed exiguis. *Minor* Parenchymaticam solùm membraneo glandulosam texturam, paucis & exilibus veſiculis consperſam exhibebat. *Vesica* Urinaria s. n. nisi quod intus alicubi tuberculum hæreret, quo inciso gelatina quædam alba detecta fuit.

Usus ex Utero Ovillo Hydropico.

1. *Particularis Hydrops* Uteri.
2. *Membranarum* conformatio p. n.

OBSERVATIO CV.

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

Ex Anatome Puellæ triennis Mesenterio in tumorem Sanguinolento suppuratum conglobato.

QUum viveret, puella, *sub costis spuriis sinistri lateris ingentem tumorem ad pubis confinia protensum*, conspiciendum præbuit, quo fier-

sternum prorsus distortum erat : Parentes remedia ; ego desperatum morbum.

Defunctæ *d.* 13. *Sept.* abdomen aperiens *Peritonæum* solito crassius conspexi : hocque inciso multum *aquæ loturæ carnium similis* erupit. *Detecti* vero *tumoris mera concretio* ; intestinis in unum corpus coalitis cum majori parte omnis mesenterii. Tentavimus intestina liberare, sed præter ilium nullum à mesenterio laxius pendulum offendimus. *Intestini recti* tamen portio quomodocunque separata, tumoris coagulo dissecto. *Colon* vero totum usque *ad Cœcum* in unam massam coaluerat, ut dorsum solum liberum conspectui pateret. Eadem concretio *Duodeni*, vix sesquiarticuli longitudine liberi. Versantes quaquavorsum *tumorum conglobationem*, ubique sanguinolenta suppuratis mixta advertimus ; Id quod inciso luculentius ante oculos posuit : quæ *præter sanguinolentos & suppuratos tumores alios albicantes albos quasi ex pingui viscosos* detexit, medios inter illos sanguineo putridos : *Omnem regionem qua intestinum rectum Vertebris Lumbaribus incumbit, quâ receptaculum chyli, quâ colon in sinistro latere progreditur, ad cœcum usque, unus involvit cœcus tumor.*

Ipsum *Renem sinistrum integrum idem ad se attraxerat*, atque absorpserat, ut vix distingui potuisset, nisi quædam pars fasciæ ipsi ad huc s. n. laxè adhæsisset, ut detrahi posset, quo ipso Reniforme corpus apparuit. Ceterum *dissectus hic Ren* exiguâ sui parte parenchyma s. n. offerebat : Pelvim, carunculas, *omne corpus tumoris eademvis deformarat*, utut *nodi tumoris albicantes & pingues plures in hoc* occurrerent, sanguinei rari, suppurati nulli. *Fasciæ illa pars*, quæ adhuc s. n. supererât, erat membranea.

Ren dexter erat s. n. nisi quod in dissecto pelvi lapillus quiesceret, solidi magnitudine. *Fascia hujus*, pinguedine erat destituta.

Omentum quoque non nisi membraneum, quod tamen omnem tumorem ultra umbilicum obtexerat, *Lien* s. n. *Vasa* autem *p. n. longa*, ultra articuli longitudinem à Ventriculo recedentia. *Hepar* non quidem vivacis coloris, neque tamen scirrhosum : à sede sua sursum versus Diaphragma erat adactum. *Vesicula fellis* turgida, longa, ponderе ʒiß. *Bile nigrâ, lentâ*, quæ ægrè absterſa *intimæ tunicæ foramina* exhibuit conspicienda.

Ventriculus incisus vacuus, quasi elotus, paucis rugis extantibus. *Pylori annulus* propter laxitatem tunicæ ægrè conspicuus erat. *Duode-*

num pariter elotum, nullo muco ſ. n. *Pancreas* non quidem ſcirrhoſum, ſed tumorum globo variis in locis agglutinatum.

In Thorace; *Pericardium* multum liquoris minus limpidi effudit. *Pulmonum lobus alter* ſ. n. *alter* in extrema parte ſanguinolentus, ex qua parte inciſa etiam ſanguis effluxit. *Cor* ſ. n. ſed vacuum, nullo grumi ſanguinis aut Polypi veſtigio.

Cæterum *conglobati iſtius tumoris nulla durities fuit ſcirrhoſa; neq; Renis*, quem corripuerat; *nullus quoq; fœtor à diſſectione* hujus tumoris.

Meſenterii portio cui ilium aut etiam jejunum ſ. n. erat connexum, *liberior*, quæ non in tumorem tranſierat, ſed *ſolito craſſior & ſanguinolenta* comparuit: atque *in limbo*, quo inteſtina memorata colligebat, *innumeras glandulas ſanguineo carneas* quaſi offerebat, piſi, & ſupra, & infra, magnitudine.

Uſus ex Anatome Puellæ Meſenterio in tumorem conglobato.

1. *Ex infarctu malum originem duxiſſe*, ſcrutinium quo in educationem inquirebam, demonſtravit: ablactata enim juſto citius à Nutricibus ultra ſatias oppleta, ut totos dies edendo conſumeret.

2. *A nimia repletione extinctio caloris nativi, ut digeſtio non ritè fiat*, ſive in inteſtinis ſ. in Ventriculo, adeoque purum ab impuro juſtâ morâ non ſeparetur; inde crudus chylus hujusque in lacteis hæſitatio; à chylo crudo, crudus ſanguis; à crudo ſanguine & fluor nativi ſucci & Spirituoſitas imminuitur, ut non debitè Ventriculo & inteſtinis ab arterioſo ſanguine Calor impertiatur diſpenſeturve.

3. Dedi in *Dec.* II. *An.* IX. *Obſ.* IX. *aliam Hiſtoriam Meſenterii per totum ſcirrhoſi in Puero tabido quinquenni*: in hâc Puella non tanta ſcirrhoſitas, neque tam æqualis tumor, neque per omne meſenterium, ſed potiſſimum in latere ſiniſtro.

4. *Quomodo Ren ſiniſter contagio eodem correptus fuerit*, ut eadem facies tumoris intus compareret, divinare magis eſt, quàm rotundè ediſſere. *A Vicinia receptaculi Chyli* Vaſa emulgentia primùm, mox pelvim fuiſſe oppreſſam, hincque vitium in ipſum Parenchyma tranſiiſſe, per modum extravaſationis.

5. *Quod à Vaſorum lacteorum obſtructione prima & præcipua origo tumorum, ex eo colligo, quod nodi tumorum albicantes*, inſtar inſularum

sularum sporadicarum per vastum globum tumorum, & per Parenchyma Renis dispersarum, *albicante suâ & gelatinosa pinguedine succi lactei concretiones manifestò arguant.*

6. *Conretiones tumorum sanguinolentorum & suppuratorum* Vasis Mesentericis sanguineis in consensum tractis adsigno.

(*Missæ Berolino Norimberg. per Exlleo. Dn. D. Menzel, d. 7. Martii 1702.*)

OBSERVATIO CVI.

Dn. D. JOHANNIS WILHELMI ROMBERGII.

De Puerulo absque Cranio & Cerebro nato.

FOemina consistentis ætatis die 7. Jul. 1699. puerulum peperit cranio & pericranio carentem, solumque cerebrum durâ meninge tectum apparere initiò videbatur: Cùm autem 48. horarum spatio continuis convulsionibus divexatus, exspiraret, cadaver cultro subjeci deprehendique sequentia: Basi Cranii incumbebat massa quædam colore rubra, externâ figurâ cerebrum exactè referens, dissecta autem nec ullam cum substantia cerebri analogiam habebat, sed spongiosa & vasculosa illa fuit, undique vasa hæc sanguifera & nervea accipiens, quæ intra se implicata, confusam hanc massam propriè constituebant: Involuta illa fuit membranâ tenui, fortissimâ tamen, vasculis & massæ illi arctissimè connexa, atque ex his fine dubio enata: interspersæ erant innumeræ hydatides, majores minoresve, ovales, triangulares, rotundæ &c.: vasculis sanguiferis propriis donatæ, facilè separabiles, quæ incisæ aut compressæ lympham cum impetu profundebant tenuem & subflavam; ossa frontis, occipitis & parietalia deerant, oculi orbita tamen integra erat, ubi etiam facei cutis terminabatur atque cum dictâ membrana tenui, massam involvente arctè connectebatur. Opticorum nervorum tractum cultro secuti; desinebant illi in spinalem medullam, cujus principium multa, tam intra vasculosam massam, quàm circumjacentes partes distribuebat filamenta nervea. Corpus reliquum benè formatum fuit, & quia adstantium commotione impediebar, finem sectioni feci. Adfuerunt mihi testes Dominus Zehner, Pharmacopola Manheimensis, & Dominus Schwarz, Chirurgus. Similem observationem

habet D. Wepferus in Eph. Cur. ann. 1672. Obſerv. 129. cum Schol. In cauſam hujus mali conquirens à marito percepi binos liberos ſuos præcedenti anno fatalibus undis ſubmerſos, & poſtquam interjectis quibusdam diebus ex aqua extraherentur, præter corruptionem aliquam, præcipuè cranio & cerebro privatos fuiſſe inventos, quâ de cauſa mater tam fixâ & pertinaci imaginatione & præteriti mali perpetuâ ruminatione malum hocce fœtui contraxit. Quantus ſit matrem inter & fœtum intimus conſenſus, ex hac hiſtoria luce meridiana clarius videre licet.

OBSERVATIO CVII.

Dn. D. JOHANNIS WILHELMI ROMBERGII.

De Febre Petechiali Ictero ſuperveniente ſoluta.

CEreviſiarius Manheimenſis quinquaginta annorum, temperamenti ſicci & bilioſi, jam per quatuor dies febri ardente decumbens Medicum expetebat, ad quem die quinta vocatus Diaphoreticis, bezoardicis &c.: morbum aggredi ab initio conatus fui, præterquam mixturam diaphoreticam ex aq. card. B. fumar. ſcabioſ. &c. cum ʒ. diaph. Cinnab. ʒij. & ſyr. de rub. id. &c. eidem de potu ordinario proſpexi; poſtquam autem ſtragula continuò abjiceret & corpore denudato noctem transegiſſet, ſequenti die, malo ingraveſcente, petechiæ apparebant, urina flammea & perſpicua erat, nullo cum ſedimento, pulſus fortis & frequens, alvus tamen bene reſpondebat. Præſcribebam tum circa veſperam ad petechias & deliteſcentem malignitatem per ſudorem pellendam, bolum ſequentem. ℞. Theriac. Andr. ʒj. ʒ. diaph. ϑj. bezoard. min. ϑß. Sal. vol. C. C. gr. V F. bol. Cùm verò nihilominus monitis meis locum non concederet, ſed corpus continuò denudaret, ut calorem aëre externo paulisper mitigaret, die ſexto diſparentibus petechiis totus ictericus apparebat, oculi & cutis flaviſſimi, os amarum & πικρόχολον, urina obſcurè crocea, pulſus adhuc frequens: ordinavi tum Electuarium ex Conſ. Roſ. abſynth. cent. min. ♀. diaph. Croc. ♂. aper. Rhabarb. Flor. Sal. armoniaci Sal abſynth. ex uſu cujus die ſeptimo melius habebat, reſpiratio libera erat, colorq; cutis & faciei non tam intenſe flavebant: Circa meridiem autem horrore,

horrore, mox insequente calore cum siti & capitis dolore corripiebatur, atque binis paroxysmis similibus tertiâ quâvis die adhuc recurrentibus, urina turbida apparebat, omnique symptomata remittebant, ut intra paucos dies convalesceret : rectè prædixit Hippocrates in aphoris. S. IV. aph. 64. quibus in febre septima aut nona aut undecima aut quarta decima morbus Regius supervenit bonum est. Item 4. de R. V. I. A. In febri biliosa morbus Regius ante septimum diem natus cum rigore morbum solvit, sine rigore pestiferum.

Similis historia accidit fere die 20. Nov. 1699. cum fœmina paupercula, quæ postquam ab imperito pharmacopolâ vomitorium incautè assumpsisset 24. horarum spatio continuis spasmodicis vomitibus & alvi dejectionibus dilacerata fuit : cessante verò tandem catharsi, toto latere dextro atrocissimos dolores pungitivos conquesta, cum febri, siti clamosa atque tussi sicca : Præter V. Sm. largiorem institutam præscripsimus tunc mixturam antipleuriticam cum diaphoreticis, volatilibus, expectorantibus &c. : quibus continuatis die 23. toto corpore subitò tantâ tingebatur flavedine ut curcumâ vel croco tinctam dixisses, os amarum habebat, oculi fusci, urina admodum crocea cum virium insigni dejectione. Febris autem & pungitivi dolores unà cum siti remittebant : præscripsi tùm Electuarium simile præcedenti : ex cujus medicamenti usu intra paucos dies convaluit.

Bina hæc exempla satis demonstrant Icterum non semper ex obstructione ductuum biliferorum aut canalis hepatici vel cystici sed interdum ex perversione Massæ sanguineæ deducendum : Enimverò per effervescentiam febrilem illius crasi destructâ, particulæ sulphureæ & sal. fixæ cum sanguine prius intime combinatæ sui juris fiunt, atque exaltatæ extra sua interstitia prolabuntur. Cumque foras amandari nequeant per sudorem ob stragula & tegumenta abjecta, vel omissa, in cute cum sero sanguinis stagnantes ei colorem suum imprimunt.

Vix enim credibile est unius noctis vel aliquot horarum spatio tantam bilis copiam in hepate produci potuisse, quanta toti corpori tingendo faucesque (non exclusis internis visceribus) irrigando sufficisset ; neque illa bilis materia quæ toto corpore diffusa stagnavit tam brevi temporis spatio à sanguine resorberi & per ductus hepaticos ad intestina amandari potuisset, ni dicere malimus particulas biliosas, resolutas, denuò sanguini commixtas pristinam in sanguine

guine texturam induisse; ita ut cum illo nunc sub priori facie circulum suum absolvant.

OBSERVATIO CVIII.

Dn. D. JOHANNIS WILHELMI ROMBERGII.

De Narium, gingivarum & uteri hæmorrhagia subitanea cum petechiarum eruptione absque febri.

SEnatoris cujusdam Uxor 35. annorum, quatuor septimanarum puerpera, ad sudores naturaliter prona, cæterum satis sana diaphoreticum incautè hausit (ex ʒ. diaph. & C.C. compositum) quo assumto statim vehementissime sudare incepit cum subitâ narium, gingivarum hinc inde, ut & uteri hæmorrhagia insequente, atque macularum innumerarum ex nigro-rubrarum (exactissime petechias referentium) & magnitudinem lentis æquantium eruptione. Postquam verò octidui spatio hæmorrhagia uteri inducias dare nollet, neque disparerent maculæ, pejora metuere incepit, propterea die 30. Dec. 1699. me accessit quam in prædicto statù absque notabili siti vel febri inveniebam; de sudore continuo imprimis nocturno, immodicâque uteri hæmorrhagia querelas tantum moventem. Ad compescendam itaque hæmorrhagiam, usus sum adstringentibus, ex Lap. hæmat. præparato sang. dracon. Corall. troch. de. Carab. ʒj. sudori nimio autem Tinct. antiphth. G. prospexi, ex quorum medicamentorum usu melius habere cœpit. Die sequenti jussi medicamentis illis insistere unaque tres ligaturas tibiæ & femori injiciendas consuli. Insequentibus diebus petechiæ quidem dispalescere inceperunt, uteri hæmorrhagia tamen necdum cessabat, quare die quarto V. sectione largiori administratâ & pesso adstringente ex bol. arm. acet. Vin. & alb. ovor. parato & in vaginam intruso *illa* inducias dedit, maculæ etiam sensim disparuere, sedatoque nunc sanguinis profluvio, & diætâ ex lactè, cremore avenaceo, oryza &c.; cum emulsionibus amygdalinis, imperatâ, brevi sanitati restituta fuit.

In ætiologia symptomatum explicanda, verisimile est, ex assumpto citra indicationem sudorifero sanguinem nimis præcipitatum atque maximam partem in serositatem fusum S. liquefactum esse, ut vasa arte-

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

arteriosa tam intra tubulatam narium membranam quàm gingivas excurrentia illum serosiorem factum continere amplius non valuerint, sed laxatis fibris eidem exitum concederent; idem quoque sanguis ad superficiem cutis cum impetu protrusus, recrementa sua vel particulas terrestriores intra reticularem fibrarum cutis substantiam sub macularum rubrarum facie reliquit, serosiore & aquosiore parte sub sudoris forma partim secedente, partim per venas ad oceanum sanguinis remeante. Quod autem nares & gingivæ prius suum liquorem fundere desierint, uteri vasis suam adhuc tantisper ludentibus tragœdiam, dicendum arbitror in illis arteriarum oscula, & extremitates capillares tantam διαπνοὴν vel ἀναστόμωσιν non passas ob naturalem angustiam, quam habent præ *his* naturaliter majoribus & ob præcedentem paulò partem amplioribus: non parum quoque in subsidium *illis* veniente aëre externo tunc temporis frigidiori.

OBSERVATIO CIX.

Dn. D. JOHANNIS WILHELMI ROMBERGII.

De Fatalis chinæ chinæ usus.

CUm Serenissimi Principis Saxo-Meinungensis Legio Pedestris prope Manhemium anno 1699. æstiva poneret, quadringenti pene milites febri tertianâ correpti fuerunt, quos cùm Legionis Chirurgus simplici Cortice peruviano largius ad ℥j. & ultra singulis diebus bis exhibito, frustra restituere conaretur, omnes quot quot erant, brevi, post aliquas saltem chinæ chinæ doses hydropici evaserunt, cum omnimoda virium & appetitus prostratione, febri quoque mox recrudescente; Quùm autem febres hæ cum hydrope late grassari cœpissent inque pejora omnia vergere viderentur, ægrorum curam suscepi, atque primùm pilulis hydragog. ex Extr. cathol. Resin jalapp. Mercur. dulc. &c. compositis certavi, mox corpore purgato præcipitantia absorbentia cum aperientibus una cum liquore splenet ex sulphure & nitro, in usum vocari interpositis pilulis supra dictis quibus per aliquot dies continuatis plurimi convaluerunt, multis in quibus malum radices egerat chinæ chinæ usum vita luentibus.

OBSERVATIO CX.

Dn. D. JOHANNIS WILHELMI ROMBERGII.

De Pluvia cruenta falsò credita.

Die 11. Feb. 1700. circa decimam pomeridianam hîc in districtu unius plateæ forte conspectæ fuerunt infinitæ maculæ ex fusco rubræ instar guttarum sanguinis, quibus tota platea, ædificia, & quidquid in hoc districtu erat, irrigabatur, non aliter acsi unà cum vento parietibus & tectis adspersæ essent: Perfectè quidem guttulæ hæ pluviam mentitæ sunt cruentam, omnibusque tanquam funestum omen imposuerunt: Cùm autem portentum hocce accuratius investigarem, neque præjudiciis & vulgi superstitionibus locum concederem, deprehendi maculas istas nihil aliud fuisse quàm excrementum quoddam apum, quod, tempore verno alvearia primò egredientes & aëra captantes, deponere solent: quod nostrates exprimunt (die Bienen reinigen sich) Civis enim quidam tunc temporis fortè domo absens, viginti octo alvearia cœlo sereno prima vice aëri exposuit, unde apes solis calorem sensientes, avolantes, seque ut dictum purgantes inter volandum suum deposuëre excrementum, tantique prodigii authores exstitere. Confirmant hanc opinionem illa ut & reliqua urbis nostræ alvearia, similibus maculis conspersa & irrigata: Porticus itidem & horrea in quibus alvearia posita erant & ubi pluvia nunquam pervenire potuit, consimilem materiam monstrantia.

Patet sane, quam facile credula gens præjudiciis occupata, sibi ipsi imponat, superstitionibus potius quam sanæ rationi locum concedens.

OBSERVATIO CXI.

Dn. D. JOHANNIS WILHELMI ROMBERGII.

De Hydrocephalo insigni.

Die 25. Septembr. 1700. ab obstetrice allatus est nobis partus masculus à paupercula in lucem editus, ob capitis magnitudinem & aquarum

aquarum in eo contentarum copiam satis monstrosus: ossa frontis, occipitis & parietalia magno hiatu distabant atque ab aquis contentis hinc inde facili modo flecti poterant, prorsus quasi tenui membrana connecterentur nasus & aures deficiebant, labia erant leporina, os ita connivebat ut minimi digiti apicem vix admitteret. Inciso pericranio aquæ ad 4. mensuras cum impetu prorumpebant, loturæ carnium similes. Præter duram matrem, quæ cum extremitate ossium parietalium ubi sinum falcatum constituit, annectebatur, nihil distincti in tam flaccido & diffluenti cerebro videre licebat: Cætera Corporis membra ad aspectum sana videbantur.

(*Missæ Basilea Noribergam per Excell. Dn. D. Harderum d. 13. Martii 1702.*)

OBSERVATIO CXII.

Dn. D. JOHANNIS WILHELMI ROMBERGII.

De

Rara hydropis Specie.

EST inter gregarios nostros quidam miles, nomine Matthias Breüer, cujus pedes & femora circa novilunium aquis tantopere distenduntur, & impressam digito foveam diu retinent, ut obambulare neutiquam valeat, sed lecto tamdiu affigatur, donec crescente Luna vel διχότομος facta, serosa colluvies abdomen occupat: quo tempore nec libere respirat, nec latrantem explere stomachum audet, ob dolores mox insequentes, pedibus tunc concidentibus atque naturalem statum redeuntibus. Tandem verè plenilunio paulisper appropinquante, caput inundatur, & ab aquis sub cute contentis illud in immensam molem extenditur, nares, labia supercilia &c. inflantur, ut hydrocephalo similis fit, abdomine tum ab omni labe immuni reddito. Ita decrescente Lunâ, eo quo ascendit hydrops typo descendit, inferioresque invadit corporis partes. Atque hæc ipsocum jam per triennium luditur tragœdia, ut meritò calendariuum perpetuum in suo corpore circumferre dici possit.

(*Manhemio Augustam Vind. d. 2. Maji. A. 1702. missæ.*)

OBSERVATIO CXIII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Morte ob tineam malè curatam.

DE Muliere legitur apud Saxoniam Prælect. pract. & Th. Bonetum in Sepulchret. Anatom. tom. 3. Tinea tentata crebris Lotionibus sanata, quæ in capitis dolorem ac febrem continuam lethalem incidit; cujus emortuæ cadavere aperto, media pars totius cerebri, cum membranis putrida inventa fuit, ichoreque citrino referta. Similiter ego Anno 1702. Mense Februario, adolescentem vidi, pauperculæ cujusdam Ferrariensis filium tinea acriter tentatum, ac scabie fœda per totũ corpus affectum, qui intempestive inunctus, ac lotus, medicaminibus etiam mercurio paratis, liber quidem à scabie, & tinea evasit, at f ebri maligna, cum delirio correptus, in Xenodochio S. Mariæ Novellæ hujus Vrbis, meæ curæ commisso, die morbi septima misere obiit. Cadavere aperto, cerebrum maculis nigris undequaque conspersum vidi, cum membranis lividis, & Corde flaccido; in diaphragmate verò tumorem non exiguum notavi; Hepar durum erat præter ordinem, ac expectationem nostram; Renes naturaliter constituti erant, nec ullam labem ostendebant; In ventriculo nihil erat, nisi aqua viscida, & flava, ac fœtida; Reliqua verò illæsa & juxta naturæ ordinem inventa sunt.

OBSERVATIO CXIV.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Quartana Febri ebrietate fugata.

MIlitem quartanarium vidi, nullo alio adhibito remedio, sola ebrietate à quartana febri liber evasit. Die enim, quò ingruere debebat quartana, libras duas spiritus vini potavit, ex quò ebrius factus est, posteà sanus.

(*Ferrariâ Augustam Vind. d. 29. April. A. 1702. missæ.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXV.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Tremore totius Corporis insigni.

EN! fructus hyemis Anni 1702. Pannitonsoris filiolus, 2. fermè annorum, aëri liberiori se exposuerat Mense Martio, hoc facto, se infarcit Spiris, Vino Grunbergensi inebriatis: circa meridiem noctis ægre incipit habere vomituque vehementi omnia ventriculi contenta ejicit, cum notabili virium dissolutione. Vomitum ut mater sistat, applicat sacculum regioni ventriculi, ex herbis stomachico-carminativis, cum vomitus remissione. Hoc sopito, tremor ingruit omnium totius corporis membrorum, imò & capitis, cum pavore fermè continuo, oculis nictitantibus. Consultus ordino enema, ob biduanam alvi obstructionem, alvus solvebatur, malum tamen nihil remittebat, sed videbatur augmentum cepisse. De cibo & potu, uti antea sueverat, parum aut nihil assumebat, puer, omnia nauseabundus rejiciens, excepto lacte materno, quod indies bis in nutrimeutum sugebat. Dabatur mixtura sat grata nervinis & aliis confortantibus imprægnata, absque lenimine ullo, malo continuò furente. Clyster de novo adornabatur, & unguentum præscribebatur, Puero interna ulteriora penitus abhorrente. A Clystere alvus tribus se exonerabat vicibus, cum pavore multum remittente, & tremore notabiliter imminuto. Continuabatur usus unguenti, & malum de hora in horam remittebat, & denique Deo benedicente, plenariè intermittebat. Per triduum hocce, quo decubuit puer, ita fuit enervatus, ut nec amplius stare, nec pedem de loco movere potuerit, quod tamen antea fecerat, jam jam indies vegetior existens. Unguentum tale erat:

℞. Unguent. nervin. Augustan. ℥ij.
axung. castorei. ℈ij.
Oleum succindest. gtt. viij.
laurini gtt. vij.
majoranæ gtt. vj. M. D. S.

* Sälblein zum Rückgrad / Nacken / Wirbel / Schläffen und unter die Nase lau anzuschmieren. Ante triennium, primipara Grünbergensis; 10. post partum die, simili infestabatur tremore totius corporis: dum jace-

bat, nec se movebat, nihil videbatur, statim tremor undique irruebat tremendus, & tertius ab invasione dies morti tradebat, incassum exhibitis optimis nervinis & confortantibus. Quia non fuerat territa, causam hujus Affectus procatarcticam eruere non valebam, fortean ab obstetrice fuerat læsa, uti conjiciebam. Remissiorem tremorem artuum hoc ipso mense Martio experiebatur juvencula, noviter maritata, à terrore. Hæc iverat per cæmeterium ingruente nocte, & viderat candido vestitu involutum hominem, quem putarat ipsam mortem. Valdoperè hoc ipso perterritæ, tremor per intervalla artus occupabat, præprimis, dum speciem visam mente concipiebat. Ordinabam præter alia & sal volatile oleosum Sylvii, indies duabus vicibus assumendum, cum singulari utilitate. De tremore artuum in morbillis loquitur observatio mea 64. Anni I. Decuriæ Tert. Ephemerid. nostrar. item de tremore artuum quotidiano, Observ. 27. Anni 6. Dec. 2. Memini me, per omnem meam Praxin, quæ jam per Dei Gratiam ad triginta aliquot Annos excurrit, præter hic annotatos tremores nullos amplius vidisse aut observasse. Quos terror improvisus excitat, non semper diu durant, aut, pro varietate subjectorum noxam relinquunt, imò tetros affectus producunt. Jure ergò deberemus abhorrere & terreri terrore, in cura aliquot morborum excitando, mihi nunquam placuit hæcce curandi methodus: unicuique sua Placet Phyllis.

OBSERVATIO CXVI.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Pede sponte decidente.

IN districtus nostri Grunbergensis pago Güntherstorf, Ancilla quædam diu ulceribus pedum exedentibus detenta fuerat, quæ omnem carnem depaverant, cum ossium etiam carie. Dum aliquando, relicto hypocausto, in aream domus ire intendit, en! pedem exesum fortè fortuna allidit ad lignum durius, & pes decidit, cum singulari ancillæ alteratione & confusione. Sic quæ Ars facere debuisset, Natura sponte efficiebat non inanis Artis magistra.

OBSER-

OBSERVATIO CXVII.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De
Scirrho tali dislocati.

Fœmina primaria, 12. liberorum mater, 38. annorum, agibilis & longioris staturæ, patitur, minus idoneè pedem movendo dislocationem, sinistri pedis: quia autem ob inartificiosam & incongruam repositionem impediebatur in ambulatione, innumera conquirit consilia & externa remedia variorum, & quod dolendum, etiam imperitissimorum. Dolores interruptè sentiebat enormes, cum tumore paulatim crescente, & tandem in scirrhum degenerante, qui jam sat magnus, aspectu horrendus, & quod caput rei est, cum metu futuræ gangrænæ. Per triennium hoc malo detenta, jam præterito morbifero martio, post aliqualem in rheda motum, lene stillicidium lymphæ, ut & sanguinis aliquot guttulas animadvertebat; id quod & mihi statim notificabat. Accedo, omnia lustro, & ne quid noxii imponeret, sedulò moneo, solis linteis mundis applicatis, cum jussu accuratæ diætæ. Intermittit interim defluxio ad aliquot dies, redit tamen & augetur. Consilio itaque inito cum gemino Chirurgo, emplastrum saturninum Minsichti imponere concludimus, aliis omnibus, præter interna à me præscripta, postpositus. Hocce emplastro per aliquot septimanas usi sumus, idque adhuc continuamus, malo veluti in centro detento. Fœtor interdum intercurrit, præprimis si diæta negligitur, aut affectus animi, quibus summè subjecta, dominium exercent. Circa radicem scirrhi, superius, est aliqua inbedo in parte sana, thaleri instar: hæc leniter tacta, summos de se spargit dolores, interdum etiam intacta dolet. Quod attinet scirrhosam partis substantiam, non admodùm dolet, nisi interdùm tacto aliquo nervo, nec usque huc notabiliter latius serpit. Ad est aliqualis atrophia superioris pedis, febris vulneraria quæ accedebat, jam est abacta. fluxus alvi dolorificus sopiebatur theriaca Cœlesti & aliis. Fluxus mensium est ordinarius; vino interdixi, laboravit aliquoties dolore hæmorrhoidum, deliberamus jam de usu hirudinum: appetitum habet mediocrem, sitis nulla, Sudor interdum lenis, nec deest tussicula, alvus ut decet lubrica. Circa tumorem

morem scirrhi semper aliquid serosi humoris se monstrat, plus minus hoc vel illo die, pro commotione corporis & aliorum accidentium, facies videtur plumbea, reliqum tamen corpus adhuc vegetum. Discurri de recissione pedis, sed liberè pronunciat, se malle decies mori, quam hanc admittere. Præstolor lamentalilem mali hujus exitum, quem Deo dante, si vivus ero, Curiosis Communicabo.

[*Missæ Grünberga Norimbergam d. 15. Julii. 1702.*]

OBSERVATIO CXVIII.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICH.

De hæmorrhoidibus oris.

DIligenter in enodandâ hæmorrhagiarum secundum ætates, temperamenta, sexum &c. varietate quidam doctissimi viri versati sunt. Fluxum hæmorrhoidalem tùm eum, qui ex propaginibus venæ portæ ac venæ splenicæ oritur, tùm illum, qui ex ramis vasorum iliacorum internorum scaturit, Celeberr. Dn. D. Stahlius nuper ingeniosissimè explicavit. Hactenùs verò tantùm non omnes quamvis sanguinis rejectionem per os vel ad *hæmoptysin* vel *vomitum cruentum* reduxerunt: at verò quam benè id fiat, nunc paucis aperire animus est. Certè non facilè quisquam crediderit, quod *profluvium illud sanguinis*, quod *multis per ora stato tempore ut Macrino Visco Prætorio & omnibus annis Volusio Saturnino urbis præfecto, qui nonagesimum excessit annum*, teste Plinio lib. XI. cap. 38. p. m. 814, *fiebat*, vel hæmoptysis fuerit vel vomitus cruentus. Aristoteles lib 2. de partib. animal. non tantum veritatem profluvii sanguinis per os statum tempus servantis, quod nec hæmoptysis nec vomitus cruentus sit, confirmavit, sed & appositè hæmorrhoidum nomine illud insignivit ita scribens: *fiunt etiam aliquandò* αιμορροιδες ἀπονοι ἐκτȣ̃ σόματος *hæmorrhoides sine labore omni ex ore* & addit, *neque ut exarteriâ violenter.* Unde colligere est. quod post Aristotelis tempora à Celsô & Galenô demum vox hæmorrhoidum ad venas sedis & uteri restricta fuerit, quoniam illæ præ cæteris frequenter sanguinem fundunt, nam ipse Aristoteles etiam lib. 1. de generat. animal. simpliciter scribit, quòd ἐν ταῖς φλέψιν *fiant hæmorrhoides* qui locus simul etiàm indicat, quòd non malè

malè Celsus, cui & Paulus adstipulatur scribat, *ora venarum tanquam ex capitibus surgentia vocari à Græcis hæmorrhoides.* Conf. Hieronym. Fabricius ab Aqua-Pendente de Chirurgic. operat. p. 106. & Frommann. Tract. de hæmorrhoid. p. 6. Oris hæmorrhoides, nisi me omnia fallunt, ipse agnovit Hippocrates lib. 2. prædict. sect. 2. p. 82. edit. Foesii his verbis: *Quibus fauces sanguine noctu & inter diu replentur, dum neque capitis dolor prægressus fuerit, neque tussis neque vomitus neque febris prehenderit, neque pectoris aut dorsi dolor tenuerit, in his nares & fauces inspiciendæ, num quod ulcus in eô loco compareat aut ἢ βδέλλα*, quæ ultima vox tenebras Hippocratis verbis affundit, ac difficili ejus interpretatione commotus Celsus lib. 2. de medic. c. 7. p. 60. nostrum, qui præ manibus est, textum latinâ Civitate donans eam præterit, contentus dicere, ulcus reperiri, præsentibus illis signis, quæ Hippocrates l. c. commemoravit. Jam βδέλλα vox variis gaudet significationibus. 1. enim denotat hirudinem, quæ à suctu sanguinis sanguisuga Plinii ævô dici cœpit;) ut constat ex Theocriti pharmaceutria, Hesychio p. m. 186. Suidâ Tom. 1. p. 544. Varinô Phavorinô p. 338. (2.) Lampetras, quemadmodùm Clariss. Lindanus in selectis Medicis Exercit. XI. §. 58. p. 381. docet ex lib. 17. Strabon. Geopraph. (3.) apud Plautum in Curcull. Act. 1. scen. 2. p. m. 265. de vinô lena anus ait: *Tu cinnamomum, tu rosa*, tu *crocinum & cassia es, tu bdellium*, Unguenti genus notare videtur, ut constat ex Taubmanni Commentar: Duæ ultimæ hæ significationes à propositô nostrô prorsùs alienæ sunt; βδέλλαν verò in primâ significatione, quâ hirudinem denotat, in texto Hippocrat. allegato accipi debere contendit Galenus in Exegesi vocum Hippocratis sive ut latinè inscribitur, *in explanat. linguar.* inter libros Isagogic. p. 143. ita fatus: *Mihi videtur proprie dici nomen de ipsô animali, etenim affui olim cum hoc diceretur in eô libro, & dubitantibus multis de his quæ fierent, solus ego exscripto aggrediens prægnovi veritatem*; allegat etiam Gal. historiam de homine sanô cruorem evomenti epotâ cum aquâ hirudine & lib. 4. de loc. affect. c. 5. p. m. 52. Class. 4. Oper. pro vocat etiàm ad historiam juvenis, in *quô ad narium foramen in eô meatu, ubi nasus ad oris regionem perforatus* est, hirudinem latentem consuxit, & his exemplis confidentior redditus locô ultimô fluxûs sanguinis per os ab hirudine contingentis signa pandere non veretur ita loquens *Quod si pluribus diebus aliquis cruorem & exscreaverit & emunxerit idque citra capitis vel dolorem vel gravitatem sivè præsentem sive præteritam neque plagâ eô locô existenti hujus & totum per nares meatum atquè eam oris partem, quâ ad nares perforatur; exactè considerare oportet. Istud enim ali-*

quando contingere potest hirudine huic loco adhærescente, quæ quidem in diem augeri solet, quamvis enim primis diebus, quòd sit exigua, latere queat, tertio tamen quartòve die haud obscurè conspicitur. Hæc tantoperè placuerunt Aetio, ut sua fecerit lib. 8. c. 59. Galeni interpretationem probat etiam Foësius & in Comment. ad Hippocr. Prorrh. & in œconom. Hippocrat: p. 119. Equidem non negamus, fieri aliquandò posse, ut hirudo cum nocturnô potu aut aliô modo in guttur irrepat ac ibidem sanguinis sugendi gratiâ hæreat, nam præter Avicennam lib. 3. Fen. 9. c. 5. illud etiam testatur Borellus centur. 1. observ. 24. p. 33. & hinc jam olim ad epotam sanguisugam descripserunt remedia Dioscorid. lib. 6. Celsus lib. 5. c. 37. Nicander aliique plures; at verò quòd Hippocrates per bdellam hirudinem intellexerit, illud est, quod inficiamur, nequiquam motiauctoritate Galeni utpote, qui memores sumus istius aureæ Sententiæ ipsius Galeni lib. 2. de Compos. medicament. *Difficile est, ut, qui homo sit, non in multis peccet, quædam videlicet penitùs ignorando, quædam vero male iudicando & quædam tandem negligentius scriptis tradendo.* Causæ verò cur negemus per bdellam apud Hippocratem notari hirudinem, sunt hæ. 1. Ex textu lenis nostri patet, quòd agatur ibidem de morbô, ad cujus diagnosin necessarium sit nosse, utrum capitis & præcordiorum dolores, tussis, vomitus, febricula &c. præcesserint, id est, unô verbô de *affectu*, cujus causa est interna non externa, qualis est hirudo, quæ aliis omninò indiciis detegi potest. Et estne ulla ratione credibile Hippocratem prætermissurum fuisse certiora hirudinis præsentis criteria? Atqui cum sanguisuga dicatur βδέλλα à verbo βδέλλω quod significat, *exsugo*, qui in commemorandis hirudinis indiciis Hippocrates oblivisci suctus, quem Dioscorid. primô loco notat, quique ipsis etiam oratoribus notus, unde sanè ab imagine suctûs Cicero pulchrè lib. 1. epist. mentionem facit *Concionalis hirudinis ærarii*. Imo propterea ab Arabe quôdam Damire apud Bochartum in hierozoicô definitur hirudo *vermis niger aut ruber in aquâ degens, qui propendet à corpore, ut exsugat sanguinem.* Et quid 2. dicam de dolore, de quo testari potest & sensus eorum, quibus admotæ hirudines fuerunt, & vulnusculum in parte commorsâ, cui adhærebat, relictum? Ac sanè non improbabile est eas dentibus esse instructas, si vel maximè eas ad limacum retuleris censum, nam etiam cochleas dentibus esse instructas testatur Cl. Martin Listerus ex Hookii autopsiâ & Doctiss. Velschius in Hecathosteâ suar. observ. 67. Nec nodi, quos hic texit celebris nominis scriptor Bonani in recreatione mentis & ocu-

oculorum part. 3. probl. 228. & seqq. sunt indissolubiles. Villanovanus illis fistulam tribuit, alii os trianguli instar istis adscribunt. Quicquid verò de hâc re sit, id exploratum est, quòd dolorem hirudines lædendo partem, cui applicantur, inferant. Profectò Plinius lib. 8. c. 10. p. 497. testis est, quòd *elephanti cruciatum maximum sentiant haustâ hirudine*; sed nullam hujusmodi doloris mentionem facit Hippocrates. Aut si vel maximè abesset dolor, omninò æger (3.) frustum quasi carneum gutturi infixum, ut ille apud Borellum percipiet, quod etiam deglutitionem impediret. Columella lib. 6. loquens de bobus in potu hirudinem haurientibus expressè ait quòd *hæc perniciem iis afferat & incremento suo transitum cibis præcludat*; enim verò nullum de frustô ejusmodi aut impeditâ deglutitione verbulum in textu Hippocrat. Imò (4.) si locus Hippocraticus accuratiùs inspiciatur, diluescit, quòd, in eô sermo sit de ejusmodi symptomate, quod perplures dies & noctes durat; at fieri nullatenùs potest, ut hirudo in alicujus faucibus per tantum temporis spatium hæreat & non decidat ac deinde à Medicis & Chirurgis agnoscatur. Nam licet *non missura cutem nisi & plena cruoris hirudo*, ut canit Horatius, qui tamen considerat, quòd intra horæ quadrantem non mediocrem sanguinis quantitatem imbibat & semper sanguine magis magisque distendatur, ita, ut post suctum per horæ spatium vel digiti magnitudinem adæquet, næ is facilè intelligit hirudinem per plures dies & noctes in gutture hærere & sanguinem fugere non posse. Conf. Marsilium Cognatum lib. 2. variar. observ. c. 2. Quomodo ergo vox βδέλλα, cùm hirudinem in textu Hippocratis non significet, explicanda erit? figuratè, inquam, & tropicè. Hoc ut tantò magis incurrat in sensus, meminisse fas sit, quod sanguisuga sit *animal oblongum transversis lineis* (vide Jonston: 4. de insect. tit. 2. p. 143.) *interstinctum ore subrotundo ac veluti calloso & aspero* & ut rectè Gesnerus, *moveatur extensione & contractione Corporis sui ceu annulis constituti*. Scilicet ut monuit Aristot. in lib. de animal. incessu c. 9. ἐλύσπασις vermi & hirudini convenit. Verba ejus hæc sunt. *Alia* (animantia) *volubili tractu utuntur ut lumbrici, quos intestina terræ appellant, & sanguisugæ*, quamvis, ut demonstrat Borellus part. altera de motu anim. prop. 13. *Corrugatio illa non sit causa sed effectus contractionis internorum musculorum.* Ajo ergo, quod per βδέλλαν in sensu metaphorico Hipp. intelligat venam varicosam si enim bdellas cum venis sanguiferis comparaveris, utique deprehendes, quòd in non paucis conveniant. Ad unguem omnia resecare à propositô nostrô

strô alienum est. Et sic ut analogia rudior ratione externæ figuræ manu quasi palpabilis est: ita extensio ista & contractio in corpore utroque non minus clarè patet, quandoquidem & venæ vi fibrarum circularium (quas sine causâ in vasis reperiri negavit Vesalius in examine observ. Fallop. p. 129. & Cl. Ent in apolog. pro circulat. sanguinis p. 42.) & *stringuntur & comprimuntur successivè*, una enim pars post aliam comprimitur, ut sanguis agitatus & conquassatus debitè misceatur & conformetur Conf. Borell. l. c. prop. 33. & 34. Præprimis verò hirudines & venæ ex mente Hippocratis conveniunt ratione tractionis sive suctionis sanguinis; nam hanc eum venis passim tribuisse certũ est, evidens occurrit locus in lib. de carnibus qui ita sonat: *venæ, quæ per ventrem & intestina feruntur, in quibus cibi & potus coacervantur, ubi sic incaluerunt, id quod est tenuissimum & humidissimũ attrahunt.* Zwingerus in doctrinâ Hippocrat. exactè versatus in Commentar. p. 115. ita effert mentem Hippocratis *Tenuissimum & humidissimum à venis mesaraicis ex ventre & intestinis, quæ supra jejunum sunt, ex ileo videlicet & duodeno ad hepar, ab hepate ad venæ cavæ propagines in universum Corpus trahitur.* Quod tamen ita revera non fieri hodiè etiam tyrones norunt. Propter prædictas bdellæ cum veniâ analogias istius nomen adhanc designandam transtulisse videtur Hippocrates & quidem non quamvis hoc nomine designare voluit, sed *varicosam sive dilatatam & sanguine distentam* eine schwartze aufgelauffene Ader. Ejusmodi venam voce bdellæ intellexisse Hippocratem ante multa secula Dioscorides Commentator Hippocr. teste Galeno existimavit. Et sanè nihil prorsùs impedit, quin ejusmodi varices, sicuti in artubus, circa tempora, anum, uterum, teste Pareo lib. 12. cap. 20. in *hipochastrio, genis, palbebris & mammis*, auctore Heurnio lib. 6. Commentar. Aphorism. Hippocrat. oriuntur; ita etiàm in ore subinde exurgant. Ac notatu utique dignum est, quod Moebius in fundament. Physiolog. c. 16. narrat, eas *aliquando sub linguâ & inferioribus labiis cerni.* Minimè verò novum est, quòd ejusmodi distentæ & dilatatæ venæ sponte aperiantur & sanguinem profundant Conf. Ephemerid. Decur. 2. Ann. 3. observ. 12. p. 51. & decur. 1. Ann. 3. observ. 104; id quod in hæmorrhoidibus coecis quoque, quæ nihil aliud sunt quàm *crispatæ venæ hæmorrhoidales stagnanti sanguine turgidæ* & in varicibus gravidarum multò frequentius est compertum. Illud ergò vult Hippocrat: quod sanguis qui fauces replet aliquando, & ex ore erumpit, ex vase *quodam venoso* (in ore) *dilatato & sponte aperto* tunc fluere censendus sit, quando

neque

neque capitis dolor prægressus, nec tussis nec vomitus, nec febris &c. Et sanè de apertione spontanea varicosarum venarum tantò minùs fuerit dubitandum ut jam ante dictum, quanto est certius sanguinem modò ex *ipsis* cutis *poris* stillasse, ut Benivenius, Tulpius & alii testantur, modò ex *oculis lachrymarum instar* manâsse, ut perhibet Forestus, modo ex *Saphena* ut & *poplitæa* erupisse, quod Schenkius & Ephemerid. A. 1. observ. 95. p. 197. asseverant. Hæmorrhagiam quoque penis spontaneam commemorari videas in Ephemerid. nostris Dec. 2. A. 3. Et sanè ita prorsus est, sicuti scribit celeberr. Wepferus in observat. Anatomic. de loco affecto apoplex: *Vasa sanguifera tàm intus recondita quàm externum habitum perreptantia suâ sponte aperiri notius est, quàm ut probatione indigeat, vivit*, ita pergit Wepferus, *nobilis quædam matrona 44. annorum, habitu Corporis gracili prædita, facie rosea ac cætera sana & vegeta, huic ante 15. annos in manus sinistræ pollicis extremi parte externâ macula atro-rubescens, quam extremo minimi digiti apice ferè tegeres obortа est, E medio hujus maculæ singulis annis ter quaterve sanguis cum saltu aliquot cubitorum altitudine suâ sponte erumpit & quidem non parvâ quantitate* &c. Cur ergo illud etiam in ore fieri non posset? Quòd verò id reverà aliquando fiat, exempla evincunt. Apud Kerkring. in spicileg. anatomic. observ. 25. p. 61. & seq. recitatur exemplum de virô quôdam sexagenariô (de quô non immerito noster suspicatur, quòd quondam hæmorrhoidum periodos fuerit expertus) qui *primò quidem per plures dies ejecit sanguinem*; cohibita autem *primâ istâ violentiâ*, sanguinis effluxum post mensem denuò est expertus, atque adeò statas vices menstruas ista sanguinis rejectio servavit, donec æger octavo mense è mediô tolleretur. Hoc sanguinis sputum ipse Kerkringius non ausus est nominare hæmoptysin, quanquam sine dubio ex eô solo collegerit, virum illum phthysi incepisse laborare, quod & hodie multis est solenne; imò Kerkringium hæsisse perplexum, unde sanguis ille profluxerit? satis patet ex admonitione ad lectorem, quam huic historiæ attexuit. Ego omninò persuasus sum huic viro sanguinem ex venâ aliquâ oris dilatata fluxisse, ac in illâ sum opinione, quòd hîc sanguinis fluxus sæpe quidem hactenus observatus, sed sub nomine hæmoptyseos descriptus fuerit, id quod etiam factum autumo Dec. 2. Ephem. A. 4. Observ. 19. Quantus enim nominis hæmoptysis abusus sit, nemini ignotum, adeo ut etiàm fluxum sanguinis ab hirudine insciè deglutitâ & in faucibus hærente l. a. Borellus hæmoptoidem vocet? Illustre verò

affectûs nostri sub titulo hæmorrhagiæ oris periodicâ paradigma promit doctissimus Medicus Arnoldus Bootius in observat. Medic. de affectibus omissis cap. 7. his verbis: *Ussérius - 64 ætatis annum agens jamà pluribus annis patitur bis terve anno periodicum sanguinis profluvium ex ore ut plurimum in latere ejus sinistro dun taxat, nec ibi semper in uno loco, sed interdum ex linguæ latere, alias ex gingivis quandoque ex alterutrius labii aut buccæ parte interiore. Antea & dum junior erat, exiliebat quandoque sanguis tantâ vi ac copiâ, ut in præsens vitæ periculum inde conjiceretur, omnique valentissimorum remediorum genere tentato ægerrimè tandem restingueretur. Sed per multi jam sunt anni, ex quo citra ullum impetum & guttatim tantum sanguis promanat, id autem fit assidue absque ullâ intermissione noctu æque ac interdiu, donec periodus absoluta sit, quæ nunquàm minùs uno die naturali plerumque duos aliquandò etiàm diutius durat.* Duo periodicæ sanguinis rejectionis per os exempla à bdella mihi notâsse videor alterum in muliere, in virô alterum. Et semina Cholericæ constitutionis in conjugio fœcundô vivens quadragenaria propior citra ullam sanitatis labem aut mensium ataxiam vere & autumno jam per aliquot annos sine prævio capitis dolore, salsedine in ore aut catarrhorum indiciis, absque febri, nullâ comitante tussi (quæ, cum hæmoptysi ferè semper concurrit, licet neque hic causæ rationem habeat, quia sub tussi pulmones tensi & vesiculæ illorum inflatæ sanguinem potiùs reprimunt quàm exprimunt) nec præsente ad hodiernum usque diem aliquâ respirationis difficultate sanguinem per aliquot dies ex ore ejicit. Antequam periodicus ille fluxus sanguinis ex ore erumpat, in palatô titillationem post uvulam percipit, noctu autem ut plurimum sanguis sese in linguam infert non floridus, non spumosus, neque grumosus, sed leniter nigricans, qualis ex venis hæmorrhoidalibus stillare solet. Cum screatu non magnô, interdùm simplici sputatione ad aliquot Uncias sanguinem ejicit, acdeinde sponte hoc sputum iterùm cessat. Vir autem qui 30. ætatis annum agit, est sanguineo Melancholicus, in anxiam phthyseos secuturæ formidinem à Medicis conjectus. Is in itinere Italico generosioris vini abusu annô ætatis 27. hæmorrhoides provocavit, cùm verò Medici magnas eidem ex fluxu tám maturô ominarentur miserias, nihil non egit, ut hæmorrhoides supprimeret. Damnatus est voti. Postmodum verò jam gravativô circa os sacrum dolore, jam spasmis vagis jam gravibus anxietatibus, imô & lipothymiis, ut ferè translationes repentinæ esse solent, ἀπὸ ταυτομάτου aliisque malis exagitatus

tus est. Inopinatò post aliquod temporis intervallum lancinatoriô circa uvulam dolore & ardore afficitur, qui tamen brevi transiit, hinc, prout timidus est, nescio quæ sibi mala imminere ratus, tantum non exanimabatur, cum die quôdam sanguinem ex ore absque ullius affectus indiciis ferri videret. Per biduum, nisi fallor, sanguis ex ore evacuabatur non confertim aut unô impetu, sed sensim, stillatim & certis intervallis. Ad effluxum hunc compescendum variis adstringentibus usus est irritô eventu, quippe jam aliquoties rediit circa illas lunæ Phases, quibus antehac hæmorrhoidalem fuit expertus, Tametsi verò eum aliquoties monuerim ex hôc sanguinis fluxu nullum ei phthyseos imminere periculum; nihilominus ab eô liberari cupit. Quia verò prorsùs non est consultum, ut hæc sanguinis evacuatio per adstringentia supprimatur non surrogatâ commodiori aliâ in locum ejus, propterea meo consilio in pedibus imminente illo tempore VS. celebravit ac adhibere cœpit ea medicamenta, quibus hæmorrhoidum motum leniter cieri norunt Practici id est, helleborata, aloetica, crocata &c. incertum quô exitu, magnæ enim molis est procurare fluxum per eas vias, quæ incongruâ medicatione semel fuerunt occlusæ. Fugit solicitè nimios corporis motus, clamores, saltus, aromata, piperata, ingurgitationem vini, cibos salsos, acidos, acres &c. Sed pathemata animi regere debite non potis est, atque hinc inconcinnos motus in corpore excitat, eoque ipsô intentioni nostræ obicem ponit. Sensus ille titillationis in priori & dolor lancinatorius in posteriori, omninò indicat tensionem quandam pororum & vasorum, & hæc præsupponit congestionem sanguinis ut congestionem ipsam in aliis hæmorrhagiis ferè pressiones Spasmodicæ variæ præcedunt. Si locus, unde sanguis effluit, visui pateret, omninò etiam turgescentia vasis in oculos incurreret. Licet autem hæ personæ de quibus sermo est, in mediocri tantum quantitate sanguinem per os rejecerint, non est tamen dubitandum, fieri posse, ut, si iracundia hæmorrhagiæ sese comitem jungat vel aliô modô natura & principium agens exacerbetur, aut si aliundè sanguis nimium turgescat, in enormi quantitate cruor ex ejusmodi venâ varicosâ profluat. Statæ autem istæ vices facilé falsi convincunt istam opinionem, quæ ejusmodi sanguinis fluxus aut fortuitæ stasi aut obstructioni aut sanguineæ massæ exæstuationi & orgasmo aliisque circumstantiis accidentalibus quâ ad majorem eruptionem, ut fassi sumus, aliquod momentum conferre queuut, unicè transcribint; Contra eam sententiam,

tentiam, quæ destinatum in hôc negotiô naturæ consilium ac intentionem minuendi plethoram hujus aliorumque consimilium hæmorrhagiarum causam esse suspicatur, invictè roborat. Nobilisſ Dn. D. Öhmb Collega noster ejusdem excretionis sanguineæ exemplum in homine plethorico, qui adhuc dùm organa musica animat, se vidisse recordatur. Hic itidem absque ullâ tussi aut concomitanti dolore aut titillatoriô in arteriâ asperâ sensu aliisque hæmoptyseos indiciis sanguinem in notabili quantitate exspuit. Hæc hæmorrhagia, quod notatu dignissimum est, gargarismate ex adstringentibus parato, est quidem cohibita; enim verò paulò post largè sanguis per vias urinarias effluxit, cùm verò & huic excretioni frænum injiceretur, febris cum exanthematibus scorbuticis secuta est, quâ itidem dexteritate laudati Medici liberatus est. Nisi me omnia fallunt, fluor ille sanguinis, de quô hactenùs locuti sumus, ab Aureliano lib. 2. Chron. Cap. XI. (p. 55. edit. Basil. A. 1529.) his verbis describitur: Is, *qui ex supernis faucium sanguis fluit, primo parvus intelligitur ferri, aut, si plurimus, non spumosus. Præterea cum quodam excreatu despuitur, ipsæ quoque partes sumpto cibo vel potu aut gargarismate materiæ mordicantis dolore pulsantur & inspicientibus nobis expressâ linguâ, visu probatur locorum asperitas. Plerumque etiàm, ut Erasistratus ait tubercula, quæ Græci condylomata vocant, visibus occurrunt, quæ sint hæmorrhoidibus, ex quibus sanguis fertur, similia.* In curâ non facilè auctores fuerimus Medico, ut suppressionem moliatur adstringentibus, hæc sanè, ut bene Bootius monuit l. c. Usserium, cum in evitabili ægri pernicie conjuncta erit, si tamen hæmorrhagia nimia sit, Spiritus vini rectificatus (post VS in pede celebratam) & iteratis vicibus in ore detentus hunc motum moderabitur. Quod si tamen ægroti ab hoc sanguinis effluxu per os liberari cupiant, facilè Medicus videt, in id incumbendum sibi esse, ut remediis convenientibus hæmorrhoidalis fluxus provocatur.

OBSER-

OBSERVATIO CXIX.

Dn. D. CHRISTIANI HELVVICH.

De Hæmorrhoidibus Vesicæ.

EXcretioni Sanguinis per vias urinarias, quæ sub nomine mictus cruenti ferè nota est, varii à Medicis fontes tribuuntur. Non attinet prolixè commemorare, quòd subinde in renibus causa latet. Ita sexagenarius quidam ex vehementi saltatione in hunc affectum incidit, & licet huic in malo per V. S. & aquas ferratas occurreretur, nihil tamen effectum est; Imò post sesquiannum sanguinis plus minùs per aliquot septimanas cum urinæ stillicidiô minxit ingenti & durò in abdomine tumore contra renem dextrum, summô in imò abdomine è regione renis ejusdem ardore, ut & venis abdominis externis ejusdem lateris varicosis, & præter modum tumidis, halitu corporis leuco-plegmatico, siti, vigiliis, coxendicum stupore & crurum imbecillitate affectus vixit; ac licet quodammodo à periculoso affectu respiraret, brevi tamen iterùm in eundem morbum incidit & post aliquot dies ex urinæ suppressione interiit. In hôc virô post mortem cultro Anatomico à Medicis subjectô, deprehensus fuit ren dexter immensæ magnitudinis ad 50. uncias pendens cancrosus, & in hôc plurimi exigui calculi, teste celeberr. Listero in dissertat. Medicinali de calculo humano p. 22. & seq. Ac hodie calculosus per intervalla mictu cruento laborans mediocri, utitur meo consilio ac spem foveo, eum à malo suo ad notabile tempus liberatum iri. Porrò ex ureteribus per urinæ ductum sanguis prodire potest, uti comprobat exemplum apud Steeghium lib. 8. Practic. c. 41. Ulteriùs quoque dubitari nequit, quin aliquandò sanguis ex vesica prodeat, ut fidem faciunt Aetius Tetr. 3. serm. 3. c. 3. Paulus lib. 3. c. 45. aliique plures. Id quod etiam dicendum de ipsâ vesicâ. Atque hinc consentienti suffragiô approbatus est hippocraticus Aphorismus 75. ex sect. 4. *si quis sanguinem aut pus mejat, renum aut vesicæ exulceratio significatur*, quem iisdem ferè verbis, Celsus lib. 2. c. 7. expressit. Memini intestinis aliquando observatos Varices, neque rarum est, alterutrum laxiùs propendere, & unum altero esse turgidiorem, ac propterea prorsus non est incredibile, venas hasce aliquandò dehiscere & sanguinem eructare, qui deinde per urethram prodeat. Quod & ex ipsâ

aliquando urethrâ sanguis effluat jam ante tot secula annotavit Aurelianus lib. 5. Chronic. p. 152. At verò ultimò scire licet, quod & ex hæmorrhoidibus vesicæ sanguis effundatur. Et sanè quemadmodum hæmorrhoides vaginæ ac pudendorum reperiuntur testibus Sennerto, Roderico à Castro, Mercuriali, & ex dolore abdominis, lumborum, præprimis autem acutissimô vasorum eminentium sensu ac macie cognoscuntur: ita prorsus nihil impedit etiam hæmorrhoides vesicæ agnoscere. Alias sanè Communio hæmorrhoidum cum venis vesicæ, multis exemplis demonstrari potest, ac certè adhuc dies docebit, minus paradoxon esse assertum, quòd ex venâ hæmorrhoidali externâ ramulus aliquis in collum vesicæ excurrat & eidem immergatur. Atque hinc veteres, quâ erant in indagandis abstrusioribus ἀκριβείαι non intactum reliquere, quòd à suppressione hæmorrhoidum in intestinô recto sanguinis fluxus per urethram aliquando oriatur, ut constat ex Nicolo Serm. 5. Tract. X. c. 19. Savanorola Pr. Fr. 6. c. 19. Alexandro Benedict. lib. 24. c. 22. aliisque pluribus. Optimè itaque denuò Aurelianus l. c. scribit, *solere sicuti in podice vel fœminarum sinu aut matricis collo etiam in vesicâ hæmorrhoides generari.* Sed subinde maximæ difficultates in diagnosi partis affectæ sese produnt. Conf. Celeberr. Velschium Dec. X Conf. X. in Curat. propr. atque hinc omninò signa in enumerato habere necesse est. In renibus causam quærendam ait Aretæus lib. 2. Chronic. c. 3. quando *sanguis multus colle-ctim effluit*, cui Aurelianus *dolorem in clunibus* hoc est in lumbis addit. Prius illud Hippocrat. his effert verbis: *qui inopinanter sanguinem mejunt, iis in renibus venulam ruptam esse significat*, innuens, hôc pactô læsos esse renes, quando sanguis mingitur confertim, unô impetu, largissimè, sine causâ externâ, derepente absque ullô prægressô symptomate. Vesicam affectam arguit (1) *lancinatio* quædam perquam molesta circa vesicæ collum cum ardore. Nam juxta Celsum Vesicæ læsæ signum est lib. 2. cap. 7. si *circa Pubem interiores partes doleant* (2) *stilicidium urinæ* hujusque *gravis dolor* juxta sect. 4. Aphorism. 80. Breviter ἰὰν περὶ τὴν κύστιν laborant, si quis sanguinem aut grumos mejat aut urinam guttatim effundat, dolore sese ad hypogastrium seu pectinem & perinæum, intestinum rectum & prostatas extendente. Et quoniam ejusmodi sanguinis profluvium præsupponit calculum, qui asperitate sua & acutie vasa laceret, necesse est, ut concurrant illa tecmiria, quæ calculum renum & vesicæ patefaciunt. Vesicæ collum est locus affectus, quoties dolor circa verendi ini-

initium sese exerit. Læsam verò esse urethram licebit conjicere, quando *sanguis paucus sine intermissione per tempus notabile manet* & *dolore urethra uritur.* Varices testium plorare sanguinem ostendent *dilatatæ venæ* oculis sese objicient & *cæterorum signorum absentia.* Hæmorrhoides autem vesicæ sanguinem profundere ait Aurelianus l. c. p. 153. Cum non *concervatè primò fit effusio sed augmentis quibusdam promota interjectis defectionibus:* quando *retento sanguine dolor pubetenus vexat* ac *inguina & clunes*, id est, illa ac fortè etiam testes *tenduntur*, effluente autem iterum sanguine symptomata hæc omnia cessant. Quæ signa pathognomica tantò erunt certiora, si fluxus hæmorrhoidum consuetus antea fuerit suppressus, lapilli nunquam antea excreti, nec ulla ruptorum vasorum indicia præsto fuerint & tandem, si ejusmodi fluxus statas periodos servaverit. His ita sese habentibus certiùs concludi poterit exclusionem sanguinis per urethram esse referendam ad hæmorrhoides vesicæ & talem adesse hæmorrhagiam, quam Natura sûo bono non ruptis sed hiantibus tantum vasis instituit. Nec statim videtur abjicienda cogitatio de hæmorrhoidibus vesicæ, si in majori copia sanguis erumpat, quàm ex venis ani unô cursu excerni solet. Nam etsi ordinariò non confertim sanguineus latex ex hæmorrhoidibus vesicæ & ani exeat, sicuti rectè observavit Aurelianus; fieri tamen potest, ut magnô aliquandò cum impetu erumpat. Mulieribus plerumque menstrua sensim stillatim fluunt: at quid in certis casibus fiat, fluxus mensium nimius ipsis tyronibus notus edocet. Atque hinc ~~bene~~ Hercules Saxonia lib. 3. Practic. c. 40. refellit argumentantes à copiosô sanguine excretô ad renes affectos allatô exemplô de nobili Patavinô, cuiper quinque annos ex intervallo sanguis multus spontè & subitò ex apertis colli vesicæ venis vacuatus fuit. Multoties hunc effectum videtur tractasse Cl. Hoffmannus; nam lib. 2. instit. c. 97. docet mictum sanguinis accidere iis, quibus *copia peccat sanguis, iisque singulis mensibus hæc exire, ut videantur fœminarum naturam induisse.* Luculentum ejusmodi hæmorrhoidis vesicæ exemplum sub titulô mictus sanguinei copiosi, sinè detrimento sanitatis, proponit Nesterus in Miscell. nostris Decur. 1. A. 8. Observ. 23. p. 42. Non possum, quin breviter recensem quod mihi in praxi ante annum circiter fuerit compertum. Vir septuagenario propior temperamenti Sanguineo-Cholerici cum venis turgidis & latis vitæ sedentariæ deditus, victuique crassiori à teneris assuetus eumq; in lautissimâ etiam sorte sectatus, à multis ab hinc annis fluxum hæ-

morrhoidalem semel iterumque expertus ac cùm hæmorrhoides subsistitissent, in podagram nullô atrociori dolore molestam lapsus atq; hâc quoque emanente, dysenterico fluxu per aliquot hebdomadas atrociter afflictus, tandem ante triennium sanguinem per urinæ ductum exclusit merum & crassum in notabili sanè quantitate absque omni dolore, gravitate ac tensione circa regionem renum ureterum, vesicæ, sine ullo calculi aut labis in viscere indicio &c. ac deinde per dies aliquot urinam aquæ quâ caro recens lota fuit, haud absimilem reddidit. Ante biennium aliquoties iterùm menstruis periodis sanguis eâdem viâ effluxit. Primô seculi 18. annô, tempore vernali insigni copiâ & φορᾷ sanguis iterùm prodiit, sed longè, diutiùs. Cùm enim per aliquot ferè menses prodiisset, à Medicis vocatis creditum fuit, quod renes magnam exulcerationem minarentur. Adhibita varia præprimis autem pilulæ ex balsamicis & Terebinthinâ (quamvis non satis constanter) absque ullô levamine. Celebrata est, Vs. in brachiô urgente fluxu nimiô, absque ullô effectu. Cùm mictus cruentus hic esset copiosissimus ac sine interruptione, quandô urinæ stimulum animadvertebat, integras matulas mero, sine urinarum aquâ, & crasso sanguine impleret; Vocatus & ego sum, ac solicitè discussis omnibus, modestè dissensum meum à Collegis meis professus, indicavi, hunc Sanguinis fluxum non à calculo oriri, sed à venis vesicæ hæmorrhoidalibus (sit venia novæ expressioni,) ortum trahere, ac cœpi de hirudinibus venis ani applicandis mentionem facere. Præterea succum urticæ & decoctum equiseti, ut & pulverem salinum commendavi. Paret hâc vice æger. Admoventur, ut jussum erat, hirudines hæmorrhoidibus. Decocto equiseti manè utitur instar infusi Thee, succum urticæ admiscet ter in die jusculis variis, vesperi in decocto equiseti ℈j. pulveris nitrosi capit; atque ex horum simplicissimorum medicamentorum usu per dies octo exundans sanguinis massa inter vasorum canales coerceri visa est, non sine ægri gaudio. Vix verò elapsus erat mensis, ubi de angustiis præcordialibus, dolore in pube ac radice ipsius virgæ, dysuriâ, tenesmô conqueri audiebatur; hic iterùm ego de novis moliminibus hæmorrhagicis ac grumis sanguinis in Vesicâ restantibus non dubitans post topicorum quorundam usum consulo, ut denuô Hirudines applicentur & ante laudata medicamenta, quæ tam egregiè se gesserant, adhibeantur. Renuit æger. Sanguis cum impetu prorumpere pergit. Cùm ex me intellexisset experientiæ conforme esse illud

Aretæi

Aretæi ex lib. 2. Chronic. cap. 4. *Sanguinis fluxus tametsi non admodum, citò enecet, tempore tamen procedente infinitos jugulavit*, & ex mente Hippocratis, nihil mali eum solummodò sanguinis mictum significare, qui *rarò & sine febri ac dolore* contingit, alium adhuc Medicum advocat, qui animam Rhabarb. & sudorifera, nescio quâ intentione, svasit. Quia verò nullam ex his remediis utilitatem sensit, locô hirudinum vasis sedalibus applicandarum præposterô consilio V. S. in pede elegit, indè cum malum esset auctum exterorum Medicorum opem imploravit. Clariss. Vehrius Professor Francof. ad Oder. qui mali originem ex plethorâ & diversione sanguinis ad renes vel vesicam commodè satis deduxit ac olim adfuisse hæmorrhoides rectè est subodoratus, nullâ calculi habita ratione, præscripsit spec. diathec. &. Herbæ agrimon. betonic. Veron. Cost. ana Mj. radic. Caryophyll. liquirit. ras. ana ʒß. incis. incid. M. f. sp. S. Kräuter zum Thee. In infuso hoc aut in cerevisia calidâ aliove vehiculo voluit manè & singulis tribus horis capi ʒo. vel 60. guttas ex seq. misturâ. ℞. Balsam. nostri traumatic. ʒß. Essent. agrim. ʒij. Mumiæ, Catechu ana ʒj. M. Unguentum regioni renum illini voluit. ℞. Unguent. Comitiss. ʒj. ol. Myrtin. ʒij. M. d. in fictili. In impetuosiori sanguinis fluxu quâvis dimidiâ horâ jussit ægrum Cochlear haurire hujus potiunculæ. ℞. Aqu. plantag. ʒiiß. fol. tenell. querc. ʒiß. cinnam. sine vino ʒß. Corall. rubr. præp. ℈j. sanguin. Dracon. Ver. Indic. præp. Ocul. 69. præp. ♂. Diaphor. ♂tial. ana ℈ß. laudan. de 3bus. gr. ij. Syr. Myrtin. de Symph. Fernel. ana ʒß. M. d. S. Mixtur wol umgerührt zu gebrauchen. Nobilissim. Dn. D. Menzelius Archiater (Regiæ Majestatis in Prussia) Berolinensis auctor fuit, ut malo huic opponeret æger seqq. remedia. 1. ℞. Herb. Agrimon. Alchimill. Millefol. ana Mj. flor. hyperic. p. ij. balaust. ʒj. Musc. prunor. sylvestr Mß. Rad. Consolid. maj. Plantag. tormentill. ana ʒß. semin. hyperic. plantag. ana ʒij. M. Coq. in ℔. iiij. ▽. simpl. ad tertiæ partis consumpt. Collat. adde Syrup. de Symph. Fernel. ʒiij. (2) ℞. Trochisc. Alkekeng c. op. ℈j. Terr. sigill. Str. ℈ß. Theriac. cœlest. gr. j. M. f. Pulv. vesperi accipiendus (3) ℞. Ungent. Comitiss. ʒj. Croci Mart. adstring. ʒij. Olei Myrtill. q. s. M. f. linimentum pro usu externo & tandem. (4) Electuarium adstringens, cujus descriptio non est ad manus. Sed neque his remediis patiens noster sublevatus est, imô potiùs pes sinister tumore satis magnô eôque rubicundô & duro correptus est, ac testium alteruter distendi & laxiùs propendere cœpit. Hoc in statu constitutus in omnes vertitur cogitationes & ex tonsoris

foris consilio, quod etiam Medicus aliquis in absentiâ meâ approbaverat, fonticulum in pede tumido sibi excitari curat, quoipsô in manifestum gangrænæ periculum, à quô meâ ope sub divini Numinis auspiciô liberabatur, sese conjecit. Tandem etiam Excell. Dn. D. Stahlium Profess. Hallens. consuluit, is polychrestas Beccheri pilulas transmisit & enixè admodum applicationem hirudinum commendavit ac pulcherrimis ut audio, monitis ægrum instruxit. Antequam verò Celeberr. Stahlius rescriberet, noster acidulas Frigidissimas, sepositis remediis cæteris omnibus, ingurgitavit, unde in plenariam urinæ suppressionem incidit, ut optimis Stahlii Consiliis, quibus mea maximè conformia erant, nullus supereesset locus, advenere enim tùm responsoriæ Stahlii, quando de vitâ ægri jam erat conclamatum. Ac licet ex literis Stahlii tandem æger conciperet fiduciam, ut casum à me in chartam conjectum, sicuti postea rescivi, ad illum mitteret denuò; omnia tamen fuere frustra, quippe mors illum die 25. Decembris Anno 1701. cœtui viventium eripuit, antequam Stahliana Medicamenta cùm epistolâ ejus Vratislaviam deferrentur. Remediis quidem debitis urinæ & sanguinis fluxum reduximus; sed dolor inflammatorius in collô veficæ, qui fine dubiô in gangrænam abiit nullis pharmacis placari potuit. Pulsus talis tùm erat, qualis in febribus inflammatoriis esse solet, cum antea rebus etiam maximè exacerbatis nulla febris lenta ac latens observari posset.

OBSERVATIO CXX.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICH.

Complectens Relationes quasdam de Vulneribus ad diversos judices factas.

LIcet eruditorum manibus terantur integri tractatus de relationibus rectè instituendis à doctissimis viris editi, uti in fundamentis decidendi eruendis præclarissimè operam suam posuerunt Baptista Codronchius, Fortunatus Fidelis, Ambrosius Pareus, Paulus Zacchias, Gottof. Welschius, Johannes Bohnius, Heinric. Meibomius, Wolffg. Wedelius aliique plures: non tamen abs re faciunt, qui particularibus exemplis ea, quæ in genere disputantur, illustrare satagunt, quod facere datâ occasione prælaudati viri non intermisse-

unde

runt ; ex professô autem id egit Paulus Ammanus. Non itaque mihi vitio vertetur, si eò animo relationum quarundam compendium hîc recitavero. Id verò tribus adhuc præfari liceat verbis, me vulneris vocem sensu Medicis & Coo familiari hic accipere, quô notat *omnes affectiones*, quæ *extrinsecus cum quâdam violentiâ corpori accidunt, seu casus fuerit seu vulnus seu plaga seu distensio*, quâ de re videatur Martianus Comm. in Hippocrat. Section. 5. lib. 6. Epidem. p. 278. Anno 1696. sub initium Julii adolescens 18. annorum ab herô suo molitore baculô circa regionem hepatis, pubis & ipsum scrotum graviter percussus fuerat. Post hanc verberum inflictionem malè habens, initio curæ balneatoris commissus est ; qui, quomodo in cura progressus fuerit, non memini audivisse, nisi quod medicamentum purgans ei datum fuisse postea resciverim. Ex eô verô in deterius singulis momentis percussi res lapsa est ac deinde nescio, quô consilio in pagum Lanisch, qui uno circiter milliari distat vratislavia, ad matrem afflictam fuit deportatus. Hic miser de molitoris truculentiâ multis verbis flebiliter conquestus, famâ deinde sævitiæ latiùs, ut fit, sese diffundente à judice aulicô Episcopali rogatus, ut cum Chirurgis in pagum illum proficiscerer. Factum illud est die XI. Julii. Sugillatio ingens circa regionem hepatis deprehendebatur. Partes genitales Sphacelo affectæ putridum & cadaverosum exhalabant odorem & ita invaluerat Sphacelus, ut jam νέκρωσιν in intestinis serpere pateret. Sitis intolerabilis erat. De exquisitissimô ejus dolore, quô partes gangrænâ, ut apparebat, correptæ afficiebantur, ululatus ejus, quibus tuguriolum resonabat, testabantur. Extrema & cæteræ partes exteriores frigebant. Hæc Magistratui referebantur & addebatur de miseri vitâ actum esse. Ubi deinde mortuus fuerat, judicio aulico consultum videbatur, ut cum Experientiss. Dn. D. Öhmb. iterum illùc irem & exta lustrarem, quod ipsô, quô obiit die, à nobis diligenter est factum. Præter sugillationem externam & Sphacelum in scroto nulla labes à nobis deprehensa, nisi quod colon & ileon Sphacelo affectum ostenderent hiatum, per quem aliqua liquoris quantitas in cavitatem abdominis effusa erat, Relationis nostræ ad judicem summa erat : sugillationem satis testari de percussionis violentia, ex hâc ortam esse gravem inflammationem, ex inflammatione vero gangrænam & ex hac sphacelum, *non adhibita forte satisdiligenti cura*, ex sphacelô mortem secutam nihilominùs mortiferam percussionem, ex se & naturâ suâ non videri, quòd (1) nullum notabile

bile vas sanguiferum læsum nec ulla hæmorrhagia observata (2) nec pars ad vitam simpliciter necessaria noxam majorem passa fuerit, quantum enim ad sphacelum & solutionem continui in intestinis attinet, non videri sub actu percussionis vel brevi post contigisse, & hoc constare liquidò tum ex *modicâ* liquoris in abdominis cavitatem effusi *quantitate*, eam certè futuram fuisse longè majorem si intestina statim fuissent rupta, ægrum enim avidè & multum bibisse, tum ex valida medicamenti purgantis à balneatore post palgam propinati operatione &c.

Exauctoratus miles Anno 1698. die 27. April. in pago Illustrissimi Commendatoris Ordin. S. Joh. Hierosolym. Dom. Comitis à Kollowroth, cum homine quôdam turbido primò litigans, deinde in monomachiam, decendens interimitur. Hoc cùm contigisset iterum ego cum laudato ante Medico ad inspiciendum occisi corpus invitatus sum & 28. Aprilis ad locum in quo occisus erat, me contuli. In latere sinistro sub costis spuriis vulnus tres digitos latum, ex quô intestina facilè ad palmæ longitudinem protuberabant ostendimus. In latere dextrô è diametro quasi priori oppositum cernebatur vulnus, sed vix tertia parte magnitudinem prioris æquans, ex quô ante apertum abdomen sanguis confertim manabat. Cavitas abdominis postquam eô in sectione perventum erat, cruore, cujus pars non exigua in grumos concreverat, turgebat. Post institutum solicitum examen deprehensum est, arteriæ cœliacæ ramum splenicum nec non ramos quosdam mesentericos fuisse mucrone discissos. Viscera abdominis non multum læsa & hepar gladiô quasi leviter perstrictum erat. Propter læsionem hanc vasorum & enormem sanguinis extravasationem, quæ nullâ arte inipediri potuisset, judicatum est, vulnus fuisse ex se & natura suâ lethale.

Anno 1699. die 6. Januarii adolescens imberbis maturè castra secutus in hybernis luxurians ex protervâ petulantiâ occiderat Patris-familias alicujus in Polnisch Peterwitz filiam in flore ætatis constitutam, habens enim sclopetum in manu, ecce, inquit interficiam te; dictum, factum, explodit & puella exanimis corruit. Rogatus, ut cum Chirurgis die sequenti irem & de lethalitate vulneris judicium ferrem, licet ex brevi illô inter vulnus & mortem intervallô ac partis vulneratæ nobilitate satis esset probabile puellam ex vulnere mortuam esse. Inspectio tamen magis nos confirmavit læsionem illam fuisse mortiferam; globus per orbitam oculi dextri adactus in sinistrâ occipitis parte emerserat & cranium disruperat,

unde

unde sanguis ad aliquot Cochlearia effluebat. Post integumentorum separationem in osse occipitis non procul à vulnere duæ spectabantur fissuræ, altera digiti longitudine, altera aliquantò minor. Os squammosum itidem fissum deprehendebatur. Remotô deinde craniô patuit ex globuli per meditullium transitu factam ingentem cerebri commotionem & inductam vasorum (cerebrum perreptantium) rupturam, unde sanguis ex vasis suis evacuatus in quantitate notabili in cerebrô depositus erat, atque hinc nullum ampliùs de lethalitate vulneris supererat dubium.

Eôdem annô die 19. Januar. invitatus sum ad inspectionem exanimis puellæ, quam mater meretrix mortuam à se in lucem fuisse editam affirmabat. Dùm externum corporis habitum lustro, sanguinem ex naribus stillâsse atque hinc illinc cutem discessisse sine aliâ evidenti noxâ adverto. Corpore apertô, pulmones rubescentes ac densioris substantiæ sese offerebant ac aquæ immersi subsidebant, Pericranium circa futuram coronalem lividum erat, ipsum verò cranium omni ex parte illæsum. Nec erat, unde vel cerebri concussio vel ruptura vasorum eidem implicatorum argui posset. Relatum itaque fuit, nihil quicquam in hâc inspectione occurrisse, unde clarè ac irrefragabiliter inferri queat, infanti postpartum parricidiô vitam fuisse ademptam, imò ex sententiâ passim recepta (non tamen indubitatò vera, ut à Celeberrimo Bohniô demonstratum est) quæ vult pulmonem aquæ injectum & ad fundum descendentem præbere certum indicium, quòd infans non respirarit, potiùs consequi, quòd jam in utero maternô (incertum, quô fato) mortuus sit.

Die 6. Julii ejusdem anni virgo in pagô Ostwiz ab Uretislavienſi aliquò cive, qui inter ipsam & Gallum quendam nuptias conciliare gestiebat, fortuitò sclopeti ictu vulnerata erat ac post paucas à vulnere inflictô horas obierat. Abii eò die sequenti, ut de lethalitate vulneris cognoscerem. Vulnus duobus pollicibus supra podicem à fissurâ natium partis sinistræ unô pollice remotum in musculo glutæo majori comparebat externâ facie digitum transversum æquabat, internâ verò aliquantò angustius erat, profunditas ejus stylô explorata, non multùm à longitudine digiti indicis aberat. Cùm cautè secando interiora vulneris scrutaremur, patuit ex quinque vulneribus minoribus globulos aliquot minutos, quos grandines vocant, in parte obliquè oppositâ iterùm ex carne emersisse, reliquos verò ad os femoris allisos supernа & inferiora petiisse, obvia adussisse, vasa cruralia lacerâsse ac exci-

tâsse in superioribus sinum duos transversos digitos latum & medium ferè digitum longitudine superantem (siquidem extimam Peritonæi membranam in regione pubis attingebat) in depressa verò ac declivi quasi parte iterùm produxisse cavitatem, quæ latitudinem digiti & longitudinem duorum articulorum referebat. Pronunciatum est vulnus fuisse summè periculosum oblæsionem vasorum sanguiferorum insignium ac insecutam hæmorrhagiam maximam, non tamen videri absolutè lethale, ac perito Chirurgo si præsens fuisset, non defuturam fuisse viam artemque sedandi, (quamvis cum magnâ difficultate) sanguinis effluxum.

Anno 1700. die 17. Maji administrator in Kröbelwitz Uratislaviam pergens, à pastore gregis lite inter eos occasione cessionis in via subitò exortâ, gravissimè percussus die 18. ejusdem decesserat, atque vulneris inspectio mihi commissa fuit; in mortui cadavere in latere sinistrò supra os squamosum non procul à musculô temporali, vulnus duos digiti articulos longum & digitum transversum circiter latum est deprehensum. Cranii illa pars, quæ ictum sustinuerat, ostendebat spectatoribus particulas laminæ interioris percussione violentâ divulsas & separatas, in oppositâ verò calvariæ parte non procul à futura squamosa cernebatur fissura. Dura mater & sinus falcatus superior livebant. In medió substantiæ medullaris cerebri extravasatus cruor in largâ quantitate non sinebat dubitare de vasorum sanguiferorum rupturâ ex violentâ cerebri concussione ortum ducente, quæ omnia documento erant & argumento, vulnus absolutè fuisse lethale, præprimis cum statim post inflictum vulnus visus, auditus, sermo, percussum prorsùs destituerint, exactequè impleta in hôc Hippocratis Coaca: *quibus concussum est cerebrum vel ex plagâ dolet aut aliò casu illicò vox deficit, neque vident neque audiunt, fereque intereunt.*

OBSERVATIO CXXI.

Dn. D. CHRISTIANI HELWICH.

De Apostasi per secessionem cum atrocibus doloribus conjuncta in scirrhum sanguineum degenerante.

EX Hippocratis doctrinâ notum est, apostasi seu abscessione per sepositionem significari materiæ morbificæ è nobilioribus partibus ad ignobilio-

ignobiliores depulsionem, non autem plenam è corpore excussionem, quam licet principium Corporis movens intendat, propositô tamen suô hic frustratur, vel quòd vires corporis fatiscant & ad exclusionem non sufficiant, vel materia ad motum inepta ejectioni recludatur, vel etiâm viæ minùs patulæ obicem ponant. Atque hinc fit, ut non penitùs ex corpore proscriptâ materiâ, sed ad extremas partes detrusa ibique altius impacta, (&si mole non adeò magna) tanquam fomes, novas morborum ac dolorum faces accendat, quod in matrona fere quinquagenariâ, plethoricâ ac turgidô corporis habitu prædita, sub veris ingressum, proximo anno sum expertus. Hæc genere & virtute illustris, in sterili matrimoniô vivens, periculorum ex diætæ legibus contemtis secura, cibos etiàm maximè noxios avidè ingesserat, quod non fieri oportuerat, quia vel menses statis quidem temporibus fluentes, sed haud rarò admodùm dolorificos ante hac experta, varias verò ejusdem menstrui fluxus ataxias autumno & hieme ultimum morbum antegressis senserat, vel diros calculi labores sæpiusculè jam pertulerat, quoties dyspeptis ventriculum præter mensuram modumque distenderat. Nec ignara etiàm malorum, quæ hæmorrhoidalem fluxum (quo aliquoties fuit correpta etiàm fluentibus ordinatè adhuc mensibus,) impeditum sequi consueverunt. Non minùs etiàm sordidis apostematum molestiis præteritis annis plus simplici vice divexata fuit, quæ itidem de diætæ erroribus dubitare nos non sinuit. Sed tot tantisque malis nondum satis edocta, coecâ hâc indulgentiâ in alios subindè morbos sese præcipitavit & eô etiam, quo diximus, tempore gravius tormentum sibi accersivit. Rediens enim ex dynastiâ suâ Uratislaviam, post cephalalgiam aliquot dierum, circa vesperam horrore febrili, quem æstus satis intensus per totam noctem durans excepit, concutitur. Ardore & calore illo intepescente in digitorum manûs sinistræ internodiis corripitur dolore immani, qui per quinque, nisi fallor, horas, miseram atrociter afflixit. Cùm sub vesperam cruciatus absque omni febris indiciô recrudescerent, vocatus, accurro & vix mentis compotem præ doloris acerbitate invenio; muliebres inter ejulatus de ineffabili articulorum dolore, quem singultiens ut enormiter tensivum, vibrativum, vellicatorium & lancinatorium describebat, scrupulosæ indagini vix erat locus, quamvis ejus ratio vivendi & pleraque, quæ scire Medicorum interest, me non fugerunt. Dolores illos videri arthriticos affirmo, nec astantes abnuebant & inter has vidua podagrico olim viro juncta, eandem jam ante accessum meum cecinerat cantilenam. Absque mo-

ra etiam post diætam accurratiorem severius injunctam, medicamenta in arthritide mihi familiaria præscribo, nimirùm pulveres nitroso-Cinnabarinos & ad aliqualem sanguinis distributionem obtinendam TRam aliquam diapnoicam. Etsi enim procul absim ab opinione eorum, qui calidissimis in arthritide medicamentis ad sudorem proliciendum sanguinem exagitandum esse censent, diaphoretica tamen manè exhibita amo quàm maximè. Posterô die redeunti narratur, noctem inter cruciatus, quibus ferendis par humana natura non sit, esse transactam, & simul ostenditur manus, quam dùm accuratiùs intueor in pulposâ digitorum carne maculas deprehendo lividas ac in atrum vergentes colorem, quales cernere licet, cùm tubercula, quibus tendines digitorum contractorii & extensorii annectuntur, in cautè durioribus corporibus alliduntur; læsis enim his partibus acutissimô sensu pollentibus excitatur crispatura, quâ sanguinis puncta ad ambitum corporis commoventur & subsistunt. Interrogata an casu quôdam cubitum offendisset, negat istud contigisse atque, se credere non posse, quòd vel in somnô duriùs impegisset. Medicamentorum continuationem suadeo, à topicorum præprimis conglutinantium, pinguium, oleosorum applicatione &c. dehortor, ac spe meliorum labantem suffulcio animum; at verò horæ, dies, septimanæ labebantur, & tamen tantùm abest, ut tormenta dolorum cessarent, ut potius quotidie per hores aliquot diurnas, quod primis diebus non contigerat & nocturnas vagis periodis repeterent & eam indignè mulctarent. Itum fuit obviam dolori huic omni remediorum genere (nam cum laudata ante medicamenta eum non mitigassent, alia subinde ita volente ægrâ, substituebantur) corpus blandâ evacuatum, cucurbitulæ applicatæ, vena pertusa, diaphoresis blande, cùm eò vergeret natura, instituta, humores antiscorbuticis aliisque accommodatis, quantum fieri poterat, correcti, antispasmodica verò prora ac puppis erant, ultimò ne opiata quidem, quibus parciùs in hoc casu utor, fuere neglecta; at ne hilum his omnibus dolores mitigabantur. Hinc veneficium subesse ægra suspicabatur. Tribus elapsis septimanis tumor in carpô exoriebatur, ex quô alii in spem erigebantur, fore, ut brevi dolores demulcerentur. Ego verum esse ajebam, quòd, quando tumores arthritici in conspectum prodeunt, dolores mitescant, imò id etiàm docuisse experientiam, diutiùs esse à paroxysmo immunes, quibus istiusmodi tumores tardiùs dissolvantur, sed nostros non videri ex eorum genere, qui arthritidi superveniunt, sed propiùs accedere ad phlegmonen, nam adesse statui

tui inflammatoriam satis etiam in profundum diffusam, cum æstu & ardore conjunctam, solâ duritiei absentiâ à phlegmone differre. Atque tum facilè intelligebam affectum non esse verè arthriticum, quamvis dolores arthriticorum cruciatibus simillimi essent, ac tumorem hunc magis magisque considerans, & morbum antecedentem hujusque præsentis motum perpendens, manibus quasi palpabam, scenam Hippocraticæ apostaseos hic aperiri. Quia tamen etiam hæ periculô minimè vacant ac tumores phlegmonodes in sphacelum præcipites feruntur, externa lenem materiæ noxiæ discussionem promoventia & interna diapnoica ac antispasmodica commendabam, sed quòd dolores ex eorum usu non statim sopirentur, emplastra nescio quæ imponenda erant, quibus id, ut eventus docuit, effectum est, ut secedentibus subtilioribus partibus seroso-lymphaticis, crassiores sanguinis partes in poros altiùs adigerentur & grumosa sanguinis condensatio sequeretur, uno verbo nasceretur scirrhus sanguineus ein harter brauner rother Buckel / neque tamen, quod aliàs fieri solet, malacia cruciatuum obtingeret. Ego gnarus, quã facilè in ulcerosas, gangrænosas aut sphacelosas corruptiones scirrhi sanguinei abeant, usum emollientium Chirurgo dissuadeo ac omnem ei solicitudinem commendo. Is verò, ut fieri solet, me absente, nescio, quibus frivolis rationibus motus, saltem aliqua de materiâ in profundô latente eum mussitasse ex adstantium relatione deinceps intellexi, scirrhum aperiendum esse contendit, pollicitus fore, ut facta levi apertione (ad pus scilicet evacuandum) dolor omnis conquiesceret. Fit ita, pertunditur scirrhus, extillant tres vel 4tuor guttæ ichoris, & cruciatus quasi incantamento sublati per 24. horas suspenduntur. Hic mihi ægra cum consanguineis insultare, quòd tumoris incisioni pertinaciter reluctatus dolores ejus protraxissem; ego quidem absque jactantia bene facere & male audire jam assuetus, cùm tristia quæque vulnusculum minitari videretur, in illud liquorem balsamicum vulnerarium instillare jubeo precatus, ut gaudium ægræ sit diuturnum, sed vix elapsæ 24. horæ, ubi nefandi dolores eam iterum obruunt, ac per aliquot septimanas statis circa noctem vicibus deinceps eam sunt adorti. Post continuata antispasmodica & diaphoretica interné, Camphorata verô externè, remiserunt dolores & languidiores esse cœperunt, tandemque prorsùs conticuerunt. Circa scirrhum verò nihil esse movendum constanter asseverabam, quippe experientiâ edoctus citra magnum ægrorum incommodum ejusmodi scirrhos, nisi passionibus animi præsertim excandescentia, vini abusu, violento corporis motu, impru-

lenti refrigeratione occasio novis punctoriis & æstuatoriis doloribo ansa præbeatur, in corpore circumgestari, dum verò dolores remittere incipiunt novo terremur symptomate, nempe incipienti aridura, cujus tamen progressum fotibus, cotaplasmatibus, unguentis atque utrinque etiam spirituosis linimentis facilè inhibuimus, atque ita ægram nostram diuturnis dolorum fluctibus concussam sub auspiciis divinæ gratiæ in portum sanitatis perduximus. Hujus generis affectus satis frequenter absque dubiô in praxi occurrunt, sed, dum larvam arthriticorum dolorum, sub quâ etiam oculatis imponunt Medicis, circumpositam habent, sub nomine dolorum articularium, podagricorum, chiragricorum aut certè Rheumatismi occultantur! Manifestum verò satis est, sævos illos dolores excitari, dùm humores & primô, quidem locô sanguis motu alacri & vegeto tensis fibris (harum fibrarum nimiæ tensioni acceptum etiam referimus ariduram incipientem) alliduntur, unde etiam patet, hos cruciatus esse ex classe spasmodicorum. Hos ipsos etiam credimus esse causam tumoris & hunc non propter materiæ, per apostasin rejectæ copiam, quæ sanè, ut sensus manifestat, non adeò magna est, sed propter dolores exoriri autumamus. Res etiam ipsa loquitur, quòd sepositа ejusmodi materia vix maturationem admittat, & vel hoc exemplum docet, quòd scirrhi & exulcerationes, si quandò eveniunt, genuini imperitiæ Chirurgorum fœtus sint.

(*Uratislaviâ Augustam Vindel. d. 19. Jan. An. 1762. missæ.*)

OBSERVATIO CXXII.

Dn. D. DANIELIS NEBELII.

De

Crepatura ventris in Hydropica feliciter sanata.

FOemina XIX. annorum, Pastoris in pago Weidershausen uxor, quæ post potum frigidum abdominis tumorem hydropicum contraxerat, per integras XXXII. hebdomadas ex hoc morbo decubuit, variaque remedia à multis tam Medicis, quam Empiricis commendata, frustra assumsit, donec tandem vinum, cui radices ebuli & vincetoxici infusæ fuerant, iteratis vicibus bibisset, ex cujus usu

ſu ſequenti venter ſub umbilico, magno cum ſonitu, transverſim ad duarum circiter palmarum latitudinem diſruptus, ingentem aquarum flatuumque copiam cum ſanguine effudit, ac ægræ gravem lipothymiam intulit. Advocatus illico Chirurgus Marburgenſis Jacobus Ericus Braun, ventris laceri labia acu dextre conſuit & vulnus ritè curavit, tandemque conſolidavit, & ſic ægra, recuperatis viribus, ſenſim convaluit. Relictus tamen in crepaturæ loco fuit hernioſus abdominis tumor, quem fœmina ſubligaculis apte repreſſit, & ſeqq. annis decem liberorum mater facta ſatis, commode vixit, niſi quod autumnali tempore quotannis ventris tumorem contraxerit, quem tamen eodem vino, quo primum feliciter uſu fuerat, brevi diſcuſſit, & tandem ſexagenaria major deceſſit. Hanc morbi hiſtoriam ab ægræ filia mihi ante aliquot annos relatam & ab aliis fide dignis comprobatam, ut raram & notatu dignam, noſtris Miſcellaneis inſerere libuit, cum exinde colligere poſſimus, non ſolum inteſtina & peritonæum, ſed etiam ipſam infimi ventris cutem cum ſubſtratis muſculis ab incluſarum aquarum mole flatuumque interceptorum elatere ſubito crepare poſſe.

OBSERVATIO CXXIII.

Dn. D. DANIELIS NEBELII.

De Amnuroſi Ozænæ ſuperveniente, ſalivatione mercuriali ſublata.

VIr quinquagenarius & robuſtus, per aliquot annos Ozæna non ſine luis Venereæ ſuſpicione laborans, meam & Chirurgi noſtratis opem imploravit, de dolore frontis, oculorum, genarum atque narium cum harum pertinaci obſtructione à muco viſcido in ſubvirides particulas coacto, & fœtore odoratusque defectu potiſſimum conqueſtus. Adhibita mox fuerunt tum interna decocta lignorum cum Tinct. antimonii tartariſata. Et pilulæ ex gummi ammoniaco, myrrha, ſale volatili viperarum & cinnabari nativa præp. quibus ſudor per plures ſeptimanas prolectus, interpoſitis ſæpe purgantibus mercurialibus, tum externa detergentia & mundificantia naribus per ſiphonem & cum turundis penicillisque immiſſa ex ♈. plantag. tutia præp. myrrha & ſacch. ſaturni, it. aqua calcis vivæ, cui radices ariſtoloch. rot, ſummitates centaurii min. folia ſabinæ & myrrha incocta,

tan-

tandemque tinctura euphorbii cum spiritu vini parata, quibus duo frustula ossei dissepimenti narium paulo post separata & volsella binis vicibus extracta fuerunt, succedentibus fissuris atque pustulis narium pinnas exedentibus, quæ consolidatæ tandem linimento ex bals. Peruv. & Copayv. terra Vitrioli dulci, sarcocolla, mercurio præcipit. rubro & melle rosaceo, præmisso usu externo aquæ phagedænicæ. Molestus tamen adhuc dum fuit capitis dolor vespertinus & artuum lassitudo cum profluxu ichoris, flavescentis ac purulenti è naribus, quo diminuto visus in dextro oculo paucos intra dies periit, & post septimanam, fluxu illo narium penitus cessante, alter quoque oculus admodum caligare cœpit, nulla in utroque labe apparente, præter pupillæ dilatationem & oculorum dolorem. Purgantia, Vesicatoria, Errhina, Salia volatilia & cinnabarina frustra in usum vocata sunt, unde ad generosiora ipsamque inunctionem Mercurialem deventum, qua debite instituta primo diarrhœa, & hac diascordii ope sublata, largus salivæ fluxus secutus, atque ita cephalalgia diminuta & pristina videndi potentia oculo sinistro paulatim restituta, sed dextro denegata, licet saliva per quatuor septimanas largiter diu noctuque ex ore destillaverit. Postquam ptyalismus remisit, particula ossei sepimenti sponte separata è naribus extracta fuit, & æger sic sensim integram sanitatem recuperavit, qua etiamnum per tres annos sine ulla recidivæ metu fruitur.

OBSERVATIO CXXIV.

Dn. D. DANIELIS NEBELII.

De Judicii & memoriæ imbecillitate post lethargum, tandem accedente epilepsia lethali.

QUadraginta & aliquot annorum Vir, temperamenti melancholici & habitus corporis siccioris, qui per aliquot annos de vertigine, doloribus tensivis in cervice, alvi obstructione frequenti & sanguinis acrimonia scorbutica conquestus fuit, anno M DC XCV. die XXXI. Octobris circa vesperam somnolentus obdormivit & post aliquot horas expergefactus, male habuit, animique deliquium passus est: excitatus, præcordiorum angustiam sensit & delirare cœpit, crebrosque ructus emittere, præteritorum plane ignarus. Pulsus erat æqualis & paulo major; respiratio libera. Dato specifico cephalico cum

cum sale volatili cornu cervi, & balsamo succini temporibus illito, aquosa acidaque multa evomuit, applicato postea clystere acri eodemque reddito somnus denuo obrepit, qui seqq. tribus diebus inter deliria & inquietudines corporisque vagos æstus valde interruptus ac tandem reperito internorum cephalicorum & antapoplecticorum, nec non externorum suscitantium spirituosorum, acrium & vesicas excitantium usu, interpositis purgantibus & Venæsectione discussus fuit, remanente ratiocinationis defectu cum distincte loquendi, legendi & scribendi impotentia. Intelligebat quidem omnia, quæ dicebantur, sed ad ea expedite & perspicue è respondere non poterat æger; omnia confuse proponens. Hærebant verba, quoties animi sui sensa aperire vel objecta denominare gestiebat, digitis sæpenumero commonstrans, quæ genuino nomine appellare vacillans memoria non permittebat. Viribus paulatim redeuntibus, cibos quidem appetiit & bene concoxit, sed alvum tardius exoneravit, & de capitis dolore, oculorum caligine, auriumque tinnitu conquestus fuit; obambulavit tamen in conclavi & dein in publicum prodiit, invitante aeris verni serenitate & suadentibus Medicis, qui penetrantioribus cephalicis internis & externis, interpositisque pilulis purgantibus atque clysteribus, quibus lentus humor exiguis cerebri meatibus impactus resolvi ac educi possit, rebellem morbum oppugnare haud desistebant, affulgente nonnunquam integræ sanitatis recuperandæ spe, cum patiens paululum ad se rediisse visus, morbi pertinaciam & judicii memoriæque difficultatem multis lacrumis deflevit. Sed cum breves admodum fuerint istæ morbi induciæ, celebris Medicus in vicinia consultus fuit, qui spiritum eboris balsamicum & elixir cephalicum Wedelii, nec non specif. cephal. Mich. cum specieb. diambr. & diarrhod. mixtum, juxta infusum foliorum Theæ sæpius assumendum, externe vero spirituosa oleis destillatis cephalicis imbuta capiti illinenda, interque ciborum condimenta salviam, thymum, roremmarinum &c. commendavit, ex quorum usu morbus non diminutus, quin potius anno sequente, præcedentibus cruris dextri & mox qq. manus doloribus spasmodicis & succedentibus tandem spasmis ac motibus convulsivis in dextro corporis latere, valde auctus & exacerbatus fuit, capite per istos paroxysmos epilepticos sæpius recurrentes magis perturbato, totoque corpore valde debilitato, ita ut, medicamentis tam fixis absorbentibus & cinnabarinis, quam volatilibus cervinis, succinatis, castorisatis & ex formicis paratis, aliisque pluribus

nequicquam proficientibus, & fetaceo, quod celeberrimus D. Brunnerus per cervicem traducendum suaserat, non admisso, æger lecto se committere cogeretur, usque dum viribus indies fatiscentibus mense Junio anni MDCXCVII. placide mortuus fuerit. Causam hujus diuturni & pertinacis morbi colluviem seri in capite fuisse arbitror, quod primo in minutissimis cerebri meatibus hic illic stagnando rectilineum spirituum per illos transitum impedivit & verticosum reddidit, sicque vertiginis causa exstitit, postea vero repente cerebri interiora subiens spiritusque in anomalos motus eiens, lethargum induxit, qui quidem medicamentis penetrantioribus discussus fuit, seri stagnantis parte aliqua ad pristinam fluiditatem motumque reducta, sed judicii memoriæque difficultatem post se reliquit, seri altera parte in crebri centro ovali permanente, quæ suo lentore non solum impedivit, quo minus spirituum determinationes a mente expedite fieri potuerint, sed & sua acrimonia, quam tractu temporis acquisivit, oblongatæ medullæ caudicem dextrum, circa quem sine dubio hæsit, vehementer irritavit & motus epilepticos in dextro corporis latere produxit, tandemque totam œconomiam animalem per crebriores horum motuum recursus penitus evertit, ut exinde placita mors successerit.

OBSERVATIO CXXV.

Dn. D. DANIELIS NEBELII.

De Tumoribus pedum monstrosis.

VIrgo sedecim fere annorem, quæ ob præclaras animi dotes omnibus magnam de se spem fecerat & ob roseum faciei colorem integra sanitate frui videbatur, anno MDCXCVII. autumnali tempore per febrilem sanguinis motum in crure dextro supra genu tumorem contraxit, ovi magnitudine dolorificum & cuti concolorem, qui semet latius paulatim extendens intra spatium quatuor mensium, (quo præter interna sudorifera volatilia & externa spirituosa discutientia & exsiccantia nihil medicamentorum adhibitum fuit, virgine parentibus ob pudorem hunc affectum aliquamdiu celante) totum femur occupavit, quod æqualiter tumidum & duriusculum erat, venis per cutem serpentibus varicosis. Accessit paulo post mensium suppressio & major cruris debilitas

bilitas cum dolore indies accrescente. Chirurgus femur inspiciens in interna & media illius parte locum molliorem deprehendit, cui cataplasma maturans & anodynum apposuit, emplastro mirabili Ammanni quod in Cl. Joh. de Muralto operib. Chirurg. p. 723. describitur toti femori desuper applicato. Præterea decoctum lignorum cum elixirio aperitivo Clauderi mane atque vesperi fuit exhibitum. Dolores primo in parte cruris molli & dein in toto femore, hinc magis aucti fecerunt, ut die 19. Februarii MDCXCVIII. tumor in parte molli lanceola fuerit apertus, profluente sero cruento ad ℥iv. quod mox sub aere frigido in gelatinam concrevit, tumore prope genu nonnihil subsidente, quem ubi tunc primum vidissem, consimilem in Jobi a Meckeren Observ. Chirurg. posthumis cap. X. depictum reperiri indicavi, & ab eo tempore de prospera inveterati tumoris medela dubitavi, præsertim cum talem tumorem femoris monstrosum in puero nulla arte medica tollendum viderit, & descripserit Celeb. Wedelius in Ephem. Nat. Cur. Dec. I. A. III. obs. LXIX. Inflicto Vulnusculo turunda immissa fuit, sed quia seqq. diebus nihil amplius seri effluxit, idem brevi consolidatum, femore ad seri discussionem oleo petræ & philosophorum sæpius in uncto, & adhibito simul cataplasmate resolvente spiritibus penetrantioribus imbuto, quibus tumor nonnihil emollitus fuit & vulnusculum reseratum, e quo die 13. Martii seri cruenti ℔ß. circiter prosiliit & mox in gelatinam concrevit, vesperique sub eadem fere quantitate effluxit, unde tumor paululum diminutus fuit & venæ varicosæ nonnihil subsederunt, præsertim cum indies aliquid seri ex vulnere promanarit. Petitum, tunc per literas fuit a celeberrimo Dn. D. Brunnero consilium medicum, de quo in seqq. Post biduum sellæ insidenti ægræ vena varicosa in infima cruris parte subito disrupta fuit, e qua sanguinis serosi mensura plus quam dimidia profluxit, virgine mox animi deliquium patiente; obligatâ tamen venæ rupturâ, brevi ad se rediit & mixtura analeptica refocillata fuit; vires autem isto sanguinis profluvio ita debilitatæ erant, ut deinceps lecto semper incumbere coacta fuerit, maxime cum ex vulnere jam patentiore seri cruenti major copia quotidie non sine fœtore prodierit. In consilium itaque vocatus Cl. Dn. D. Schrood Physicus Marburgensis expertissimus, qui mecum interna analeptica & externa epithemata putredini resistentia debite adhibuit & mortis periculum imminere prædixit, quoniam facies pallida atque collapsa, pulsus celer, debilis & inæqualis, serumque cruentum ex vulnere majori copia & vehementiori cum fœtore indies profluens, id satis indicabant. Nec fe-

fellit nos triste præsagium, quia die 20. Martii post meridiem superveniens lipothymia omnem corporis sensum motumque sustulit, succedente morte placidissima. Altero die in crure inciso magna cavitas reperta fuit, cruento & putrido ichore madens, in qua musculi exesi & ipsum os femoris ad medullam usque in minimas particulas corrosum varisque excrescentiis osseis hic illic inæquale visum. Ex venis varicosis aliquot polypi tenues atque prælongi extracti fuerunt. Paulo post serius mihi allatæ Celeberrimi D. Brunneri responsoriæ literæ quas bona cum venia illius, mei hactenus Fautoris plurimum colendi, ut lectu dignissimas, his annectere liceat: *Casum describis; de quo non viso difficile est judicium. Gravis sane est & curatu difficilis ejusmodi tumor, id quod experiundo didici. Meminime talem vel consimilem vidisse Parisiis à la Charitè, in quo percurando Chirurgorum quos Gallia alit, dexterrimi oleum & operam perdiderunt. Consimilem tractavi Ravenspurgi in Suevia, ubi decumbebat mercator è Saxonia, cui usque eo intumuit pes totus, femur præsertim, ut plane monstrosus apparuerit, cum tantis cruciatibus, ut intrantis gressus vix, attactum vel levem minimè ferre potuerit. Ruptus tandem tumor circa genu fudit serum, quod in gelatinam abiit ad instar alluminis ovorum. Varia adhibita fuerunt à variis & diversis cùm Chirurgis, tùm Medicis, tandem advocatus, præter decocta lignorum & imprimis salsæparillæ, dedi Turpethum minerale à gr. ij. iij. usque ad v. alternis diebus, id quod nec vomitum, nec dejectiones, nec ptyalismum, sed à quarta nî fallor, dosi tantam cievit diuresin (etsi viribus jam ante prostratis labiis insidentem tenebat mortem) ut nycthemeri Spatio ultra sex aquæ mensuras per urinarias vias reddiderit cum extrema debilitate virium; vicit tamen natura; pes incantamenti instar detumuit; ulcera fistulosa circiter genu coaluerunt & ita ferruminata fuerunt extrema ossium, ut diriguerint immobilia per vitam. Quid si frustraneis omnibus aliis eandem calcaretis viam? imponeno foris cataplasma de quatres farines, quod Galli vocant, cum aceto aut spiritu vini paratum. Evolve super hac materia Mortoni pthisiolog. caput de phthisi ex ulceribus & fistulis, quo potentiorem medicam circa talia non inveni.* Hactenus Vir prælaudatus. Consimilem fere cruris dextri tumorem serosum, sed medicamentis tandem, favente Divina Clementia cedentem contraxit ante tres annos vir Nobilis in vicinia degens, qui defluxionibus catarrhalibus dolorificis ob seri acrimoniam obnoxius, & modo a talibus collum & fauces afficientibus liberatus, dum anno MDCXCIX. mense Aprili sub cœlo pluvioso equo vectus unius diei iter fecit, sensit in media & externa femoris dextri parte tumorem oviformem, digitis

nonnihil cedentem & admodum dolorificum, absque inflammatione subito exortum, cui impositum emplastrum a Chirurgo in itinere datum, quod dolorem auxit & incessum difficiliorem reddidit, sequente febre quotidiana intermittente, quæ quidem medicamentis brevi cessit, sed tumor ex continuato emplastrorum emollientium & suppurationem promoventium usu nova sensim incrementa sumsit, donec totum femur occupaverit cum inflammatione gravi & intenso ardore atque dolore lancinante in femoris parte interiore. Die 14. Junii cum Dn. D. Schrood in consilium advocatus, vidi crus valde tumidum & post externum spiritus salis ammoniaci aromatici usum minus inflammatum, digitis impressis nonnihil cedere eorumque vestigia aliquandiu servare, œdematis instar qualis tumor etiam totum pedem infra genu absque ulla phlegmones nota simul occupaverat. Serum igitur viscidum & acre, non pus, uti Chirurgus præsens sibi persuaserat, tumoris causam esse ratus, suasi ut lixivium forte ex cineribus ligni fraxini cum semine sinapi coctũ, calide instar epithematis cum linteis cruri applicetur & Elixir aperivum Claud. Tinctura tartari mixtum, in decocto lignorum mane atque vesperi guttatim assumatur, noctu vero pulvis cordialis pretiosus cum arcano duplicato exhibeatur, quibus tumor in superiore femoris parte nonnihil diminutus, sed dolor ardens atque lancinans ad levem cruris motum mitigatus fuit. Ad instantiam igitur Amicorum die 28. Junii interna & declivior femoris pars paulo supra genu, quæ mollior erat, lanceola paulo, profundius perforata fuit, paucis sanguinis guttulis prodeuntibus, & brevi post sequente sero limpido & acri, cujus duæ circiter mensuræ intra tres dies guttatim fere transudarunt, citra tumoris decrementum aut doloris levamen. Cum potius tumor circa & supra genu major & durior rubicundiorque visus, majorem dolorem intulit, qualem etiam paulo post livescentia & duriuscula vulneris jam siccati labia excitarunt, quæ tamen admoto Elixirio balsamico D. Juncken cum Tinctura anodyna, & applicato cataplasmate ex rad. barbæ caprin. herb. scord. absinth. agrimon. flor. chamom. samb. farina fabar. myrrha atque aloe vino incoctis, exhibitisque diaphoreticis mitioribus, ad pristinum colorem & debitam mollitiem redierant, cessante dolore & pauco pure bonæ notæ ex vulnere profluente. Cum autem dolor lancinans & ardens circa tumidum durumque genu adhucdum maxime molestus esset, fonticulus in parte interna tibiæ sub genu lapide corrosivo inustus fuit & vulnus supra genu postea consolidatum, totum vero crus spiritu vini camphorato ac crocato ob redeuntis inflammationis notas, fotum, hac vero

mox discussa, spiritu salis ammoniaci aromatico circumlitum. Interne, præmisso purgante leni, Liquor aperitivus B. Wepferi seq. cum subjunctis pilulis resolventibus in usum vocatus: ℞. limat. ♂tis puri ℥ij. ei in vase vitreo robusto affunde spirit. sal. ammoniaci urinosi ℥iij. spir. salis dulc. ℥j. salis absinth. ʒij. salis tartari ʒj. postquam deferbuerint bene tecta in locum temperatum reponantur & subinde agitentur, tandemque post 48. horas liquor supernatans decantetur & per chartam emporeticam filtretur. Hujus liquoris aperitivi drachmæ duæ, & deinceps tres aquæ fragariæ & petroselini singularum unciis tribus diluebantur & istius mixturæ cochlear unum mane atque vesperi cum haustu jusculi carnis insulsi ac tenuis quotidie assumebatur, postquam decem pilularum seqq. cum pauxillo sirupi papaveris erratici vel violarum deglutitæ fuerant. ℞. Diaphoret. ♂lis ʒij. lap. canc. præp. milleped. præp. ana ʒj. flor. salis ammoniaci cum hæmatitè sublim. ℈j. sal. vol. lumbr. terrest. cinnabar. nativ. præp. ana ℈ß. extract. trifol. fibr. ʒij. ol. terebinth. gutt. iv. m. f. cum elix. aperit. Claud. pil. N. 260. conspers. pulv. glycyrrhizæ. His medicamentis per integrum mensem assumtis, tumor œdematosus totius tibiæ discussus & cruris supra genu paulatim magis emollitus, seroque multo ex subortis in toto femore pustulis prurientibus indies effluente, valde diminutus fuit ac tandem penitus disparuit, viribus corporis & appetentia ciborum redeuntibus, postquam ex salubri consilio Dn. D. Joh. Georgii Gmelini & Joh. Casp. Herlini Serenissi. Ducis Wurtembergici Archiatrorum celeberrimorum, (qui in auxilium vocati, suum de hoc affectu judicium erudito calamo ad ægrum perscripserunt) Essentia mumiæ & fuligins Claud. mane, vesperi & noctu assumta, & in prandio sal volatile oleosum Sylvii exhibitum, ususque pilularum seriducarum ex Massa pilul. de succino Crat. resin. jalappæ, mercurio dulci, cinnab. nativa præp. & extracto resinoso ligni guajaci menstruatim interpositus fuit. Pristinæ sanitati sic quidem restitutus videbatur æger, qui jam genu nonnihil flectere & ob cruris imbecillitatem restitem baculo innixus obambulare poterat, propterea que sub aere pluvioso atque frigido rheda vectus, negotia in vicinis pagis curavit & domum rediens, accedente animi excandescentia, mox febrem continuam contraxit, cum cruris dextri inflammatione, dolore ac tumore, qui brevi totum pedem occupavit & circa genu maximos crutiatus induxit: Pulvis bezoardicus. Sennerti cum antimonio diaph. & nitro depur. mane atque vesperi datus, febrem quidem sustulit, & spiritus vini cafuratus atque crocatus inflammationem cruris discussit, sed tumor atque dolor in

in eodem maximam molestiam creavit; rediit igitur æger ad usum liquoris aperitivi & pilularum resolventium, interpositis catapotiis seriducis supradescriptis, quavis septimana semel assumtis, ex quorum usu rursus quam plurimæ pustulæ serosæ & prurientes in crure subortæ fuerant, e quibus scalpendo læsis serum limpidum & acre copiose profluxit, atque ita tumor dolorque paulatim diminutus, tandem penitus disparuit, remanente saltem cruris imbecillitate & tumore circa genu duriusculo ac œdematoso, qui genu inflexile reddidit & admoto spiritui vini cafurato permixtoque salis ammoniaci vinoso nequicquam cessit, tametsi decocta lignorum cum pilulis ex antimonio diapho. lap. Cancr. & mercurio dulci, mucilagine tragacanthi subactis, pro sudore leni alternis diebus eliciendo simul hausta fuerint. Jussi tunc fonticulum in brachio sinistro excitare & alterum in crure consolidare, simulque suasi usum Thermarum Serpentinarum ad Sualbacum sitarum, qui tamen ob impedimenta varia in proximum ver sequentis anni dilatus fuit & tandem æstate præterita admissus, tam felici cum successu, ut æger, depositis fulcris subalaribus, quibus innixus obambulabat, cum scipione incederet, tumore prorsus discusso, sed genu adhuc dum inflexili permanente. Hinc sponte sua ex Thermis Serpentinis ad Wisbadenses transiit & ibidem, cum vix una vel altera vice iisdem usus fuisset, febrem contraxit continuam non sine cruris dolore, quo tamen post fugatam brevi febrem cessante, domum incolumis rediit & paulo post longum iter sine omni incommodo confecit, jamque abjecto scipione, facile, etiam per acclivia obambulat, hoc vere ad Thermas Emsenses profecturus, ut earum adminiculo, favente Divina Clementia, pristinam genu flexibilitatem recuperare possit. Cum præterita æstate hunc Virum Nobilem inviserem, vocabar ad juvenem 19. annorum, qui pauperculis parentibus natus, ante aliquot annos contraxerat in femoris dextri parte externa paulo infra coxam tumorem pugni magnitudine durusculum, minus dolentem & cuti concolorem, cui varia topica frustra per aliquod tempus applicuit. Tandem Medicaster eundem cultro aperuit, effluente magna seri cruenti copia & post aliquot dies sequente pure albo atque spisso. Vlcus dein sua sponte fuit consolidatum, pes autem circa talum sensim ad genu usque intumuit, (digitorum impressorum vestigiis in eodem aliquandiu remanentibus) nec ab initio doluit, postea vero tumor iste œdematosus indies augmenta capiens, in altero quoque pede conspectus fuit, dolore tandem succedente in utroque valde molesto. Anno sequente ex femoris abcessu sua sponte

rursus

rursus aperto prodiit pus varium, male olens, cum dolore cruris osteocopo, dies noctesque urgente, adeò ut circa finem præteriti anni æger continuis hisce cruciatibus & vigiliis defatigatus, superiore corpore contabuerit sensim, & pedibus ad genua usque monstrosè intumuerit, protuberantibus in metatarso & ipsis pedum digitis tumoribus subrotundis & molliusculis, sine ulla inflammatione, e quibus non minus ac digitorum valde tumentium interstitiis serum tenue per cutis poros largiter transudavit, ita ut paucarum horarum spatio multiplicia lintea pulvinaris instar pedibus supposita undique maduerint. Ipsi sero graveolenti multos vermiculos ascaridum innatare vidi, qui suis motitationibus molestum cutis pruritum intulerunt. Retulit autem mihi æger ad genua usque valde emaciatus, sese sudoribus nocturnis Tantalea siti dies noctesque, quas in sella ab integro fere anno sedendo miserrime transegerit, admodum divexari, & paucam urinam, eamque valde tinctam ac lixiviosam emittere. Pulsus debilis, frequens & inæqualis erat: Vires valde prostratæ: Somnus brevissimus: Pedes adeo tumidi, ut eos duabus manibus meis complecti non potuerim. Venæ varicosæ hederæ instar per genua proserpebant. Aliquot diebus post discessum meum æger fractis penitus viribus placide vita defunctus est.

[*Missæ d. 12. Julii 1702. Marpurgo Norimbergam.*]

OBSERVATIO CXXVI.

Dn. D. GEORGII TOBIÆ DURII.

De Morbo caduco curato.

PErillustris Adolescens Liber Baro à S. Literis & Stemmate præclarus, ultrà annum paroxysmo epileptico seu morbo caduco certis temporibus, singulis ferè mensibus, noctu maximè corripiebatur, sensibus internis privatus, cum motu convulsivo totius, arctâ collisione dentium, spumâ circà os &c. Augustam ad studia cum veniret, curæ meæ se subjecit. Cum Moderator Ipsius nullam potuerit allegare causam externam occasionalem, Dominus Parens autem vix octodecim ætatis annos excedens à quercu in terram delapsus & vehementi concussione vertebrarum dorsi per plures annos contracturam omnium membrorum antè conjugium passus sit, in conjugio nec-

necdum perfectè curatus, dispositivam causam procul dubio præbuit hæreditas à semine paterno principio corporis activo, ut à tali concussione spinalis medullæ & ipsius succi neruei minùs analoga textura Proli quasi implantata, & concurrente forsan vitio sanguinis materni progressu ætatis in actum evecta sit, ut à succo acido austero spumescente, acrimoniâ & mordacitate suâ, vel qualitate pravâ maligná meninges & nervorum principium vellicante, pungente, constrictionem quandam meatuum inducente, partesque sensiles & ipsum Archæum ad noxii expulsionem stimulante, hostis per motus convulsivos expulsus fuerit, in quâ confusione cerebri constrictivâ Spirituum sensificorum occlusio & privatio necessariò secuta sit: Particulæ autem acidiores & acriores post primum paroxysmum in succo nerueo adhuc relictæ, & non omninò discussæ, una cum aliorum succorum miscellâ mediante circulatione sanguinis per exilissimas cerebri vasorum ramificationes à reliquâ sanguinis massâ secedentes, & minus facilè per exiguos cerebri canaliculos aut tabulos circulantes nervis rursùs advectæ, & quasi in & per nervos appositæ sunt, ut novus & plurimi subsequentes paroxysmi excitati fuerint. In curâ omnium primò commendavi exactam diætam, np. ut vitaretur aër crassus, nebulosus, palustris, fœtidus, nimium frigidus, caput non exponeretur æstivis solis radiis, nec nocturnis Lunæ, sed benè esset tectum, cibi essent boni succi, facilis concoctionis, & pauci excrementi, exuluent carnes muriâ conditæ, fumatæ, maximè verò coturnices, quas Plinius lib. 10. cap. 23. damnatas in mensis prodit, propter morbum comitialem quem sentiunt, sic alaudæ multitudine ingestæ sæpius excitarunt motus convulsivos spasmodicos, ut passim testantur Authores, fugeret nimium acida, cruda, austera, fructus horarios, pisces lutosos, lacticinia, caseum, cæpas, allium, & maximè saccharata, ne fœculentiæ terrestres, acidæ, cumulatæ, indutâ corruptione, malignitatis idæas prodant, & plura diversaque vaporum pravorum genera, vires & energias spirituum mineralium æmulas de se spargant, & neruorum genus aggrediantur: in potu relicto vino, concedebam cereviſiam tenuem defæcatam minimè acidam, aut decoctum ligni sassafras, radicis chinæ cum pauco cinamomo &c. circà animi pathemata fugienda est ira & terroris subitanei incussio, cum sanguinem & humores exagitent, Spiritus confundant, imò solæ potentes sint, horrendum hoc morbi genus, triste invasionis spectaculum, dare & ejus finem, ut inquit Heurnius de morbis ca-

pitis cap. 22. mole minimum, vi tamen maximum producere. Ex fonte pharmaceutico desumpta remedia erant sequentia : in paroxysmo spiritus salis armoniaci succinatus, aut essentia succini, aut liquor cornu cerui succinatus, si intus propinari amplius non possent, nares statim iis aut Oleo ligni coryli Rulandino irrigentur : interea ocyssimè inter dentes inseratur bacillus liquiritiæ, aut radix pœoniæ, lingua & palatum inungantur theriacâ cum castoreo, nucha & spina dorsi oleo lumbricorum, succini, de castoreo &c. Extrà paroxysmum ℞. radic. valerianæ sylvestris ʒij. semin. pœoniæ, diaphoretici Jovialis ana ʒj. talor. leporis rec. exempt. & ust. ℈ij. sanguinis draconis, carbona tiliæ, nuc. muscat. ana ℈jß. Pulv. Cephalici Michaëlis ʒjß. M. F. pulvis. Solent enim pulveres tales specifici absorbentes particulis heterogeneis in neruos denegare ingressum, & cum Hermetici epilepsiæ causam & imprimis malignitatem ejus non sine veritate profiteantur esse vaporem quendam mercurialem vitriolatum ex tartaro impuro, seu ex mucilagine æruginosâ in aliquâ cavitate corporis collectâ expirantem, qui aciditate vitriolatâ funestas indè convulsiones excitat, maximam curationis spem ponunt in cinnabari, quam Celeberrimus Crato magnetem epilepsiæ vocat : prædictus pulvis sumebatur ex uno aut altero cochleari aquæ sequentis : ℞. Aquarum flor. tiliæ, flor. lilior. convallium, paralyseos, betonicæ cerasi nigror. ana ʒjß. Confection. Alckerm. ʒij. ita ut de pulvere omni manè, quantum cuspides duæ aut tres cultri capere possunt, sumatur. Noctu antè ingressum lecti magnitudine nucis muscatæ de Electuario hoc sumat : ℞. Conserv. flor. pœoniæ ʒiiij. Theriacæ Smaragdinæ ʒiß. M. Singulis mensibus ante plenilunium pilulis his num. x. utatur : ℞. Extract. Cochiar extr. rhabarb. balsami aloet, ☿. dulc. ter sublimat, ana ℈j. Mag. Jalapp. gr. XV. Salis succini volatil. ℈ß. C. ol. lign. coryli f. pilul. num. LX. deaur. D. ad scatulam. Continuata sunt hæc remedia per 10. menses sine intermissione, dein paulò immutata sunt omissis pilulis : ℞. Ungul. alcel. talor. leporis rec. exempt. & ust. ana ℈ij. Nuc. muscat. ʒj. sacchi cand. alb. ℈iiij. M. F. pulv. dividendus in doses æquales num. Xiiij. ad totid. distinct. chart. : Singulo mane sumendus, in vehiculo sequenti. ℞. Aquarum cerasi nigr. flor. tiliæ, flor. lilior. convall. flor. pæoniæ, lauendulæ ana ʒiij. M. In eâdem aquâ sumantur noctu antè somnum Spiritus vitrioli philosophici guttæ ʃ. aut plures, quem Petræus in Nosologiâ verum hujus morbi alexipharmacum nominat, specificâ enim,

ut

ut loquitur, proportione, quam cum affectu hoc habet, citissimè ac felicissimè eum resolvit, quod etiam Carrichterus, Paracelsus, Hasfurtus, Thirmair & Alii confirmant. In prandio & cænâ utatur gelatinâ. ℞. Rasur, cornu cervi ℥iij. rasur. ungul alces ℥iß. Aquam ceras, nixa Flor. tiliæ, fl. lilior. convall. fl. lavendul. fl. pæoniæ ana ℥iiij. ma. q. s. M. s. l. a. gelatina. Remediis hisce per 14. menses continuatis, servatâ simul bonâ diætâ paroxysmus sensim emansit, & per plures annos dum hæc scribo, non amplius rediit. Magna tribuitur vis antiepileptica fabæ S. Ignatii ad mentem Doctissimi Valentini, Professoris Gissensis, quæ cum rara adhuc sit, experientiæ relinquitur.

OBSERVATIO CXXVII.

Dn. D. GEORGII TOBIÆ DURRII.

De Vermiculis cum urinâ cruentâ putridâ excretis.

ANNO 1701. accepi literas à Domino Doctore Johanne Georgio Stiegler, Physico Hochstettensi, sub dato 21. Decembris, sequentis tenoris: Electoralis noster Quæstor, Dominus Wenzelius, die 13. Septembris hujus anni, postquam prandium cum appetitu sumpsisset, & corpus circâ vesperam ambulando recreasset, ad suos Domesticos reversus magnam sentiebat dolorem in ventre, quem ego pro passione colicâ, judicans, clysterem applicare jussi, oblatâ simul potione anticolicâ, secuto postea magno levamine & somno quietissimo, manè expergefactus, emisit urinam cruentam cum copiosâ quantitate sabuli rubri & materiâ putridâ, in hâc autem putredine observavi vermiculum adhuc vivum, quo cum urinâ ejecto omnis dolor evanuit, & usque ad 14. hujus mensis omnis doloris expers perstitit; hoc die autem pristinus dolor rursus se insinuabat, usurpatis verò prioribus medicamentis denuò duo similes vermes visi cum urinâ cruentâ & multo sabulo albo ejecti, evanescente omni dolore, nunc benè valente Ægro; cum itaque Casus iste mihi rarissimus sit, origo & causa mihi ignota, rogo D. Doctoris judicium, quomodo talis vermis generetur, in vasa urinaria perveniat, & præservari possit &c. Cum itaque in scholio ad observationem meam, quæ est XCV. decuriæ tertiæ anni V. & VI. seminium verminosum, generationem, & vias ad vesicam jam exposuerim, ad illorum formam responsum dedit,

(*Exhibitæ Augustæ Vid. d. 12. Augusti. A.* 1702.)

OBSERVATIO CXXIIX.

Dn. D. MATTHAEI BLAW.

De Artemisiarum carbonibus.

DIversissimas easque admirabiles esse in rebus sublanaribus proprietates, virtutes & operationes, id omnibus ac præcipuè rerum physicarum contemplatoribus curiosis est notissimum, etsi non semper ex rationibus & priori, saltem à posteriori & experientia frequentiori demonstrabile, tum ex Zoologia, tum mineralogia, tum phytologia. Ex hac ultima inter alia quàm plurima curiosorum consideratione digna est inventio carbonum sub radicibus herbæ artemisiæ.

Authores Botanici tam veteres quàm Recentiores quò ad carbones istos inter se non conveniunt, dum multi sunt, qui in descriptione hujus herbæ mentionem nullam faciunt de carbonibus sub radice inveniendis, sed prorsus abstrahunt, nec dicunt, utrum inveniantur, vel non; propterea fortassis, quod vel notitiam hujus rei nullam habuerint, vel experimentum nullum sumpserint, vel in dubium vocarint, aut non crediderint, sicque in descriptionibus suis botanicis huic rei melius tacendo supersedere voluerint.

Alii quidam Botanici, inter quos *Verzascam* & *Samuelem Müllerum* adduco, dum *artemisiam* ejusque virtutes describunt, mentionem quidem faciunt de istis carbonibus, sed eos inveniri prorsus negant & quemadmodum nonnulla superstitiosa de herbæ hujus viribus antiquitas tradidit, hoc pro anili fabula tenent, ac propterea ad ludibrium, carbones hosce *stultorum* vulgò, Narren Kohlen vel Narren Stein nominant.

Sunt verò econtra quidam alii fide digni Botanici, qui asserunt carbones, & quidem in Die Divo *Johanni Baptistæ* Sacro seu 24. Mensis Junii sub radicibus artemisiæ inveniri, quorum pulverem contra Epilepsiam singulariter recommendant; inter quos est *Schröderus in suo thesauro pharmacologico lib. 4. Class. 1. Num. 4.* quod etiam *Excellentissimus D. Georg. Francus, in suo Lexico vegetabilium* confirmat. Et profectò in dubium non immeritò vocari hæc res posset, cum incredibile videatur, quod sub ipsa terra ex se sponte carbones enasci possint, qui alias nihil aliud quàm lignorum non integrè in cineres combusto-

bustorum effectus sunt. Hinc conjicere posset aliquis, etiamsi carbones inveniantur aut inventi sint, id casualiter contigisse, non quod sub terra ad herbæ radices enati, sed aliunde injecti sint, exemp. grat. cum fimo, quo agri & campi ad impinguandum & majorem fertilitatis usum acquirendum supersterni solent; vel eundem in finem ligna accenduntur in agris & comburuntur.

Ex his apparentiis Ego, ut verum fatear, tam credulus esse nolui, ut adducar ad credendum carbones ejusmodi reverà inveniri aut nasci sub artemisiæ radicibus, sed semper existimabam ridiculam esse fabulam & dignæ irrisionis seductionem, quemadmodum illa est quâ spargunt quidam, quod initio veris primò hirundinem volantem aspiciens, si sub pede sinistro terram effodiat, carbonem inventurus sit. Postquàm verò curiosius hanc rem investigavi, & experientiam sumpsi, hæc rei veritatem detexit, & nullum esse figmentum, sed verissimè carbones istos inveniri, sæpius expertus sum; imò evenit mihi quemadmodum Excellentissimo *D. Doct. Ettmüllero*, qui in Schröderi dilucidati phythologia pag. m. 13. de herba artemisia sequenti "scribit modo: *Carbones*, quorum meminit *Author*, commendantur "ad Epilepsiam; & ex experientia scio, verum esse, quod semper "putavi anile figmentum, vidi tales carbones & infantem Epilepti- "cum illis, cuspis cultelli quantum capit, curatum novi. Quæri- "tur die festo Johannis Baptistæ zwischen 12. und 1. Uhr / unter dem "rothen Beyfuß sträuchen. Legantur *Petræus in Dissertat. Nosologicis*, "& probatos videmus in praxi *Joelis cap.* de Epilepsia.

Ego annis aliquot præcedentibus semper assignato die 24. Junii exivi cum aliquot Studiosis ad quærendum ejusmodi carbones, quos etiam ad satisfactionem nostram invenimus, eorumque nonnullam partem domi reservavi, horam verò tam exactè non observavimus, sed tam ante prandium, quam in meridie & post meridiem eos reperire licuit, aliis verò diebus & mensibus non apparuerunt. Hoc est quod admiratione dignum: sed quis omnium rerum naturalium proprietates & essentias à priori explicabit? certè temporum mutationibus, maturationibus, constellationibus & solis cursui aliquid attribuendum, quòd effectus quidam mirabiles sequantur, qui tam à posteriori & experientia nobis constant, causæ verò sunt ignotissimæ.

Sic quod in quibusdam animalibus generentur & inveniantur certis temporibus ac ætatibus certi lapides certam habentes figuram,

non instar calculorum in humanis corporibus præter naturam genitorum, sed naturali prorsus modo & multis usibus applicandi, notum est omnibus, quamvis causæ haud innotescant. Sic quod certi lapides sub diversis figuris & imaginibus inveniantur in latomiis seu saxifodinis, latet neminem, sed hoc mirabile potius est, quam perscrutabile. Sic ex agris Badensibus in Ergoia effodiuntur ex terra aleæ artificialibus omninò similimæ. Sed (nisi dolus lateat) quis earum originem & causam naturalem explicabit? sic innegabile est & experientia certissima notum, quòd thesauri sub terra absconditi certis annis in superficie camporum vel agrorum (sub quibus sepulti longo tempore jacebant) appareant, prout non rarò integri numorum antiquorum acervi reperti sunt, & paucos ante annos in agro *Insulæ Augiæ divitis* circa lacum *acronianum* ingens olla nummis variis & perantiquis (quorum aliquos ad manus meas recepi) repleta ab agricola reperta fuit. Sed quæ causa sit, cur certorum annorum cursu saltem tam ponderosa moles è profundo, sua sponte, vel ex cujus motu ad superficiem feratur, & rursus dispareat, est equidem inexplicabile, nam hæc & ejusmodi alia admiranda sunt, naturæ arcana nobis ignota & inperscrutabilia.

Quòd autem casualiter tantum carbones sub artemisiæ radicibus inveniantur, minimè credendum; eò quòd non modò sub una sed pluribus radicibus diversis, in locis longè dissitis reperti sint, neque sub aliorum herbarum radicibus artemisiæ proximis carbones ullos invenire licuit.

OBSERVATIO CXXIX.

Dn. D. MATTHÆI BLAW.

De Mira virtute radicis verbasci antiapoplectica.

PRæcedenti observationi aliam subjungere placuit, quæ similem continet materiam haud omnibus fortassis notam. Latent nimirum subinde arcana certis in vegetabilibus & virtutes admirandæ, quarum effectus nemo aliter nisi ex se ipsis & ab experientia demonstrare aut explicare potest qualis est mira virtus *antapoplectica*, quæ latet in radice *verbasci maris*, quæ illâ die, quando sol ingreditur signum *leonis*, quæ est 28. Mensis Julii, manè ante solis ortum è terra effoditur, hæc probe

lota

lota sindoni includitur & collo appensa instar amuleti gestatur & ab apoplexia præservat. Volunt quidam, radicem auro effodiendam esse & non alio instrumento; sed his nihil attribuo, quia vegetabilium virtutes non instrumento, quo effodiuntur aut abscinduntur, sed potius proprietati intrinsecæ & maturationis tempori adscribendæ videntur. Norunt omnes experti philiatri, apoplexiam ex illorum esse morborum genere, quos hæreditarios vocant, & qui ex parentibus in filios caractere seminali propagari possunt, ita ut certo stemati fatales esse, aut ita natos disponere soleant, ut eidem morbo magis sint obnoxii, in hisce ergo subjectis aut ex aliis causis ac signis ad apoplexiam dispositis ad præcavendum meritò adhibentur antapoplectica, inter quæ ab experientia compertum est, maximæ prædictum amuletum esse efficaciæ: præter hoc tamen suadeo alia quoque interna & quæ pro diversa constitutione subjecti aut causæ, à qua apoplexia produci potest, directa sunt, non esse intermittenda, ut si exemp. grat. sit quidam valdè pletoricus, & ad apoplexiam sanguineam dispositus, sanguinis quantitas excessiva per venæ sectionem certis temporibus instituendam detrahi conveniente poterit. &c. Retuerunt mihi viri fide digni, fuisse quendam *Marchionem Badensem*, qui non tantum appoplexiæ erat obnoxius ex stemate, sed etiam ejus insultum perpessus sed restitutus, huic, ne recidivam patiatur, pro arcano remedio præservativo suadebatur hoc amuletum ex radice verbasci maris dicto tempore effossum collo gestandum, quod per plurimos annos ad senium usque portavit, & à vetero ioribus insultibus appoplecticis immunis permanserat; sed dum aliquando mutaret vestimenta, & amuletum ex oblivione incautiùs deposuisset, illicò apoplexia forti denuo tactus occubuit.

Novi Ego diversos Viros apoplexiæ obnoxios, quibus hoc remedium præservativum pro arcano suasi, nec frustra; quamdiu enim amuletum gestarunt, nil mali ex hoc affectu iisdem obtigit. Quod autem amuleta aliquid valeant, minimè negandum, quia experientia multiplici constat & practicis omnibus notum est. Sint alii, qui herbarum virtutes qualitatibus adscribant iisque, certos caloris aut frigoris, humiditatis aut siccitatis gradus assignent; Ego tamen experientiâ edoctus, firmiter mihi persuasum habeo, valere in iisdem virtutes appropriatas, quæ qualitatibus prædictis adscribi minimè poterunt. In quibus autem virtutes appropriatæ consistant, res est altioris indaginis.

(*Friburgo Brisgojæ Augustam Vind M. Sept. A. 1702. missæ*)

OBSER-

OBSERVATIO CXXX.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Mira Labiorum intumescentia.

FIlia honesta, parvæ staturæ, ac emaciata, XVI. annum agens Anno 1701. Mense Februario, cœlo pluvioso ac nubiloso, plateam perambulavit, Insciâ ipsâ; Labia, superius & inferius derepentè ita intumerunt, ut farcimina ferè æquarent, colore intensè rubente, imò ad livorem inclinante, nullam tamen tensionem Dolorem, aut aliud incommodum passa est; hinc animis Parentum ac Propinquorum tenacissimè infixa hæsit opinio, deformitatem hanc à fascinatione productam fuisse, cùm nulla satis apparentîa naturalîa adfuerint indicia. Sed diligentiùs & exactiùs examinata, ingenuè fassa est, duos vel tres Menses demum ab impetigine ac ulcusculis colli manantibus fuisse liberatam, Lunareque tributum nondum persolvisse. Facilis hînc fuit conjectura, tum ab istis suppressionibus, congregatione plurimarum particularum heterogenarum salinarum, acidarum, in massa sanguinea stabulantium, quàm & ipsâ Plethorâ originem suam traxisse. Succurri itaque remediis materiam hanc evacuantibus, sanguineam massam edulcorantibus, imò & Emenagogis; Externè Sacculum discutientem ac resolventem applicui. Evanuit hinc tumor planè intra quatuor dierum spatium, eodem, absque dolore, vel tensione, modo, vel aliquo stigmate relicto; Sed non diu moras egit, recurrebat enim unius mensis revolutione, iisdem circumstantiis, ipsa non percipiente; Hostem hunc iisdem ferè aggressus sum armis, quem, sed cunctantîus, vîcî: Institi sed incassum, pharmacis menses provocantibus, massam sanguineam salsam, torpidamve excitare laboravi: Tumor quidem erat sedatus, sed rivuli uterinum fundentes cruorem operti perseverarunt. Ulterius medicamentis uti recusabat, cùm optima se nunc perfrui valetudine asserebat: Quanquam confirmata reconvalescentiâ non nisi Mensibus sine dubio brevi tempore, fluxuris, sit speranda.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXI.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Secundinarum in Nævis maternis delendis noxa.

PRo maternorum Nævorum extinctione universus ferè Practicorum Chorus, secundinam vel propriam, vel sanguine propinqui cujusdam pueruli primipari in scenam producit, satisque extollit. Sed quod nuperrimè accidit, fideliter communicabo. Fœmina, Nobili stirpe nata, à glire prætereunte, & hujus manum caudâ suâ tangente, maximè perterrefacta prolem, cætera sanissimam, sed caudæ gliris stigmate in manu cum pilis exactissimè signatam, in lucem produxit. Anxia mater, ad deformitatem hanc tollendam, plurimorum suasu, secundinam cognatæ cujusdam calidam adhuc applicuit. Sed quo successu? Sanè siniſtro: Vix enim cùm apposuisset, totum ipsius brachium tumefactum, imò inflammatum, infantem debilem ac febricitantem deprehendit, ita ut sphacelus jam jam immineret. Animadvertens hæc, secundinam statim removit, sanguinem abluit, brachiumque convenientibus fovit, majus hinc evitavit damnum, restitante hæreditariè illo Charactere impresso, & adhuc dum vitam optatissimam agit.

OBSERVATIO CXXXII.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Rosis Proliferis.

GRatissimus penetrantissimusve Rosarum odor, omnia replens, naresque nostras ita suaviter feriens, & non nisi ii, quorum Odoratus peculiari Antipathiæ stigmate exustus est, adversantur. Hinc sua suavitate allicientes, omnium manibus teruntur, ac non nisi summa cum admiratione tractantur. Notæ sunt naturales ac ordinariæ ipsarum

rum constitutiones, quæ à naturali tamen sua via ac statu, vel in excessum, vel in defectum nonnunquam declinant: Idem quod in omnibus tribus Regnis naturalibus observatur, quorumque subditi testimonia proferre non cunctabuntur. Defectum suo loco relinquimus. Excessum autem in Rosis Proliferis Cl. *Sigism. Gras. in Ephemerid. Medico-Phys. German. Dec. I. A. IV. & V. obs. 94. p. 94. & 95.* Satis jam clarè aliquot exemplis demonstravit. Hisce hanc nostram, majoris dilucitationis gratia, ac tanquam parallelam subjungimus. *Rosa* nostra *rubra pallidior C. Baubino* audit. Producta est in horto unâ leucâ ab urbe nostra distante, non socia, sed unica: Accipe veram ipsius descriptionem: Rosa hæc colore ab aliis hujus speciei non differt, paucioribus ornata foliolis, verùm latioribus, non ita fortem & suavem, ac aliæ spirat odorem; Involucrum seu calicem apertum, quo nititur, quinque folia constituunt, ejusdem ac in caule figuræ; Ex Umbillico, seu medio Antheræ assurgit cauliculus tener, foliolis subtilibus instructus, cui impositus calix roseus, ejusdem albo-virideſcentis cum caule coloris, ex quo rubedo quædam, Rosæ nondùm evolutæ intus contentæ, emicat. Aspectu sanè jucundum! Caulis foliis latioribus gaudet, spinis majoribus caret, minoribus tamen armatus est. Ejusdem fruticis Rosæ calicem etiam folioſum haberet, Antheræ elatiores ac eminentiores aliis sunt quam Fig. XXI. delineata exhibet. Differt autem hæc nostra à Cl. Grassii demum memorata in hoc, quod calix nullis tantis ornamentis foliaceis sit instructus; Caulis Rosæ proliferæ non ita longus, ac nostra excrescens calice adhuc sit circumdata, tantaque foliorum florum congerie non instructa. Addimus adhuc unam *die 22. Augusti.* in horto Urbis nostræ quodam excluſam, quæ secundùm *C. Baubinum*, ad *Rosam maximam multiplicem* referri potest. Caulis illius solitò crassior, nullis foliis ornatus. Calix Rosam ambiens quinus foliaceus est; Florum foliola caulem ambientia satis frequentia sunt, ex cujus medio tullio novus exsurgit caulis, aliam ostentans, ejusdem cum inferiori coloris Rosam, nullo tamen calice munitam, ex hac adhuc mire prodiisse cernitur fasciculus foliorum minutorum ipsius fruticis pulchrè virescentium, & quod admirationem auget, folium longius protensum subrusum, non parùm totum Rosæ hujus multiplicatæ σύνταγμα condecorabat, quod accuratius proximè appoſita Fig. XXII. exprimet ac indicabit.

OB-


Fig. XXI. pag. 250.
Fig. XXII. p. 250


EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

OBSERVATIO CXXXIII.

Dn. D. JOHANN HENRICI HOTTINGERI.

De Gravidæ cancrorum nimio appetitu, in Infantem propagato.

MAtrona Nobilis in utero gerens, summo quondam Cancrorum appetitu flagrans, imò quasi ardens, in eorum esu fræna sibi laxavit, ac ad satietatem usque comedit, quod factum presso, ut ajunt pede, Diarrhæa impetuosissima secuta, sed mox iterum sedata est; Mater postea toto gestationis tempore nunquam horum repetiit esum & usum prosperrimeque vitam peregit; Appetitus autem hic non in matre solùm substitit, sed in Fœtum seu puellam exclusam transplantatus quasi, quæ tanta gammarorum assumptione delectabatur, ut etiam vivos, nisi remoti fuerint, aggredi ac devorare non dubitaverit, idque per totum vitæ ipsius curriculum, cui septimo ætatis suæ anno finem imposuit.

OBSERVATIO CXXXIV.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Flatuum per membrum virile copiosa eruptione.

VIr quidam honestus, ante novennium castra in Gallia secutus, in Flandria morbo Epidemio dysenteriâ grassante, & ille eadem lue inficitur; Sitim intensissimam frigidâ sedare sategit, sed malum magis magisque invaluit; Medici cujusdam castrensis imploravit operam, qui pro fluxu hoc compescendo, omnem impedit laborem, quem scopum mox est assecutus, sed siniſtro planè effectu, symptoma quidem ablatum, morbus verò deterior redditus, ita enim debilis factus est, ut ulteriùs gressus facere nequiverit, sed lecto firmissimè adnexus fuerit, imò corpus Tympani instar intumuit, mugitus ac flatus

summis cum cruciatibus percepit, qui aliquandiu ibi subsistiterunt, ut ultimum agere halitum adstantes crediderint ; Mox non solùm per inferius guttur, sed majori cum impetu per fistulam urinariam, cum maxima quantitate materiæ viscosæ eruperunt, tumor hinc ac dolores sensim remiserunt ; Flatuum horum emissionem Medici varii generis remediis, sed frustra tentarunt : In Patriam redux, multorum Medicorum præscripta Medicamenta diligentissimè ac avidissimè assumpsit, malo autem hoc in pristino perseverante statu : Uxorem duxit, matrimonium tamen hactenus sterile est ; Me accedens, dicto modo casum enarravit, ac se nunquam vesicam exonerare posse, absque talium ventorum urinæ permixtorum, ac cum vehementis sibili associatione, retulit. Sanus cæterum est, & suo seduló perfungitur officio. Consilium ac opem à me efflagitavit, cui, prognosi tamen præmissa, deesse nolui. Carminativa, Balsamica, diuretica, &c. magno cum levamine, ac mali diminutione ei propinavi, eodemque tempore, quo medicamentis utebatur, nihil incommodi percepit, sed mox cùm ab iis destitisset, diætam inordinatam, minusvè convenientem observasset, cibos flatulentos ac δυσπέπτους assumpsisset, præsto, non tamen uti olim vehemens, erat. Pharmacis hostem de novo semper cum morbi allevatione, aggressus sum, hinc eum ad Thermas Fabarienses, pro earum interna assumptione, & quidem feliciter, relegavi : Primò cum hausisset, multùm saburræ viscidæ, lutosæ cum flatibus per sedes excrevit, diarrhæamque vehementem ipsi procrearunt, hinc affectus seu flatuum eruptio planè ablata est, nisi quod adhuc aliquid materiæ viscidæ cum urina prodeat : Lætus ac Vegetus, nunc recuperata utitur sanitate.

(*Tiguro Augustam Vindelicorum d. 23. Septembr. A. 1702. missæ.*)

OBSERVATIO CXXXV.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ de WENCKH.

De Ligno Lentiscino.

DUo jam anni sunt, ubi occasionaliter ex lectione novorum Italicorum ad nos in Styriam transmissorum, incidi in amplissimas laudes cujusdam medicamenti, in illis locis practicati, ita quidem ut re-

ut redeuntes ad nos tam ſæculares quam Eccleſiaſtici Viri, virtutes & multiplices probas, ſat ſuperque enarrare vix valerent; imo in tantum medicamenti hujus laudem extollebant, ut auri potabilis vegetabilis nomen ei conſecrare non erubuerint.

His ab advenis noſtris noviter auditis, & probè examinatis, tandem Curioſitate ductus ad viros noſtros religioſos, artisque pharmacevtices Studioſos pro hoc tempore ibi morantes, ſedulò & circumſpectè ſcripſi, tandemque per officium hoc meum literarium eò rem deduxi, ut quidam Religioſus fideliter mihi reſcribens, reſponderit, medicamentum hoc nihil aliud eſſe, quàm alicujus ligni infuſum ſeu decoctum. Poſt aliquos verò menſes, totum opus idiomate Italico per Pharmacopolam reſcivi. Examinavi rem per praxin & in infirmis meis tantam inveni in remedio virtutem & in miſeris conſolationem, ita ut me diutius temperare nun potuerim, quin non omnibus in Germaniâ noſtrâ æque in ſolatium proximi, publici juris facerem.

Remedium autem Lentiſcus eſt, qui Arabice dicitur Daru. Copioſe naſcitur in Inſula Chio, in Candiâ, Cypro, & aliis Inſulis Maris Ægei: Naſcitur pariter in Italia ſine Cultura, ſed optimus Cenſetur ille pro uſu Medicinæ qui in Inſula Chio creſcit, quamvis, qui alibi provenit, non ſit ſpernendus.

Hæc ſtirps una ex plantarum numero eſt, quæ folia nunquam amittit, ſed perpetuo virore viget; Cortex in tota ſtirpe (maxime recens) rubeſcit, rami ſunt flexiles, tenaces, glutinoſi & viſcidi; tam folia quam tota planta odorem ſpirat ſat gravem: Unde non pauci ejus vitant acceſſum, ne odore, Capitis dolorem & gravedinem incurrant.

Hæc ſtirps in Italia maſtichen quidem producit, ſed perpaucam, in Inſula verò Chio & Candia copioſam.

Quantum ad qualitates attinet, ſeu partes ex quibus lignum Lentiſcinum conſtat, eſt compoſitum ex quâdam eſſentiâ aqueâ, leniter calidâ, atque alio humore non mediocriter, terreſti & frigido, cujus virtute moderate conſtrictivum eſt:

Exſiccat in fine gradus ſecundi, aut principio tertii: ſed quantum ad caliditatem aut frigiditatem attinet, eſt verè æqualiter temperatum: Conſtrictivum eſt, quoad omnes ſuas partes, id eſt, tam in radice, quam ramuſculis, germinibus, frondibus, baccis, & cor-

tice, gummique seu resina; Unde temperatissima stirps est, constans mediæ naturæ.

Vires Internæ.

SUccus è frondibus prolicitus, pariter moderatè subastringit, unde per se solus aut alio permixtus medicamine propinatur in Dysenteria, aliisque alvi fluxibus compescendis, uti quam maximè hoc anno in meis patientibus summò cum fructu expertus sum.

Præterea, conducit in sputo sanguinis, Hæmoptysi, nimio præsertim menstruorum profluvio, miseris quàm sæpissimè fuit solatium; In fluxu immodico venarum Hæmorrhoidalium, nunquam me deseruit decoctum hoc benedictum ex vino & ligno factum; in his enim confirmavit me Lob. C. Bauh. Lon. & Matth.

In Arthritide & articulorum doloribus, sæpissimè Sacra mihi fuit anchora; quod idem suadet Liberat. de Liberat. in Podag. Politic. Lib. III. Cap. VI. similiter in doloribus Capitis & defluxionibus Catarrhalibus non infimum est remedium, vide Riverium Lib. I. in Prax. Med. Cap. XV.

Pro edulcoratione sanguinis & correctione fermenti esurini stomachalis, summas meretur laudes, de hoc inspecie Johannem Prævotium in Medicin. pauperum, & Benedict. Sylvaticum Cent. III. Consil. LXXXX. & seq.

In Intestinorum & Jecoris inflammationibus & obstructionibus summopere competit, ut puta secundo Orde Gal. Lib. VII. simpl. Med.

Adinventa est mirabilis hujus ligni infusio, decoctio seu Aqua, numero triplex, quæ differenti modo in usum adhibenda est.

Hæc infusio, decoctio seu Aqua, si à practicis & Medicinæ Cultoribus bene observata fuerit, non dubito quin ob miras virtutes præstantesque effectus à Clarissimis etiam Medicis, qui illas experti sunt, mereatur intitulari Aurum potabile vegetabile, quod quamvis cedat pretio illi famoso, ac à Chymicis decantato & paucis cognito, quod ex auro componitur, tamen ob miras hujus medicamenti operationes, si alteri præferendum non sit, ei tamen postponendum non est, neque auri potabilis vegetabilis nomen est invidendum, prout in suis operationibus (maxime si Cand. Lector practicaverit) ulterius & manifestus constabit.

Mo-

Modus, quo hoc decoctum ſeu Infuſio vel aqua præparatur, eſt planè admirandus, prout etiam internæ ejus vires multum diverſæ, unde etiam ſingularem diligentiam & attentionem requirit: Ut autem ex Lentiſco ſpeciales virtutes extrahantur, ſic tres exinde proliciuntur liquores omnino in operationibus ſuis diverſi.

Prima præparatio facilis eſt, prout in praxi demonſtrabitur, quia, cum ſine ullâ vi alterativâ conficitur, idcirco naturalis aqua, nullo pravo odore contaminata guſtu ſapida ac recens, quæ potui ordinario deſervit: Hæc autem infuſio, quamvis ſumatur quovis tempore, diurno aut nocturno, nunquam animadverſum eſt, ulli quovis morbo etiam afflicto, nocuiſſe, ſed ſemper magnum juvamen ægris prætuliſſe: Siquidem ſtomacho ad cibi digeſtionem maximo fuiſſe adjumento, appetitum enim provocat, cibum emolleſcit ut facilius coquatur, & in Chylum ſalubriorem tranſeat, qui huic infuſioni ſingularis eſt effectus ac primarius, uti qui Medicæ artis ſunt periti, mecum ſentient.

Prima Ligni Lentiſci Infuſio.

℞. Ligni Lentiſci ex Inſulâ Chio, aut ex partibus jam aſſignatis deportati ℥V. ſcindantur in virgulas tenues, tres digitos longas, quas ſimul in faſciculum colligatas, impone ollæ vitreatæ novæ, aut quod melius vitreo vaſculo, cui infunde aquæ communis optimæ notæ menſuras tres, vel quatuor, vaſe probè obturato, ne quid evaporare poſſit; deponantur ad locum, in quo per tres dies neque ignis neque ſolis, vel alterius caloris adminiculo caleſaciente alterari poſſit, propria enim eſt ligni hujus Virtus, ut Elemento aquæ maceratum ac dilutum ſuas brevi tempore in eam vires diffundat. Transacta trium dierum maceratione, tunc medietas effundatur in vas vitreum, ſeu vitreatum pro Ordinario potu ad libitum, tam noctu quam interdiu.

Secunda Decoctio, ſeu Infuſio. Vas autem, in quo lignum Lentiſcinum ineſt, denuo aquâ recenti repletur & probè obturatum iterum per triduum aut quatriduum, ut prius, reponitur, quibus transactis denuo aquæ dimidium ut ante eximatur pro uſu ordinario, uti ſupra; ſicque procedatur tertia vice, niſi quod in tertia infuſione vas lento igni applicetur, donec ad ebullitionem proxime accedat, tunc ab igne removendum eſt, & per tres dies aut quatuor ſeponendum,

dum, quibus transactis tota aqua pro potu ordinario effunditur, vas eluitur, & cum novis speciebus denuo, uti supra proceditur. Et hic primus liquor est, qui nobis hoc Aurum potabile vegetabile suppeditat. Hoc autem pro potu ordinario dictum est.

Cum autem caliditas ipsius nativa vivifica ac medicinalis adeò fixè ipsius substantiæ inhæreat, atque solidiori ligni substantia contineatur, ut per multos annos virtus inalterata in eo persistat, inde oritur, ut alia & altera etiam decoctio fiat, qua infirmus in suis debilitatibus stomachi aliorumque viscerum principalium defectu, pravaque dispositione, unde cibi indigestio oritur, sequunturque indè prava symptomata uti sunt stomachi dolores, alvi dejectiones, profluvia tam sanguinea quam alterius speciei, hypocondriorum inflationes, ructus ac vomitus, matricis seu hysterici affectus, defluxiones catarrhales utitur. Proinde secunda ligni hujus benedicti medicinalis decoctio modo sequenti paratur in ordine ad potentiorem medicinam.

℞. Vas aquæ optimæ, cui eadem dosis ligni lentisci, uti supra præparati imponatur, permitte per tres aut quatuor dies macerari, demum Vas igni adhibito, calore lento permitte ebullire, donec tertia aquæ pars evaporet, dein remanentiam totam una cum ligno ad usum reserva.

Ex hoc autem decocto dentur infirmo dum cubitum vadit ʒVIII. aliqualiter calefactæ aut etiam frigidæ, juxta infirmi gustum ac appetitum, totidem similiter manè dum evigilat; Hac methodo supradictos morbos sæpe sæpius summa cum felicitate curavi.

Secundus autem modus decoctionis, in ordine ad medicinam sequens est. Dum consumta fuerit primæ decoctionis aqua, denuo vas aquâ recenti impletur & triduum vase clauso sine ignis adhibitione digeritur, tunc demum igni apponitur valido, ut ad dimidium aquæ ebulliat, ac evaporet, tunc seponatur residuum & methodo superiori, ac dosi servatâ, ægro propinetur.

Hoc autem decoctum deservit ad provocandum somnum, quia leniter cerebrum humectat, excrementa emollit, præparat, ac ad expulsionem vias lubricat & facilitat, pectus quoque humectando raucedini auxiliatur & tussi inveteratæ & siccæ dulcificando ac emolliendo prodest.

Observandum autem est, quod si ligni lentisci exsiccati Copia desit, adhiberi quoque possit ligni recentis, quamvis humiditas nimia

mia aliqualiter impedimento sit, ne tam efficaciter suos producat effectus, quod in aliis herbarum plantarumque decoctis & infusis contrarium usu venit, ubi maximè recentiores expetuntur: Econtra, lignum leatiscum quò aridius ac antiquius est, tantò potentius & efficacius evadit ad suos producendum effectus, quamvis enim à decennio excisum esset, tamen nunquam corrumpitur, neque virtus ejus exanescit, sed in se vires suas firmiter diutissime retinet, easq; melius, dum annosum est, aquæ communicat ac dispensat. Dum abscinditur, eligendi sunt rami ad digiti unius aut parum plus crassi, quia aliis meliores sunt.

De Viribus Decocti hujus interni.

PRimò, liquoris hujus seu decocti primæ descriptionis virtus est ut ejus usus corpus humanum ad debitum restituat temperamentum, dum omnes humorum intemperies tollit, in iisque temperamenti æquilibrium conservat, prout ex diversis hujus operationibus experimento quotidiano probatum est, & quotidie experiri quis potest, quodque facile ex suis qualitatibus, quibus constat, probari potest, quas per macerationem præfatam aquæ impertit, unde ex illis fit potus alimentalis subtilis substantiæ, qui penetrat & omnes corporis meatus pervadit ac simul viscera omnia corroborat atque uti vinum vegetabile ac nutrimentale est, cui cum permiscetur, tanta sympathia & amicabili harmonia unitur, ut humano gustui non modicam conciliet voluptatem.

Secundo, prout frequenti experientiâ constat, plurimum conducit in antiqua podagra, Chiragra, Arthritide, aut aliis defluxionibus curandis, tam de præsenti existente, quam de futurâ præcavendâ. Confert etiam stomacho debilitato, illud corroborando, & concoctionem adiuvando.

Optimum est remedium contra ventriculi dolores, flatus ac ructus discutiendos; Contra diuturnos ac pertinaces vomitus, in phthysi, Asthmate, pravorumque pectoris affectuum potus hic sumè salutaris est.

Tertio, excellenti quoque præditus est facultate potus hic; nam si ordinarie sumatur, præcipuè si sine ignis adminiculo paratur, calculos expellit ex renibus, fermentumque lapidificans eluit, & sic à calculo præservat.

Si cerebrum siccitatis intemperie laboret, hoc potu tollitur, nam cephalicus est, unde capitis stuporem, vertigines, hemicraniam, aliosque pravos capitis affectus mirabiliter sanat & quadam sua occultâ stypticitate suas operationes peragit, quod omnes illi experientur qui diu hoc potu utuntur: Et ut cum aliis Viris Classicis loquar, revivisçere facit quatuor Facultates naturales, illas confortando, & corroborando.

Vires externæ.

FOliorum decoctum per modum fomentationis, seu cataplasmatis, cicatricum cavitates carne replet, ac ossium fracturam consolidat.

Muliebria profluvia nimia & excessiva sistit, ulcera serpentia ac corrosiva sanat, & os cum eo diluendo dentes vacillantes solidat, gingivas confortat & crescere facit.

Oleum, quod ex baccis elicitur & oleum lentiscinum appellatur adhibentur in affectibus in quibus adstrictione opus est, ut in procidentiâ ani, & uteri; scabiem sanat, sudorem provocat, & utiliter adhibetur illis medicamentis quæ lepræ curandæ applicantur. Plures hujus præstantissimi Ligni vires, usus frequens & experientia docebit.

[*Missa Græcia Norimbergam d. 11. Octobris A. 1702.*]

OBSERVATIO CXXXVI.

DN. D. JOANNIS BAPTISTÆ De WENCKH.

De duobus viris styriacis fluxum menstrualem sanguinis per penem patientibus.

INter varia & ferè innumera microcosmi phænomena, non postremum locum occupat illud, quod natura Viris quibusdam periodicam menstrua-

menstrualem sanguinis per penem concesserit expurgationem, quæ soli muliebri sexui communis est.

Exstant quidem nonnulla apud Schenckium hujus phœnomeni exempla; nihilominus cum id rarius accidat, & in præcedentibus Ephemeridibus de causa periodici menstrualis mulierum profluvii aliqua edita sint, duas de viris idem per penem patientibus Observationes in lucem producere judicavi.

Horum adhuc unus, qui propè Eggenberg Villicus est, vir Centum & quinque annorum grandævus, etiamnum in vivis existit & multarum prolium fœcundus parens qui à pubertatis anno ritè menstruale hoc tributum usque ad septuagesimum sextum annum persolvens, sanitate & viribus pollens, plures progenuit proles, & in hodiernum diem vix provectæ ætatis incommoda sentiens, sanus & robustus hilariter vivit.

Alter autem qui Civis Leobiensis erat, etiam vitâ excessit cum ad meam cognitionem pervenit, quadragesimum circiter ætatis annum attigerat, qui pari modo à pubertatis annis idem menstruum patiebatur profluvium, pluresque, quamdiu fluxus ille menstruus perduravit, genuit proles: Hoc autem cessante, cessavit fœcunditas, & supervenit infirmitas, nimirum febris lenta, corporis ematiatio, deliria, tandemque mania divexatus, ultimum suum clausit diem.

Plura in hoc Microcosmico phœnomeno naturæ curiosis consideranda occurrunt, pauca hic subjungam, quia fusius in Ephemeridibus Decur. III. Anni Quart.

An. MDCXCVI. de genuina periodici hujus mulierum profluvii causa edita sunt, quæ illorum confirmationi deservient.

Inprimis, quid periodicus menstrualis fluxus in mulieribus sit, omnibus constat, cur autem, aut quomodo in viris fiat, investigandum restat.

Certum est, naturam hanc superabundantis sanguinis copiæ per penem evacuationis viam, sicut in pluribus aliis per hæmorrhoidales venas, & in mulieribus per uteri vaginam, & aliquando per alia emunctoria quæsiisse. Unde autem illa sanguinis exuberantia in Viris proveniat, & quomodo illius evacuatio fiat, difficilioris indaginis est: Nam cum Viri fœtus conceptionis sint incapaces, ad quem nutriendum illa sanguinis exuberantia in mulieribus, peractâ conceptione, aut jam enixis, proli lactandæ deservit, atque ad uterum per arterias cum nu-

trimentali Chylo defertur, ut ibidem placentam efformet, quæ medium est, quo uteri arteriæ, ac Venæ cum arteriis & venis fœtus, per funiculum umbilicalem illuc productis, quodammodo uniantur ac succum alimentalem illis communicent, quo fœtus nutriatur & accrescat.

Quod si autem fœtus in utero non existat, neque lactet, mulierque in fœcunditatis annis constituta, nullum aliud impedimentum patiatur, menstruo passim temporis spatio, sanguinis in illius corpore exuberans copia producitur, qui vi aliquâ fermentativâ ex partibus genitalibus per refluxum communicata turgescens, suâpte natura ad vasa genitalia rapidius & uberius defertur, tanquam ad loca à naturâ fœtui nutriendo (si adsit, aut ad ubera si lactet,) destinata, illo autem absente, venarum uteri & Vaginæ oscula extendit, indeque pedetentim effunditur.

Hic autem periodicus menstrualis fluxus in duobus præfatis viris ab annis pubertatis cum iisdem quæ mulieribus paulo ante, post, & in ipsâ menstruâ purgatione accidere solent symptomatibus seu alterationibus eveniebat, nimirum irritationem sensilem seu voluptuosam vellicationem experiebantur, unde tam ante quam post menstruam, per penem purgationem, salatiores erant, uti mulieribus quoque tunc temporis contingere solet. Quâ ratione censendum est massæ sanguineæ uti in mulieribus, vim aliquam fermentativam ex partibus genitalibus derivatam, menstruatim communicatam fuisse, quæ in illis sanguinis turgescentiam efficeret, prædicataque symptomata produceret; quam si nonnulli denegent, tamen æstum & sanguinis tunc temporis turgescentiam; quam passim & ordinarie mulieres sub hac menstrua purgatione experiuntur, admittere coguntur: sed,

Unde enim hæc sanguinis æstuatio periodica? nisi à peregrino aliquo fermentativo hospite, id enim exuberantiæ nequaquam adscribi potest, quia in viris istis qui fine ad quem illa in mulieribus destinatur, carebant, non eveniebat, sed potius ex spermatico aliquo fermento motus ille sanguinis intestinus, inde extenuatio & effusio oriebatur.

De vasis autem per quæ hic sanguis ad penem deferatur, majus est dubium: Certum tamen est per arterias hypogastricas & spermaticas, quæ cum venis virilium genitalium ab hypogastricis pariter spermaticasque oriundis multiplici nexu implicitis, per anastomoses conjunguntur,

tur, derivari: hinc sentiendum est, quod sicuti in mulieribus sanguini menstruo horum vasorum ostiolis ad vaginæ fundum patet exitus, sic pariter in Viris periodicum menstruum profluvium per penem patientibus, per eadem vasa in Urethram, aut circa illius radicem, ubi tam seminis quam prostatarum liquoris patet exitus, effluere necesse est: Si enim per vasa semen generantia, & ad perfectionem elaborantia, uti sunt testes, epidimydes & vasa illa duo, quæ seminales vesiculas semine illuc à testibus per vas deferens allato continent, effluerent, necessario totam seminis generativam œconomiam eluerent & destruerent, proinde sterilitatem induceret, uti illis contingere solet qui ob veneris excessum sanguinem loco spermatis effundunt, quæ tamen in duobus præfatis viris non est subsequuta, quin imo potius hoc periodico menstruo fluxu ritè procedente, fœcundissimi fuêre, & in eorum uno præmature deficiente, periit fœcunditas, atque symptomata, quæ alias mulieribus in mensibus retentis obvenire solent, perpessus est, & inde subortis diversis morbis, uti lenta Febris, Atrophia, supervenientibus deliriis, Maniaque divexatus, vivere desiit.

OBSERVATIO CXXXVII.

Dn. D. RUDOLPHI JACOBI CAMERARII.

De Diluvio Tempestuoso.

Cùm æstate proximâ anni 1702. effuso super magnam patriæ partem tempestuoso imbre, ingens aquarum vis terras ad altitudinem non communem præceps obruerit, nec soli Tubingæ, aut iis, ad quos hinc defluit Nicer, adeò fuerit gravis, sed & se extenderit benè latius, proin tanti memoriam diluvii non modò tradere posteris, sed & præcipuas curiosis communicare circumstantias, consultum videtur.

Provocârat initio Julii serenus calor semel atque iterum fulgura & tonitrua, levia primùm & brevia, sed citò satis ad fulminantem gravitatem invalescentia, plerumque ex septentrionali plagâ, quo quidem tempore grando tractum quendam terræ versus ortum propè Danubium fortiter percussit; Secutum fuerat vix quatriduum pacatius & temperatius, & ecce! ex improviso die undecimo, circa horam à meridie se-

cundam cecidit imber coruscus, implicatus grandine, quâ vicinæ nobis ad Nicrum versus occasum segetes & vites graviter fuerunt percussæ, multis tantam deplorantibus calamitatem. Hinc pluvia per diem alterum in noctem tertiam longa & frequens, & rarus dein ante meridiem per nubes sol, cum vento ex occasu in boream verso, non videbatur minari novas turbas: Verùm enim verò non prohibuerunt hæc omnia, quò minus ipso statim illo meridie decimi tetii Julii recurrerint cum imbribus tonitrua; Et tum à primâ ad secundam tam crebra, tam gravia audivimus fulmina, qualia vix aliàs, simul horrenda pluviæ copia fuit effusa, quâ non modò omnes rivuli ultra modum aucti, sed & novi torrentes à montibus præcipites irrumpendo & inundando quaquaversus profunda vallium obruerunt. Interim ad vesperam usque subindè tonabat æther, signabat ædium vexilla primò septentrionem, sensim hinc inclinabant ad ortum, nec cessabant pluviæ, quin cum nocte recurrebat nova largior, ad magnum ita & longum in utrâque ad urbem valle diluvium.

Extraordinarium & insolitum hoc factum est hujus regionis, quia ut innui ferè universale fuit, nec uni tractui proprium, sed ad aliquot milliaria hinc inde versus Nigram Sylvam & humiliora Ducatus locâ æque grave se extendit, & aquarum mole superavit inundationes priscinas, Nicri accolis utique aliàs non ignotas. De cætero super capita nostra transierunt dira fulmina innoxiè, nec constat desiderari, nisi duas personas in campo ultra milliare abhinc versus aquilonem fulmine enectas; Præter arbores tamen in vicinis Sylvis plures, ictum etiam bis fuit in metropoli nobis boreali templum, sed non accensum: In totum septemtrionalis fuit respectu nostri hæc tempestas, nec plena ejus vehementia multum ultra nos versus austrum ad vicinas alpes pertigit. Quievit exhausta quasi hinc aliquandiu natura, & decurrit porrò mensis temperatus, liber à turbis & terroribus æstivis, nebulis modò matutinis non infrequentes pluvias inferentibus: Reliquum verò æstatis majori rursum patriæ parti fuit calamitosum, utpote sparsim frequenti grandine itidem graviter percussæ; Memorabile porrò fuit, sed triste vineis, hoc anno gelicidium Octobris, & præpropera hyems Novembri, de quibus alibi. Interim novellæ docent, graves etiam Silesiæ à tempestatibus fuisse tales inundationes circa diem decimum quartum aut nonum Julii.

Hanc historiam meteorologicam revocare ad motus superos cui volupe est, ephemerides astronomorum consulet & conferet: Excerpi

cerpi paucis hîc poterit, contigisse illa post quadratum Solis ad vicinos Saturnum & Jovem, oppositionem illius ad Martem, trigonum horum ad Mercurium, quarto post plenilunium die, quò Luna in Piscibus, cœlum autem si fides calendario Kirchiano, vacabat ab aspectibus, ante conjunctionem Lunæ cum duobus illis superis propinquis, ante sextilem Veneris & quadratum Martis ad eosdem, &c. Sed hæc peritis in arte relinquenda censeo.

Declarabo potius meteorum illud per observationes barometricas: Differentia motuum per illum Julium non fuit major tribus minutis, nec major uno minuto à die mensis undecimo ad decimum tertium, intra quos contigit grando & diluvium. Sub ipso grandinoso Zephyro-borea Mercurius à medio suæ scalæ barometricæ, mihi hactenus in decem minuta divisæ, tantillum ascenderat per quartam minuti partem, sed rediit mox à turbis ad illud medium; Stetit ibi ferè immotus sub pluviis ad mane diei decimi tertii, cum meridie verò demissus per dimidium modò minutum, non ultrà, tulit novas turbas, & tum permansit in eodem prorsus gradu per omnem illam intempestatem, ad usque mane sequens, quo sensim cum pluviolis elevari cœpit, fauente stridore euroboreæ promovendus ad ultra medium scalæ minutum, quæ quidem suprema fuit mensis statio. Ut ita barometri, sat certi aliàs per æstatem tempestatum indicis suo descensu, phænomenâ hic notabiliora huc redeant: Pro ratione futuræ tantæ & talis pluviæ non satis humilis fuit Mercurius, nec pro factâ istâ aeris exoneratione quidquam demissus, (sanè non tantum, ac ante excessum humidi secutum autumno) sed in extraordinariâ hâc vehementiâ ne minimum commotus, ab eâ noviter resurrexit.

Differentia stationum in thermometro parvo clauso per Julium fuit decem minutorum, spiritu à gradu tubuli decimo sexto non ultra vigesimum sextum elevato: Die grandinis manè stetit in gradu vigesimo, meridie vigesimo tertio, vesperi vigesimo secundo; Die diluvii manè iterum in vigesimo, meridie vigesimo tertio, vesperi vigesimo. Prioribus ergò Julii diebus gradus caloris fuit major quibus vigesimum sextum attigerat; cum fine autem mensis probè pervenit ad vigesimum octavum, de quo ante annum, tanquam supremo hactenus omnium graduum.

Æsti-

Æstiva talia diluvia minus hîc loci frequentia sunt, secus ac per reliquos anni quadrantes; Illustrationis ergò ex ephemeridibus meis manuscriptis excerpam quædam: Anno 1698. perquàm facilis ad exundationem erat Nicer, cùm post profundum lutum à fine Aprilis, Majus Alpibus nives, nobis largas pluvias ferret, & post breve æstivum intervallum Junius iterum inciperet frigidus & excessivè humidus. Unde tria inprimis diluvia, die octavo & decimo quintum Maji, & quinto Junii, sed absque fulgurum & tonitruum vehementiâ: primum fuit cum borea & Zephyro-borea, cum gradu thermometri decimo quinto ad decimum sextum, cum ascensu Mercurii à gradu scalæ quarto ad quintum; secundum, boream excipiente austros Zephyro, cum motu therm. à decimo tertio ad quintum, cum barometri descensu à quinto ad quartum; Tertium, cum Zephyro in boream verso, cum therm. à decimo tertio ad quartum, cum barom. à quinto, ad septimum: Aprili præcesserat Venus opposita jovi, & cum saturno per quadratum configurata: Majo inter alia notabile forsan quadratum Saturni & Jovis: Junio juncta Venus Mercurio, cum aspectu Martis quadrato &c.

Anno 1700. die septimo Junii (App. ad ann. 6. & 7. Dec. 3. Ephem. pag. 104. lin. 30. pro Julio lege junium,) sub oppositione Veneris & Jovis post fulgura & tonitrua non gravia summo mane cum rigido boreâ sensim in Zephyrum verso longa item pluvia intulit vallibus nostris diluvium: frigidior tum aer, testimonio thermometri, in decimo quinto & sexto, & humilius barometrum, scilicet in secundo gradu scalæ, sed sub ipsâ pluviarum longitudine resurgens.

Quandoquidem ergò ultimum hujus anni diluvium prioribus istis majus, & pluribus stipatum infortuniis, hinc qui memores præteritorum, nec præsentium undique turbarum sunt incurii, istiusmodi portentis metuunt subesse ominosi quid; quod DEUS avertat! Ista dum mearum satago rerum modò sufficiant.

(*Tubinga Augustam Vind. d. 20. Nov. Anno 102. missa.*)

OBSER-

OBSERVATIO CXXXIIX.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Febri Maligna tumore brachii soluta.

AUriga Annorum 45. bilioſæ temperiei Anno 1702. menſe Octobris in xenodochio ſanctæ Mariæ Novellæ, ægrotabat febri maligna adeò ut ad Sancta Sacramenta confugere opus fuerit ; Multa tentata fuerunt remedia ab Arte noſtra præſcripta, aſt omnia incaſſum, donec tandem die vigeſima morbi dolor, indè tumor magnus in ſiniſtro brachio apparuit, quò ſuppurato, ac curato, æger perfecte convaluit ; & quod notabile fuit, ſanies, quæ prima ex abſceſſu prodiit, atra fuit, fuliginis colore.

OBSERVATIO CXXXIX.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De
Dolore capitis pertinaci, nullis cedente remediis in Canem transplantato.

MUltas & curioſas hiſtorias de morbis transplantatis refert eruditiſſimus Frommannus in ſuo pulcherrimo, ac Doctiſſimo Tractatu de Faſcinatione pag. mihi 1002. & ſequent : Inter alia elegans exemplum ipſi communicatum, à Clariſſ. Dn. D. Georg. Abrah. Merclino, Medico olim Norimberg. Feliciſſ. narrat de Lanione, qui podagra affectus carnem crudam bubulam afflictis pedibus detinuit, poſtea removit, & cani impoſuit ; Lanio convaluit, Canis verò podagricus factus ; Quâ de re ſimilem fermè caſum ego nunc narrare in curioſorum gratiam volo, hoc Anno 1702. menſe Septembris obſervatum, in quodam Milite præſidii noſtri Ferrarienſis, ætatis annorum 29. robuſtæ temperaturæ, & corporis quadrati, Hic verò miles afficiebatur ſævo capitis dolore, qui nullis cedebat remediis ſeu pharmacevticis, vel chirurgicis, imò ſemper magis illum torquebat, tandem deſperatus, à vetula edoctus, in urina propria ovum coctum, comedendum cani venatico exhibuit, ſicque ſanus evaſit, non ſine admiratione.

OBSERVATIO CXL.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Fluore albo, salivatione sponte orta, sanato.

SAlivationem tam naturalem, quam arte suscitatam plures curasse infirmitates notavi ego in mea exercitatione de Saliva humana, nuper typis data. Hic autem ei addere mihi liceat sequentem observationem de Fluore albo salivatione spontè orte sanato in Muliere quadam quadragenaria, quæ diuturno albo fluore laborabat hoc anno mense Augusti, à quo, post multa remedia frustrà tentata salivatione magna spontè orta, protinus liberata est.

OBSERVATIO CXLI.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Phthisi à Vermibus.

DE Nobili, desperata phthisi diu presso, tandemque mortuo, narrat insignis ac eruditissimus Dn. D. Christ. Franc. Paulinus in Cynograph. curios. sect. 4. cap. 8., cui defuncto ex ore innumeri prodiere vermiculi rubri capitis; Similemque casum refert in suis observat. Borellus; Pariter ego hoc Anno 1702. Civem Ferarriensem ætatis annorum 50. observavi Phthisicum, cujus ex ore sæpè vermes non exigui prodibant.

OBSERVATIO CXLII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Gonorrhæa pertinaci, rotulis nostris fugata.

QUidam conjuges à triennio laborabant siphylide; Vir labem contraxit per ulcera in pudendis hinc in ore, subsequentibus Gonorrhæa, Alopæcia, & artuum doloribus; similia symptomata supervenerunt conjugi; Aliquo adhibito specifico antivenereo purgante, cuncta remissa fuere, & Vir penè liber videbatur, sed renovata cum uxore copula recruduit in eo Gonorrhæa; Hæc igitur in utroque rebellis

lis perseverabat, cum artuum Doloribus pro cœli inclementa, tingebat enim induſia virenti ſlavedine, licet primò introitù præmonſtraret albedinem; In viro erat remiſſior, indolens, & diluto ſeminali liquamine paulatim extillans ætas utriusq; conſiſtens, utriusq; habitus gracilis, temperamentum autem viri ſanguineo-malancholicum, fœminæ bilioſo-malancholicum; Me vocarunt in auxilium, ut ſi aliquod arcanum ad Gonorrhæam haberem, ipſis exhiberem, ut morbi radix, & ſymptoma proſtatarum, atque erodentium ſuccorum, & ſalium in membranis muſculorum, ac ligamentorum dyſcraſia funditus extirparetur; Quocircâ prius purgato communiter corpore; ſequentes rotulas contra *Gonorrhæam* à me pluries in aliis caſibus feliciter expertas, præſcripſi, quibus quotidiè aſſumtis manè jejuno ſtomacho, intra quindecim dierum ſpatium ſani conjuges euaſere; hæc vero rotularum eſt deſcriptio genuina: ℞. Lig. ſanct. limat. Corticum ejusdem Salſæ parill. elect. ſuberis pulveriſati Coriandror. pp. Cinnamomi elect. Roſar. rubr. C. C. uſti an. ℈j. m. & pulveriſentur omnia ſubtiliſſimè & cum ſaccharo & aqua Lactuc. q. ſ. f. Rotulæ S. A.

OBSERVATIO CXLIII.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De Umbilici Hæmorrhagia.

HÆmorrhagiam umbilici ſe obſervaſſe ſcribit in quodam Apothecario Guiliem. Fabricius Hildanus in Cent. 3. obſerv. 37. talemque ſanguinis effluxum etiam ego hoc anno 1702. notavi, in quodam mirandulenſi, qui febri continua correptus, die morbi undecima, ſpontè ſanguinis fluxione per umbilicum excitata, per quam libræ duæ cruoris emanarunt, & nullo alio tentato ad febres remedio, nec ope remediorum hæmorrhagia cohibita, ſed ſpontè ceſſante, perfectè convaluit, & nunc D. O. M. ſauente ſanitate gaudet inculpata.

OBSERVATIO CXLIV.
Dn. D. JOSEPHI LANZONI.
De Abdominis Tumore ſponte ſanato.

PUella quædam à nobilibus parentibus nata, tumore ventris laborans, hydropica cenſebatur ab omnibus, & cum umbilicus pro-

mineret, me jubente, apertio ejus facta à Chirurgo fuit, per quam puris laudabilis libræ sex boni ponderis effluxerunt; nulloque alio adhibito remedio, nisi vini ablutione omninò sanata fuit; notandum tamen, etiam per alvum, aliam puris partem excretam fuisse, ipso tempore, quò foramen erat apertum in umbilici prominentia.

(*Ferrariâ Augustam Vind. de 13. Decembris Anno 1702. missæ.*)

OBSERVATIO CXLV.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

De Calculis è naribus extractis.

QUi mucum illum tenacem & viscidum, quem Calculosi plerumque in haud exigua quantitate excernere solent, non tam pro producto ejusdem, quam materiâ, ex quâ, & quæ retenta ad eum augendum præ alia apta existat, agnoverit, multos à se dissentientes vix inveniet; & inter hos præsertim, qui calculos nondum sic induratos, quin facillime in partes diffringi possent, & quidem haud ita diu post excretionem, intimius considerarunt: quorum oculis tùm non potuit non & talis in ipsis calculis se offerre mucus: Nemo vero, nisi cujus obtutui uterque plane nunquam expositus fuit, insignem inter hunc, & qui naribus excernitur, intercedere differentiam, asserere audebit; quin ergo & hic, seu accedente peculiari quodám Veterum calore, seu in illa quorundam lapidifica, seu sale coagulante calculi interdum generari possint, nullum supereſt dubium; cum præsertim ex Thoma Bartholino constet, jam olim Virginem quandam nobilem calculos forma & magnitudine dactylorum ex naribus emunxisse; cui historia commode sequens subnectetur: plures interea præteriere anni, quod Virgo quædam è plebe, cum de obstructione narium prius conquesta fuisset, tandem hac indies aucta, accedenteque fœtore ex iisdem, cum eadem conversantibus molestissimo exhalante, ipsâque parte affecta multum intumescente, Chirurgum propterea vocare cogebatur; qui accedens varia quidem, quæ aliâs in dissipandis ejuscemodi tumoribus laudantur, summa cum diligentia applicavit, at omnia omnino frustra; ut adeo de polypo suspicari cœperit, & hinc internas quoq; narium

narium partes diligentius rimatus fuerit; cumque instrumento ad corpus durum quoddam allisisset, nullus ulterius dubitaverit, si hoc removeri possit, reliqua mala brevi cessatura; forcipe itaque admoto hoc ipsum corpus apprehendit, & trahendo tam diu institit, donec aliquot calculos extraxit, sicque integre convaluit cui me moratas modo molestias concitaverant: Vivit autem adhuc, & in hanc usque diem Dei gratia valet, quæ tum inprimis etiam sibi metuit, ne fœtoris ergo sponsus suus animum mutaret, & sic se repudiaret, cum quo nunc felici fruitur conjugio: Ut vero hisce & magis fidem adhiberem, & eam, cui hæc contigere, Chirurgus nominavit, & calculos, quos diligenter servat, monstravit; quorum major fabam magnitudine fere superat, quibusdam etiam eminentiis conspicuus est, duriusculus nunc, nec facile friabilis, quodammodo tartaro crudo comparandus; à quo duo minores, forsan ab eodem decidui, non nisi magnitudine differunt; plusque adhuc perditos fuisse, idem Chirurgus retulit: Qui itaque in cura difficiliorum narium morborum interdum & de calculo cogitaverit, vel ob modo dicta absurdi accusari minime poterit.

OBSERVATIO CXLVI.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

De Digito pedis maximo feliciter servato.

FOrcipes cancrorum regenerari, non item & partes humani corporis, in commune abiit proverbium; sicut enim per experientiam constat, si cancri quocumque modo forcipes lædantur, frangantur, quin & abscedant, cum tempore tamen eosdem in integrum restitui, & sic renasci, ut prioris defectus vix ullum superstit indicium; ita, licet eadem nos doceat, esse quasdam humani corporis partes, quæ itidem regenerentur, vix tn. de iis, quæ similares nominantur, hoc semper verum est, quo magis dissimilaris pars est, quo ex pluribus diversis partibus constat, eo minus ejuscemodi quid sperandum venit; Utut ergo Medicus, si omnino totum alio modo servari non possit, ut pars corrupta resecetur, nunquam sit impediturus, antequam tn. ejuscemodi quid concesserit, memor etiam impossibilis hujus regenerationis, omnes circumstantias probe perpendet, nec unquam ad extrema talia præsidia accedet, nisi extremum esse malum

per quævis indicia constiterit : quam feliciter horum intuitu misero cuidam puero digitus pedis maximus Dei gratia servatus fuerit, ex sequenti historia leges : Militis cujusdam præsidiarii filiolus, à petulanti quodam condiscipulo Anno 1700. d. 3. Aprilis sic prosternitur, ut digito pedis sinistri maximo in angulo quodam mensæ hæserit, hincque surgens licet, non nisi claudicans tn. domum redire potuerit ; Ubi matri, quæ contigerint, refert, & hæc eadem ad patrem domum redeuntem defert ; qui calceis tibialibusque detractis, nullam in parte, quam accusabat puer, læsionem notare poterat, unde ut sequenti die S. concionem frequentarit, utut tum memoratus digitus jam intumescere cœperit, concessit ; At rediens filiolus de dolore aucto multum querebatur, jamque & tumor majus incrementum sumserat, & rubor partis accesserat ; Chirurgum ergo quendam consuluit, qui quicquid etiam de læsione externa narrabatur, malum tamen venenatum & maxime periculosum esse, edixit, quia tandem spinam ventosam ab auctoribus appellari, dissertis verbis addidit : vel hac de causa vero, medicamenta, quæ applicavit, parum profuere, quia inde pes semper magis intumuit ; quod illum permovit, ut tandem cauterium potentiale applicarit, quod vero tantum dolorem concitavit, ut ab ejulatibus puer se continere non potuerit ; rebus sic stantibus pleniore victu opus habere ægrotulum, & hinc sumtus requiri, quibus ferendis parentes vix paressent, is iisdem indicavit ; Unde hi alios quoque consulerunt, quorum quidam humoribus vitiosis in partem affectam depositis, quidam læsioni externæ malum adscripserunt, quoniam vero ob sumtuum defectum nec quod hi, nec quod illi commendarunt, in usum duci poterant, malumque indies incrementum sumebat, tandem d. 31. Julii ejusdem anni, precibus suis obtinuerunt parentes, ut in nosocomium publicum acceptus fuerit, ubi Chirurgi ordinarii pro læsione primo externa habuerunt, & os metatarsi aut fissum, aut alio modo læsum judicarunt, at simul tam male eum hactenus tractatum fuisse, ut cura non nisi difficillima sit futura, enunciarunt : Post tres fere hebdomadas parentes filiolum visitant, pedemque nec minimum quidem mutatum, quin ut ipsis videbatur, pejus constitutum inveniunt ; interrogant ergo alterum Chirurgorum tum adstantem, an & quomodo pes hic curari possit ? qui primo quidem tergiversatur, hinc vero respondet, aliud verum quam digiti affecti resectionem, non superesse auxilium; at ut in hanc opentionem statim consentirent parentes, grave ipsis videba-

debatur, unde ut per quatuordecim dies alia adhuc tentaret remedia eum rogitarunt, qui non dissensit : Delata interea res fuit ad Nobilissimum quendam Senatorem huic domui præfectum, qui, ut, antequam talis operatio instituatur, & alii consulantur, statuit, hincque præter ordinarium, alium insignem Medicum, & me, Chirurgos quoque, quos juratos vocant d. 13. Septembris ejusdem anni vocari jussit ; licet vero omnes consenserint, prius tentandum esse, an vel incisione vel cauterio potentiali ossa læsa detegi possint, nec statim in extremo illo remedio opem quærendam esse, ut tamen Chirurgi ordinarii, ambo enim jam consentiebant, mentem mutassent, nemo obtinere potuit : semper itaque ulcus magis sordidum factum, & tumor auctus fuit, cum np. ad diem 8. Januarii sequentis anni usque nil quicquam mutaretur ; quod parentes permovit, ut hoc ipso die filiolum suum in suam iterum receperint domunculum ; & cum alius Chirurgus, cui quia aliis de causis hactenus Magistri nomen consequi non potuit, praxin Chirurgicam exercere non est concessum iisdem comendaretur consentiente Generoso Dn. Consule, hujus quoque consilium rogarunt ; qui absque ulla sectione se puerum curaturum statim promisit ; & hinc in ulceris originem ossaque corrupta mediante cauterio potentiali sæpius applicato strenue inquisivit, sicque paulatim tria ossicula, & duæ à reliquis secedentes squamæ separatæ fuere ; quibus sublatis ulcus coalescere cœpit, tumorque subsedit sic ut integre sanatus Dei gratia puer die 15. Junii Scholam frequentare denuo potuerit, una cum parentibus infinitas Deo pro servato suo digito agens gratias : Nisi np. vel sphacelus vel aliæ causæ prægnantes urserint, in partis rescissione auxilium tuto vix quæritur, semperque quælibet pars tam diu, quam diu fieri potest, servanda erit ; & inprimis ubi ossa læsa nos detegere posse, quædam spes supereſt, antequam & hoc tentaverimus, vix sectionem admittimus.

OBSERVATIO CXLVII.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

De Galli Gallinacei vindicta sat acri.

Est vindicta bonum vita jucundius ipsa, iis quidem, qui DEUM verum non noscunt, & magis variis præjudiciis occœcatæ pravisque consuetudinibus despravatæ rationi, quam S. DEI Verbo parent:

rent : vel, qui è Christianis hoc quidem nomine superbiunt, at ipso opere eodem minime dignos se gerunt, nec dictum illud, quo omnem vindictam Deo committere jubemur, ad se spectare credunt, sed brutorum potius more in quorumvis vitiorum cœno se volutant; sicut enim quâ cetera quoque vitia, bruti potius indolem induit, quam hominem se præstat homo, ita qui vindictæ studet, non tam sanæ rationi multoque minus verbo Divino paret, quam bestias nonnullas sequitur; inter quas & Gallum Gallinaceum esse numerandum, sepuens etiam historia probabit : Aluit nobilissima quædam Matrona ex hoc alitum genere sic sat elegantem, & cetera, quæ ab eo expectari poterant, sedulo præstantem; quem tamen Ancilla hujus Matronæ filii unici & dilectissimi curam gerens aliquoties irritaverat, dum toties fere, quoties atrium transiit, veste rubra, quam gerebet, præmonstrata, eum iratum reddiderat. Licet vero insultando & has ipsas vestes tum pedibus, tum rostro petendo hanc suam iram patefecerit Gallus, nil quicquam tamen noxæ eidem sic attulit; quod autem ne tandem aliquando fiat, inprimisque ne sic delicium suum filiolus lædatur, haud abs re metuens nobilissima hera, ut pennæ eidem præcidantur, aliquoties mandavit; at quod pleræque ancillæ solent, ita & hæ mandatis ejusdem minime satisfecerunt : incidit hinc, quod aliquando modo memorata ancilla in limine atrii sedens, & puerulum in sinu sedentem habens, gallinis, circumcursitantibus panem distribuit, illarumque quasdam propius accedentes cepit, hincque præsente Gallo in terram projecit, quo ipso hic magis quam unquam prius irritatus fuit, hincque summo cum impetu in eam irruit, & rostro suo oculi dextri canthum majorem seu internum tam fortiter petiit, ut cum fragore, quem ancilla læsa notavit, ex illo in os usque penetrarit, quod de limine surgens & à pavore se colligens ex unâ cum sputo per biduum rejecto sanguine non ita male collegit : Vix vero hæc tam de damno hoc, quam de vindicta sumenda & forti hoc Gallo trucidando solicita fuit, hincque difficulter concessit, ut hera sub noctem collyrium parti læsæ imposuerit, quod sicut impediit, ne oculus inflammatus aut & partes vicinæ tumefactæ fuerint, ita pus per illam noctem succedens de felici brevi secutura vulneris coalione testabatur; licet cum sequenti die lotioni linteorum vacasset, tumor tum palpebrarum cum inflammatione quadam supervenerit, impositis tamen per Chirurgum Sparadrappo viridi & Emplastro conveniente hic quoq; intra biduum dis-

discussus fuit, & vix hebdomade elapsa integram recuperavit ancilla sanitatem: Docet hæc observatio non facile irritandas esse bestias, quæ sæpius jam de suis hostibus tam acriter se vindicarunt: qui hactenus dubitavit, sensibus carere bestias, in sua sententia, lecta hac historia, forsan magis confirmabitur, Gallo non tam sibi proxime sedentem puerulum, quam ancillam aggrediente, & hanc præsertim, quæ eum sæpius, & nunc tam fortiter irritaverat; quæ tn. merito aliis, qui in controversiis hisce disquirendis plus otii me sunt nacti, dijudicanda relinquo.

OBSERVATIO CXLVIII.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

De
Ischuria cum cervice vesicæ arctius clausa lethali.

SUnt quidem quorundam morborum quædam causæ sic comparatæ, ut si vel maxime accuratam harum notitiam acquisiverimus, morbum tn. curare non possimus, cum eæ tolli non possit, & hinc aut, continuo ægrotet tali morbo divexatus, aut tandem in mortis prædam cedat. Non parum tn. interest, ut & has noscat medicus; cum non solum ægram tali morbo decumbentem medicamentis nil proficientibus minus sit vexaturus, sed & eventum eo certius possint prædicere; de quo haud absre subinde interrogatur, & quo magis is cum effatis ejusdem respondet, eo magis nomen veri medici tuetur: Tam profunde vero latent nonnullæ causæ, ut nisi post mortem & cadaveribus apertis nobis vix innotescant: Vel hac de causa autem hæc, quoties occasio se obtulerit, sunt aperienda, & quæ observantur, communicanda; quod ut ego nunc præstem, sequentia produco: Tabellarius quidam Sexagenario major, & per triginta annos singulis fere hebdomatis suo munere functus, cum ultimo Urbi nostræ ad miliare & quod excurrit, appropinquasset, subito urinam reddere non potuit, hincque dolores non ita exiguos perpessus, eo magis huc properavit: at juxta hoc insigne initium alvus quoque officio suo non respondit; Medicum itaque quem noverat, statim consuluit, qui dolores quidem inhibuit; at quoniam urinæ obstructio inprimis institit, & per alvum non nisi parum admodum excre-

vit, hoc prius rite dimisso, quinto die me in consilium vocavit, inprimis ut alvum aperirem summe rogavit; qua in parte quidem, dum Infusum Laxat. cum aliis laxantibus in largiori dosi eidem exhibui, felix fui, dum hæc Potio brevi alvum movit, quæ & ad mortem usque laxantibus aperta facile servabatur; At at urinæ ad nonum usque diem nec guttam quidem excrevit, licet varia diuretica laudatissima & inter hæc Cantharides quoque sumserit: hoc autem die post applicatum Catheterem tria fere cochlearia ejusdem profluxere, quæ spem in majori copia subsecuturæ fecere, at frustraneam; licet enim aliquoties adhuc tum ipse tum adstantes sancte testati fuerint, urinam iterum fuisse redditam, & post catheterem secundò applicatum idem successisse, constanter æger asseveravit, tantum tn. non excrevit, ut inde vel minimum levamentum notasset, ventre semper magis intumescente, & doloribus post alvum etiam sæpius apertam instantibus, quin nec minimum tum unguentis, tum Catapla-matibus, tum Clysteribus applicatis, mitigatis, commendaverat quidem Ol. è bacc. Laur. quod destillatum una cum eo, quod pari modo è succino elicitur, mixtum aliquoties sumsit, at itidem frustra: donec td. doloribus atrocibus & tenesmo inprimis molestissimo semper magis consumtus, decimo quarto morbi die, ipsa meridie hanc miseram vitam finiit: Cadaver sequenti die apertum, Vesicam imprimis obstructam fuisse, monstravit, dum hæc maxime distenta, & urina repleta conspiciebatur, quin excrementitium hunc liquorem in renem sinistrum regurgitasse, tum hujus in consueta & consuetam duplo excedens magnitudo, tum ipse ureter ad intestini crassi crassitiem dilatatus, abunde testabantur: ren dexter contra, magnitudinem naturalem servaverat, hinc inde tn. calculis non ita magnis quidem, at durioribus & nigricantibus intus conspersus: In vesicam vero Catheterem, ut ut fere totus, sicque sat longus peni intrusus fuerit, nunquam penetrasse, tum quia post mortem eodem mediante, penetrare in eandem nullo modo potuimus, tum quia nulla fere urina eodem mediante produci potuit, licet pauca ejusdem applicationem subsecuta fuerit, sat constitit; unde quidem vivente adhuc ægro in renibus præsertim causam mali quæsivi, hic vero in vesica potius eandem quærendam fuisse, certior fui factus: in eadem autem nil peregrini inveni, sed glandulas prostatas tam tumidas, ut ubi vesicæ cervici sunt junctæ, hæc arctissime clausa fuerit: an vero hæ glandulæ, an præcedens tam diu continuata equitatio, an insignis dilatatio vesicæ ex ejusdem per tot dies instante obstructione tam arcte eam clauserint, aliis dijudicandum relinquo:

Doces

Docet interea hæc observatio, utut sat profunde per penem catheterem penetremus, non semper tn. illam Vesicam intrare, ut adeo per eundem solum vitium in vesica non latere, statuere non liceat; parum vero prodesse vel laudatissima diuretica, ubi ejuscemodi causa subest, nemo prudens mirabitur.

OBSERVATIO CXLIX.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

De Semperivivo in sero post Erysipelas è pede manante parum conducente.

IN tectis quidem domuum sæpius plantatum vidi sempervivum, quod vero ea quorundam ê plebe mentem occupaverit superstitio, non feriri fulmine domum, in cujus tegulis sedum vireat, non prius mihi innotuit, quam ex Jo. Bauhin. Hist. Universal. Plantar. L. XXXV. C. VIII. p. m. 686. illud legi, unde & à quibusdam nomen des Donnerbarts und Donnerblats obtinuisse, idem Auctor refert: quemadmodum vero is merito hanc superstitionem plane rejecit, ita aliis tn. virtutibus est instructum, quæ merentur, ut Patresfamilias illud ad manus habeant; hic enim in membris igne ambustis succus, illius mirum quantum prodest; sic in impetigine humida foliola sempervivi sumo cum fructu fuisse imposita, memini; nec nuperrime in subortis linguæ vesiculis Matronæ cuidam illud frustra commendavi; Vel hac de causa vero me citius permovit elegantissimi & diligentissimi Medici Joh. Ludovici Apini Observ. CXVI. Ehemerid. nostrarum Decur. III. Anno. V. & VI. inserta, ex qua constat, ipsum cuidam Sutori in Vesiculis ex Erysipelate subortis & manantibus pulv. ex semperv. foliis paratum feliciter insperssisse, ut idem in simili fere casu Viro cuidam Primario commendaverim; at dispari cum successu id factum fuisse, ex sequentibus sine ullo contradicendi studio sed unice, ut semper magis intimiusque hujus herbæ vires pateſiant, patebit: Laboraverat is aliquoties Erysipelate pedem præsertim sinistrum occupante, licetque identidem brevi temporis spatio ab hoc malo liberatus fuerit, constitutionis tn. sanguineo-biliosæ & diætæ regulis ad votum se accurate adstringere nequiens, in primis vero sæpius ad iram irritatus, brevi illud itidem revocavit; interdum quidem cum

febre sic sat acuta, interdum vero absque illa : Profuit aliquando cura, quam ex consilio aliquot Medicorum instituit, per aliquot menses, at his elapsis antiquum rediit malum ; ut adeo td. fonticulum quoque in pede affecto excitari passus fuerit ; cum præsertim ex eodem vel Erysipelate cessante multum seri acris cuticulamque ibi absumentis profluxerit ; licet enim hoc profundius cutim non eroserit, nec unquam ulcus verum produxerit, sed solam cuticulam separarit, dum tn. hæc restitui nullo modo potuit, sed semper vel inducta brevi iterum siccata secessit, hincque serum denuo in majori copia profluxit, magnam hoc intulit molestiam, utque sanetur hoc vitium, merito is desideravit : at nec fonticulus, nec Emplastra exsiccantia, vel summe laudata, nec pulveres insperſi sub identidem etiam sumtis purgantibus & instituta Venæsectione vel minimum profuere, licet plerumque unum idemque medicamentum per aliquot hebdomadas continuarit ; cum itaque ea, quæ supra produxi, in laudatis Ehemeridibus nostris legissem, & illi sempervivi pulverem commendavi, eumque magis promtum ad hunc admittendum inveni, quoniam hanc herbam filiolo suo adhuc infanti in potu suspensam, in caloribus, quibus sæpius vexatus fuerat nimiis, magis quam alia plura medicamenta profuisse, notaverat : at utut ipsemet parti affectæ pulverem insperserim, tantum tn. abest, ut inde vel minimum notasset levamentum, ut potius plus seri quam prius unquam es eadem profluxerit, ut adeo brevi illum iterum seponere coactus fuerit : At rationes vero mihi pro sempervivo militare videbantur, dum exsiccatum pluribus quam alia herba spoliatur partibus humidis, unde postea ad eas absorbendas denuò aptius existit : Plura autem circa illud experimenta erunt instituenda, ut quantum eidem & qua has vires vel fidere vel minus fidere possimus, eo certius constet.

OBSERVATIO CL.

Dn. D. VITI RIEDLINI.

De Signis quibusdam Herniam intestinalem antecedentibus.

HErniarum Species tam promte facileque à se invicem dignosci non posse, ac forsan aut memoriæ mandantur, aut & ad aucupandam famam ex eadem subinde sic sat thrasonice recitantur, sic per experientiam constat, ut &, dum nihilominus quidam audaculi magis quam experti de hac illave specie certi quid pronunciare au-

si

ſi fuerunt, ſat tragicorum inde ſubſecutorum eventuum non deſint plures hiſtoriæ; ſi præſertim & inteſtinis prolapſis ortum ſuum debentes herniæ pro talibus non fuere habitæ, & hinc ſic tractatæ, ut non potuerint non graviſſima ſuboriri ſymptomata: ſi vel maxime vero peritus & exercitatus in arte Magiſter in iisdem dignoſcendis minime fallatur, cum non deſint ſigna diagnoſtica ſic ſat evidentia, inſtantem tamen herniam hanc illamve quæ denuncient? altiſſimum eſt apud Auctores ſilentium, dum nempe plerumque à vi quadam inferiori Ventri illata hernia inprimis inteſtinalis ſuboritur, atque tum non habemus, ut in ea, quæ diu anteceſſerunt, multum inquiramus: at interdum paulatim quoque herniam ſuboriri, & quomodo hoc contingat, ex jam jam narrandis perſpicies: Vir quidam aliquot annis quadragenario major, Patre nephritico progenitus, cetera tamen Dei gratia ſanitate ſic ſat integra gaudens, cum ante annum fere dolores primo lumborum ſenſiſſet, hincque hi ad pubem paulatim ſe extenderent, ſimulque ſæpius arenulas etiam majuſculas excerneret, quin nephritici quoque ſint dolores, nullus fere dubitavit, quia tandem, quia dolores in pubis regione diutius inſtabant, metuere ſibi cœpit, ne calculus minor in veſica detentus tandem in majorem excreſcens, majores & horrendos dolores ſit excitaturus; ſicque hanc rem ad me detulit, ut inanem plane vocare ejusdem metum vix potuerim: licet vero poſtmodum aliquoties per biduum & diutius ceſſarint hi dolores, ſemper tamen majori cum vehementia redierunt, & imprimis ſi per munus ſuum ſat arduum corpus movere opus habuit, illi ſic revocati fuerunt, ut niſi ſedendo ſibi conſuluiſſet, iisdem ferendis aliquoties vix ſuffeciſſet; acceſſere tandem & tormina, quæ tamen uni alterive errori in diæta commiſſo adſcribens, huc minime eſſe referenda, ſibi imaginatus eſt: ſubito vero tandem dolor pubis deſiit, majorque fere inguinis ſiniſtri ſucceſſit, cum tuberculo, quod ipſi rerum Chirurgicarum non prorſus ignaro ſtatim ſuſpectum videbatur; mœſtus itaque ad me rediit, & quæ interea contigerint, retulit, invitusque licet partem affectam inſpiciendi explorandique licentiam mihi dedit; ubi ſic ſat patuit, inteſtini quandam partem peritonæum dilataſſe, herniamque jam ſubeſſe; qua in ſententia me magis confirmavit, quia, quam primum recedat tuberculum, (quod in primis noctu, & alias quando quieſcat, contingat,) ab omni dolore immunem ſe vivere, ſimul indicavit: ut itaque quam primum de ſubligaculo commodo ſibi proſpiciat, eidem

seriò suasi, dumque statim consilium meum secutus est, ex illo tempore, jam per aliquot menses optime DEI gratia valet, nec, erroribus etiam prioribus commissis habet, quod de torminibus, aut post motum sic sat diuturnum de aliis doloribus queratur; Nisi quod interdum, dum quodammodo laxatur subligaculum, ut illud magis aut contrahat, aut & mutet, se opus habere, nuper mihi narravit, subnectens: quovis auro pretiosius se habere hoc remedium, simulque summas pro eodem communicato agens gratias: paulatim ergo interdum suboriri herniam, sicut hæc observatio abunde probat; ita quando merito ejusdem sic successuræ suspicionem concipere possis, ex reliquis, quæ narrantur, facile deduces.

(*Exhibitæ Augustæ Vind. d. 30. Decembris Anno 1702.*)

OBSERVATIO CLI.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSCHNIGG.

De Epilepsia ex terrore, curata.

PUer X. annorum Morphæo indulgens à genitoris sui famulo incuriè explosæ bombardæ strepitu in terrorem agitur, quem potentes insecuti sunt motus epileptici! horum sedationi liquorem ex cranio hominis violenter necati ex ▽. epileptica ad gutt. Vij. iteratis vicibus adhibui & persanavi.

OBSERVATIO CLII.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSCHNIGG.

De Lunatico Curato.

CÉrarius, Vir annorum 40. agens, incidit in Nephritidem, à qua dum eum libero, aperuit, se omni novilunio stratum deserere, muros, fenestrasque petere, velleque, horum inscium, per eas saltare. Quæro ex uxore, quem nam cubiculi locum potissimum petat?

tat ? reponit, quod semper primô fenestras accedat, easque aperiat, quærens exitum, dein revertatur, & hinc indè in stuba se gyret, altioraque palpet. Seco venam, & do vomitivum, eiecit multum materiæ viscosæ, tremulæ; his peractis, ipso lunatico inscio, ad fenestram scapham aquâ plenam loco; Dum hic anno lapso in Majali novilunio solito more exspatiabatur, in suppositam incidit aquam, agitur in terrorem, clamorem, imò in ipsos motus convulsivos rapitur, vocor hora 11. noctis, & dum domum ingredior uxor in scalis mihi obvia lamentatur, me maritum occidisse; manè seco venam, alterâ die propino Sal. valat. cran. human. antimon. Cinnab. ℈. & demum sibi præsens redditur. Plurimum, quod mihi mirum videbatur, erat debilitatus, quamvis aliàs vir esset robustus & fortis, ut sine adminiculo tribus hebdomadis, nec manum ad faciem ducere valuerit. Ante subsequens primum & secundum novilunium propino cephalica, & annus est, uti Uxor fatetur, quod nunquam surgat, pristinasque saltationes subeat.

OBSERVATIO CLIII.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSCHNIGG.

De Lepra Curata.

GRegarius Bauarus, nuperis annis ex hungaricis castris rediens se patr iâ cereviſiâ refocilare interlebat. Quare totis diebus & noctibus debaschationi vacabat, suique ventriculi naturale accidum adeò violabat, ut scabiem, ac tandem ipsam contraheret lepram, quâ ad annos quinque affectus, miserè rusticorum lustrabat casas, tandem me offendit, rogatque auxilium, & quia ob pauperiem aliam curam sustinere nequibat, suadeo ipsi (quod remedium antecedenter probatum mihi narravit Dominus de Zursthatoll summus Alchymicus, in Salinis Ausseensibus officialis Cæsareus) ut sibi de ovorum testibus provideat, eaque apud figulum calcinari ac pulverisari curet, interposito singulis mensibus purgante, de quibus manè & vesperi pro dos. 3j. sumat; continuavit ad quadrantem anni, quo finito video lepram uti squamas decidere; pro munditie suadeo balneum ▽. dulcis. En miraculum, vix altera vicæ insedit balneo, totumque corpus inungit butyro, ut ita dicam, excoriatur, novamque ex balneo reportat cutem, & quasi regeneratus exit.

OBSER-

OBSERVATIO CLIV.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSCHNIGG.

De Motu hysterico ex uteri abcessu, falsò pro Epilepsiâ habito feliciter curato.

PUella 13. annorum, ex salacibus nata parentibus, à nativitate anno septimo derepentè in motus convulsivos incidit, qui etiam bis, vel ter singulis septimanis, ad minimum accidens, reversi ipsam humi prostrarunt. Et quia à parentibus erat potentibus, magna medicorum turba ad sanandam convocabatur, miseram puellam per integros quinque annos variâ medicamentorum excruciebant farragine, ast nulli in Rhamno fortunam salutare, & hunc pertinacem debellare hostem licuit! Vocatus ego, ubi reliqui Epilepsiam, ego prælucente Domino Stegmanno in Ephem. decuriâ tertiâ, anno primo, furorem quendam uterinum ex effervescentia seminis, vel uteri abcessum adesse judicavi. Hinc alternâ vice seminis fervorem exstinguentia propinavi, verum abs effectu: Quarè abscessum in ludo esse firmiter pronunciavi. Et ut is rumperetur, per diei decursum bis, etiam ter pulverem ♄. album juxta Basilium paratum ex ▽. melissæ exhibui septimo pulveris usûs die pudendum fœtido-purulentâ materiâ manare cæpit, quod stillicidium ad X. propè dies duravit; hoc cessante abstergentibus & mundificantibus ordinatis ex integro restituitur.

OBSERVATIO CLV.

Dn. D. JOHANNIS BAPTISTÆ WERLOSCHNIGG.

De Saccharo lactis.

VIr Religiosus ex ordine cisterciensium ad annos octo periodicam passus est Arthritidis invasionem, cui ab aliis Medicis, tum intum extrinsecus adhibita Medicina palliatum quidem attulit levamen, nulla tamen integram peperit sanitatem. En, dum de viri consulor valetudine, inaudio Venetiis exstare pulverem saccharum lactis di-

dictum vendibile, quod non tantum nodosam tollat podagram, verum & tyrannum Arthritidem glorioſè debellet, eique promptè medeatur. Procuro illud, ac meo Arthritico, præmiſſis pilulis Starckii, per diem bis ʒj. ex ▽. thee mitto ſumendum, quo ſingulis tribus hebdomadis interpoſitis Starckii pilulis ad menſes tres tanto cum effectu uſus eſt, ut non ſolum totaliter evanuerint dolores, verum ad me ſcriberet, ſe renatum ſibi videri; & annus finitus eſt, ex quo hilaris & incolumis DEO & ſaccharo lactis laudes canit.

Puer octo annorum plenus ſucco & ſanguine ophthalmiâ premitur, cui medendæ ab aliis Medicis per integros duos annos laxationes, ſcarificationes, Venæſectiones, dulcificantia, imò ipſum crudele remedium ſetaceum adhibetur, ſed omnia incaſſum. Vocatus ego, adverti pueri ſanguinem acido-acribus ſcatere particulis, dedi ex ▽. thee vel Veron. ſaccharum lactis, & finitis 20. diebus percuratur.

Arcularius mirè dolorificâ laborabat Iſchuriâ, cujus dolores ad ordinaria Medicamenta increverunt. Meum tandem expetenti auxilium, do ex jure pulli, in quo herb. malv. alth. pertroſelin. Veron. incoquebantur, ſaccharum lactis, En quarta hujus uſûs die convaluit, cum tamen putarat ſe eſſe faſcinatum.

Clericum longos per annos ſodâ laborantem; & couponem ab acido vertiginoſum, uſu ejusdem Medicamenti feliciter ſanavi.

Aloyſius à Fabra Phil. & Medic. Doctor ejusdemque in Ferrarienſi Profeſſor ordin. de Johann. Denzio pictore Ferrariæ commorante ſic ſcribit: Hic abhinc 10. annis podagra, Chiragra, demum Arthritide adeò vexatus fuerat, ut ſuæ arti nullus præeſſe valuerit. En uſu tamen ſacchari lactis eò devenit, in manuum digitis tophis reſolutis, materiaque ſaniosâ calceâ effluxâ, ac tandem coalitis, ut ſuam artem liberè exercere, & ambulare poſſet.

Cajetanus de Angelis Meccanatis Medic. & Tuderti Profeſſor ita ait: Referendus P. F. Bernhardus de Montefalchio Ord. Min. Strict. obſervant. qui cum 10. annos ſuper religioſum ſtratum quaſi clavis affixus decubuiſſet, utitur ſaccharo lactis, nunc tantum ejusdem ſentit beneficium, ut Sacro Sanctæ miſſæ Sacrificium celebrare, & (eliquatis cunctis gypſeis tumoribus, quibus ipſius palmæ turgebant, ac uno præſertim calcinoſo in dextro cubito ad ovi magnitudinem in ſaniei formam diſſoluto,) ſe in pedes erigere valeat & ambulare.

Vicentius Clericus in Patrio Parmenſi Gymnaſio Med. Praxeos

lector ordinarius ita testatur: Rel gioſus quidam temparamenti lymphatici acerbiſſimo articulorum dolore, ſpatio circiter annorum ſeptem, vexabatur, dolor tamen modo intenſior, modo remiſſior temporum imutationes imitabatur. Erat autem patiens in ætate quinquagenaria, & præter præfatam doloris arthritici diatheſin morboſam, obſtructionibus undequaque refertus, duritiem totius abdominis, cum lienis, ac jecinoris tenſione geſtabat. His demum acceſſerat morbus regius, adeo, ut Vultus, ac cutis deformitate jam non homo videretur. Pluries plurium medicorum Conſilio purgatus eſt innumeris ferè remediis, ſed fruſtrà. Demum inſpirante ſupremi Numinis providentia me advocavit, præmiſſaque levi purgatione, uſu ſaccharo lactis per quatuor tantum menſes, rediit color priſtinus, genis & cuti; obſtructiones dejectæ, quodque magis admirationem parit, evanuit in totum dolor arthriticus cum perfecta totius corporis valetudine. Adeò verum eſt ſaccharum lactis eſſe unicam & conſtantem pravorum humorum dulcificantem medelam.

Relatio de Saccharo lactis.

CUm apud Ezechielem Prophetam cap. 25. DEUS Filios Ammon lactis detractione punierit, & Canticorum 4. ſuæ ſponſæ ex dulcedine lactis ſuavitatem amoris comprobet, idque ex ſacris paginis eſſe plenum myſteriis, nemo ambigat, quantum naturæ amicum ſit à tot retrò ceſſis ſeculis animantium, imò vegetantium (ita Clariſſimus Sachſius Ephem. Germ. Dec. primâ Anno primo annotatione CXLI. vita in hodiernum protracta conteſtatur. Si ipſum lac multis adhuc refertum ſordibus tantis pollet prærogativis, quantis non erit ejusdem ſacharum utpotè ſordibus liberatum dignum laudibus?

Qui hactenus lac ſuis medicationibus adhibuerunt, crudum, excrementis nondum purgatum, & in quintum eſſe deductum, hinc factum, ut ſæpius ob ſui in ventriculo coagulationem enormia eruperint mala, & quia plura & plura in Medicina (*Seneca teſte Natur. quæſt. lib. 7. cap. 25. Venit tempus, quo iſta, quæ nunc latent, in lucem dies extrahet, & longioris ævi diligentia*) noſtri ignorarunt anteceſſores, quæ nos apprimè nunc novimus, plurima & nos ignoramus, quæ ſucceſſoribus erunt perſpecta: Sic nemo Medicorum præteritis Seculis lac in Pulverem redigere, ſordibus liberare, illudque cuivis temperamento aptum reddere novit.

Quod

Quod tamen Excellentissimus Vir, meus Amicus singularis, Dominus *Ludovicus Testi*, Med. Professor Venetiis optime novit. Hic enim certo Spagyrico Mysterio substantiam lactis in pulverem albescentem dulcem, quod arcanum opportuno tempore in humanæ miseriæ solatium se manifestare promittit, convertit.

Fabrefacit itaque ex lacte Vaccino, melius ex muliebri, verum hoc solum principibus & divitibus foret superabile, saccharum & sal essentiale lactis, utrumque *Arthriticis*, *podagricis*, *calculosis*, *flatulentis*, *dysentericis*, *Catarrhosis*, *scorbuticis*, *colicis*, *sphacelatis*, *Cancrosis &c.* in quibus acidum, & acre peccat, optatissimum, tutissimum & infallibile remedium, siquidem suis spurcitiis depuratum nec acescit, nec coagulatur nec corrumpitur, ut facilè lacti contingit, & in longos annos asservari potest. Est & singulare unius cujusque naturæ dulcificans, quia non tantum more crustaceorum omne absorbet acidum, verum etiam in sanguinem convertitur, totamque massam sanguineam, natura enim primum sui nutrimentum ex lacte, vel lacti analogo capit, dulcificat & immutat. Observatum enim est, quod ii, qui saccharo lactis usi sunt, viribus, faciei colore florido, ac novâ carnis regeneratione profecerint, ex quibus luculentè deducitur saccharum lactis in sanguinem mutari.

Admonitiones
Circa rectum sacchari lactis usum.

LActicinia abhorrentes, & debachationibus vacantes hoc aureo uti remedio supersedeant. Si longis ab annis morbus duxerit filum, necesse est, ut ii constanter per aliquot menses, interposita tamen sæpius laxatione, eodem utantur.

Pretium, dosis, & Vehiculum sacchari lactis.

DUm apud manipulatorem pretium indago sequens scripto dedit responsum: *Quanti hoc remedium divendam? dico à primâ usque inventione septimum jam labi annum, librasque ferè mille â me fabrefactas, nec tamen unquam granum pretio æstimavi. Generosè ego petentibus usque ad ultimos Europæ terminos, imò in Asiam transmisi. Necessarium enim fuit, talem me habere, non solum ut non impostor crederer, verum etiam, ut arthritici manifestè comprehenderent, neglecto lucro, gratam*

mihi primò esse eorum salutem. Cum modo autem de remedii præstantia ab experientiis confirmata satis constet, æquum etiam est, ut divites congruens aliquod munus mihi respondeant. Necessariam ergo subministrabo quantitatem, dummodo singulis mensibus duo aurei Pannonici seu Ungari ab ægroto dono dentur. Hoc certè tenue munus est, quod arthriticus offerret, si actu ego, nullo quamquam propinato remedio, ac solâ personâ inviserem. Venetiis primâ Octobris 1701.

Ludovicus Testi D.

Dos. à ʒj. ad ʒiß. ʒij Bis, ter, etiam 4ter in die ex jure, pulte vel ex △ thee, Veronicæ &c. sumitur.

OBSERVATIO CLVI.

Dn. D. LUCÆ SCHROECKII.

Ex Anatome Puellæ asthmate & convulsionibus defunctæ.

FIliola Serenissimi cujusdam Principis, 27. septimanas nata, post catarrhosam & febrilem valetudinem reconvalescere credita, difficili tamen respiratione & viscosa lymphæ in bronchiis extravasatione adhuc cum laboraret, sensim magnam abdominis intumescentiam incidit. Et quamvis ob ordinarii aulici Medici absentiam, d. 6. Martii Anno 1697. mecum alius nostratium Medicorum percelebris in Consilium vocatus, atque remedia aliqua necessaria, cum periculosi morbi denunciatione, à nobis fuissent adhibita, die sequenti tamen ronchis & convulsionibus, inter validos lactis ex ubere nutricis suctus prehensa, intra quadrantem horæ exspiravit. In corpusculo, quod exenterationi altero die exponebatur, flaccidi prorsus musculi comparuerunt: Cutis tota, in parte corporis postica, capitis nempe, dorsi, pedumque, livida; abdomen non omni pinguedine destitutum; & intestina flatibus immensum distenta fuerunt: Hepar prægrande, cæterum sano simile, diaphragma mole sua sursum impulerat, ventriculum autem ad sinistrum hypochondrium protruserat: In vesicula fellea pauca flavescens bilis, quæ transudando intestina vicina eadem colore tinxerat: Pulmones passim externe lividi, interne præter aliquid muci viscidi, nihil præternaturale exhibue-

runt:

runt : Pericardium admodum crassum, & multo humore, qui pus coctum consistentia & colore, absque tamen fœtore, & cui simile quid in reliquo corpore nullibi, neque etiam in corde, pericardio vel alibi exulcerationis vel minima vestigia aderant, plane referebat, distentum : Cordis fibræ flaccidæ ; tunica ejus propria valde densa & rugosa ; uterque thalamus, auriculæque polypis crassis membranosis, atque in pulmonum usque vasa se extendentibus, turgidæ fuerunt : Cerebrum absque labe, nisi quod vasa sanguine, qui in reliquo corpusculo erat pauciſſimus, admodum plena essent, atque dura meninx cranio passim arctissime adhæreret, ut sine ejus laceratione separari nequiverit. Ex hisce, difficilem respirationem à viscidi humoris præsentia, vesiculas pulmonales cum trachealibus ductibus occupante, ortam fuisse, patet ; præcipue cum non tantum hepatis moles, & flatus intestina ampliantes, eademque versus superiora adigentes, liberum diaphragmatis motum unâ impedierunt, sed polyposæ etiam accretiones (non post mortem demum obortæ, sed, quod membranosa earum textura ostendebat, antiquiorem originem habentes,) naturali cordis, ob sanguinis paupertatem, fibrarumque laxitatem ad debitas constrictiones debilioris, motui, ac sanguinis per pulmones circulationi remoram facerent : quo vitali liquore tandem in cerebro etiam ad stagnationem vergente, particulas acriores, quæ in ejus potissimum lympha, ex bilis acorem chyli non satis temperantis inertia latebant, se extricasse, membranasque cerebri molestè vellicasse, atque ad convulsivas contractiones, incitasse, eoque totalem omnium fluidorum stasin accelerasse, verisimile videtur.

OBSERVATIO CLVII.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOTTWALD.

De Mola in Gallinæ Ovario reperta.

Sistit Figura Præsens Ovum Gallinæ imperfectum S. Molam potius, quam ideò sic appellandam esse opinor, quia pro ratione subjecti carneam substantiam, conglobatam imperfectam tamen & inutilem cum fœtus vestigiis obscurè, quamvis cognoscibilibus, æmulatur Ma-

gnitudo & explanatio illa planè quæ depicta hic est, fuit ; reperta autem in Ovario Gallinæ præter modum pinguis & ex improviso mortuæ. Exteriorem faciem Cortex callosus variis plicis, inscriptionibusque cum foraminulis poris majoribus inæqualis, dabat ; dissecta per medium substantia, è tribus veluti voluminibus distinctis per tunicas alias, alias complectentes divisibilibus, componebatur Primum Volumen exterior Cortex modò descriptus è vitello calore quodam quasi incrustato conflatus, faciebat. Secundum huic arctè conglutinatum, concretum erat Vitello cocto non absimile, glutinosum tamen magis sed minus friabile. Tertium ejusdem cum secundò substantiæ apparebat, & tenuibus compositum lamellulis sacculos varios formabat, quorum quidam nutralibus valvulis Anatomicis haud incognitis erant similes. Centrum ipsum ac si in pelvim Renum vertas oculos per varias quoque lamellulas tertii Voluminis, hic & illic parietes quasi constituentes, cavernosum existebat, in quo plexus quidam mucosus conspiciebatur albicans, quem aliquando observare licuit circa punctum saliens in Ovo fœcundato. Molam hanc esse & quidem generationis gravissimorum pace Medicorum in hoc dissentientium, quod bruta molis obnoxia esse negent, quibus tamen eruditè respondet Joh. Bap. de Lamzwerde (in Historia naturali Molar. Uteri,) ultrò asserere ex ratione etiam superius allegatâ, cogor; hanc si latius philosophando extendere deberem, distinctionem inter molam nutritionis & generationis in brutis potius quam hominibus locum habere defenderem. Sic v. gr. Ova subventanea ad illius, nostrum v. hocce ad hujus Classem comodè referri potest : Mulierculis v. si conceditur generatio Molæ nutritionis, proh ! quot ne ad hocce Asylum Libidinis refugium summerent, Maximusque numerus bipedum non sibi sed aliis nidificaret, Virgunculæ interim furore uterino rarius vexarentur, Quale tandem judicium dandum esset de Juvencula quadam agresti quæ ante paucos annos molam ingentem, deformem, pilis undique versum obductam sine ullo Veneris cum Viro commercio, (quod ipsa Juramento testabatur,) enixa est ; cum Uxore ne propemodum, quæ post Mariti per quadriennium absentiam, sobolem protulit, secundum Concl. Gratiano-politani Parlamenti, P. Ammanni Irenicum Numæ Pompilii cum Hippocrate, p. m. 88. quod in insomniis conceperit, absolvenda & pro Castissima habenda est &c. fiat.

Fig. XXIII.

OB-

Fig. XXIII

pag. 286







Fig. XXIV. p. 287.

Deux.



OBSERVATIO CLVIII.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOTTWALDT.

De Crucifixo in medio Fagi Arboris Trunco naturæ depicto.

HAbet magna Naturæ Operatrix suos lusus, quodque Artificis manus multo studio sæpe exarare nititur, hæc simplici impetu per diversa materiæ passivæ, locique Constitutione diducit & cum effectu curiosissimas non rarò delineationes exhibet: stat pro sententiæ probatione præsens Figura Crucifixi in Fagi Arboris Trunco per medium fisso detecta; Erat portio Trunci hujus cum Figura abscondita sub manibus Militis in Propugnaculo nostro Gedanensi ad Vistulæ Oram mercenarii, proculinari usui ipsi data, cum jam inter findendum dissociatæ partes insoliti quid ipsius oculis offerebant, ipsa simplicitas quoq; judicavit ad majorem usum reservandum esse hoc Lignum, & Præfecto suo, sub cujus Custodia adhuc est obtulit. Utraque fissi ligni pars s. facies interna figuram quam depictam vides repræsentat, alteram tamen profundam, alteram elevatam magis, ita quidem, ut si conjungantur superficies, hæc in illam, tanquam in Typo suo intrat; Color utriusque delineationis atro-fuscus est, qui ex mutuo luminis & umbræ concursu hic & illic diversas format figurationes, inter quas illa qui in Crucifixi medio videtur, fasciis involutam infantem repræsentat. Communis quidem est sententia accidere talia naturæ prodigia per præviam incisionem Arboribus adhuc tenellis separatisque factam, nec dubium est dari notas tales in Arboribus reperiundas, quæ principia sua inde habent, sint ex. gr. fur è patibulo pendens in fago depictus, Eph. N. C. Dec. 2. An. 7. Observ. 239. Verba Danica literis latinis expressa in fagino ligno reperta; Eph. N. C. Dec. 1. An. 6. & 7. Observ. 4. aliaque hujus generis; Ast inveniri etiam alias notas diversimodè figuratas, naturâ non prævia arte excitatas, ratione haud caret, quippe figuræ conditione & fine humana mente inscrutabili, & quod magis, si nulla planè separatæ quondam Arbusculæ vestigia adsint, persuademur, sola natura operatrice productum fuisse causatum; quod quia in nostra Arbore etiam contigit, certi sumus, habuisse naturalia principia: eandem rationem habet figura

per

per numeros & literas inmedio fissæ Arboris Quercus expressa ap. Jo. Olorinum Cent. Arbor. mirab. cap. 52. & quod idem Author c. L. c. 2. de Pomis per medium dissectis, qui in interiori utriusque partis Crucifixi Effigiem delineatam tenent, natrat, omne dubium tollit, quod sc. naturæ penicillum in occlusissimis locis agere nequeat. Ultro etiam constat Morbis affici Arbores, vid. Theophrastus Histor. Plant. l. 4. c. 16. Plinus H. N. Lib. 17. c. 24. &c. Scabiem non & Tabem frequentissimè patiuntur, quid obstat igitur, dicere: in statu morbifico Arbor. fermentare succos natales, despumatasque fæces per substantiam se diffundere & quia superficiem attingere sicque transcendere nequeunt, diversos occupare angulos & prout vel magis vel minus fibrar. Vasorumque tum horizontalium, longitudinalium, (vid. Ant. de Leevvenhoek Anat. Rer. microscopio detectar. p. m. 13. 14. &c.) nexus cedant aut resistant, varias etiam causari picturas qui quo magis sanæ partes à materia fermentata consumuntur, eò profundius & latius radices agunt.

Fig. XXIV. & XXV.

OBSERVATIO CLIX.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOTTWALDT.

De Mola veſiculari per naturalia Matronæ cujusdam præter ſpem procidua.

ACcidit ut Matrona quædam Illustri nata stemmate à tribus præter propter mensibus gravida, erecta stans ad mensam, inter loquendum sine ulla molestia corpus globosum lubricum ejiceret, fleco corpore quid rei sit quærens, ex intuitu demum perterrefacta, levi calore quasi febrili corripiebatur, mulierculæ interim adstantes prociduum illud sustulerunt, de abortu passo v. immaturum dederunt judicium, nihil planè periculi ingravidationis subesse credentes, quod tamen subsequentia alia demonstrarunt; ad lectum ducitur patiens, mox dolores parturientibus frequentissimos sentit, vires prosternuntur, lochia fluunt; aderam ego opportunò propemodum tempore ad visitandum alium ægrotum in eadem decumbentem domo, quare quid acciderit præsentes mihi narrabant, simulque quid de Abortu sentiendum quærebant, examinatis circumstantiis, exspirassa jam cum ipso hoc Abortu ingravidationis tempus, dixi: molam vero ex-



Fig. XXV.
pag. 288





Fig. XXVI. p. 289.



examinans planè ejus deprehendi generis esse, cujus Celeberrimus & sedulus Naturæ Scrutator Ph. Jac. Hartmann, Regiomontanus Professor, meminit in Obs. 157. Eph. N. C. An. X. Dec. II. ad quam curiosum lectorem, ne Crambe bis apposita, nauseam ipsi excitem, remitto. Præter hæc vero qui in modo nominata Observatione notata exstant, sequentia adhuc post incisionem in corpore globoso & sphærico planè ab aqua in se contenta distento, factam, notanda occurrebant; detegebantur duæ membranulæ parietibus internis conglutinatæ, post macerationem in sp. Vini factam facillime separabiles, manente adhuc tertia integra ipsi substantiæ firmiter adhærente, undè in illam incidi opinionem esse has membranulas binas, urinariam alteram, alteram Amnion, ipsam substantiam autem Carnosam illud, quod Placentam Uterinam facere debuisset: Microscopii ope brevissima illa Vestigia præcipuè circa humeros observavi, incurvata quasi erant, cum levi eminentia in medio, Cubitum certò indigitans. Ex quibus omnibus jam patet, vitium formationis in eô hæsisse, quod Spiritus ille Architectonicus cum Virtute plastica cooperans impedimento quodam distractus aut retentus, diductionem partium pro dimensione determinatâ promovere non potuerit. Stante hâc sententia, sequitur: Molam Vesicularem esse fœtum imperfectum; consequenter; non posse generari absque congressu masculo; oriri ad partem ex eo, quod non veram habeat communicationem cum Utero; undè insufficiens nutrimenti affluxus etiam inter causas molæ generandæ stat: & denique utriusque cum activi tum passivi defectum in molâ generandâ concurrere.

Fig. XXVI.

OBSERVATIO CLX.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI GOTTWALDT.

De Equiseto sub marino Orientali Lapidefacto.

CHirurgus quidam ex Indiis Orientalibus redux Plantam quandam marinam petrefactam, quam propriis manibus ex Aquis erutam profitebatur, ante menses aliquot huc Gedanum secum tulit, mihique pro justo vendidit pretio; interrogatus à me, utrumne

plures plantas similes aut alius generis sub Aquis nascentes observaverit ? hanc solam speciem ad littus maris propè Bataviam sub aquis mollem adhuc existentem, reperiri, respondit. Esse Plantam hanc è genere Equisetorum, nullus dubitabit; habet enim notas suas Characteristicas cum his communes, geniculata est, striata, aspera & porosa; Color Plantæ est nitidè candicans, genicularum vero niger inter hujus generis Plantas Europæas illam proximè accedit ratione figuræ nimirum, Equisetum foliis nudum ramosum, Casp. Bauhini Theat. Botan. Lib. 1. L. 2. cap. 19. Aquaticas autem dari Plantas in nostris etiam Regionibus, probat Equisetum geniculatum, fœtidum sub aquis repens Joh. Bauhini, ut taceam innumera alia, non tamen hujus generis. Quæ ratio sit, quod sub Aquis planta hæc orientalis mollis existat, Philosophis non ignotum erit.

Fig. XXVII.

(*Dantisco Augustam Vind. An. 1703. Mens. Jan. missæ.*)

OBSERVATIO CLXII.

Dn. D. CHRISTIANI VATERI.

De Polypis Cordis frequentibus.

POlypis cordis genuinis superioribus licet seculis fere incognitis, minusque sollicite perspectis magnum hominum numerum clandestina morte, nescientibus etiam Medicis peritissimis, extingui, ego quoque pluribus observationibus didici, quarum saltem quarundam annotare placuit. Anno 1694. in Hipparchi nostri, gladio transfossi, auricula cordis sinistra, quo latere pulmo undique costis firmiter adhærebat, reperiebam ejusmodi polypum, pollice majorem & digito longiorem, ab auricula in ipsos ramos venæ pulmonaris propagatum.

Eodem Anno fabri ferrarii uxor à verberibus mariti subito extincta, binos polypos, unum digiti crassitie ex auricula cordis dextra sursum deorsumque in venam cavam, alterum quodammodo minorem ex eodem ventriculo in arteriam pulmonarem extensum & in ramos varios distributum exhibebat.

Et

Fig XXVII. p. 290.



Ann. IX & X.



Et paulò ante puella VII. annorum asthmate diuturno & lienteria demortua rursus binos, insinistro quidem ventriculo fibris plurimis, valvulis ibidem firmissime connexos indeque tam versus venæ pulmonaris ramos, quam arteriæ truncum sursum deorsumque extensos habebat. Deinde Anno 1695. Studiosus qui integram hyemen tussi plane ferina & asthmate convulsivo, quæ mala propria confessione, ex potu frigido post exercitia & calescentias corporis creberime hausto, sibi contraxerat, gravissime afflictus, tandem mense Martii phthisi extinguebatur, in cujus cadavere præter pulmonem, totum fere scirrhosum, & ulceribus sinuosis quibusdam apertis, aliis vero adhuc occlusis, refertum in utroque ventriculo cordis bini ejusmodi polypi enormes & duri, sibi invicem tamen implicati, & hinc ultra spithamæ longitudinem per vasa exeuntia, expansi videbantur.

Quemadmodum etiam pueri, undecim annos nati & ab ineunte fere ætate asthmate continuo, sensim in valescente, afflicti, tandemque inter ambulandum & loquendum extincti, cadaver Anno 1699. præter pulmonem undique costis firmissime adnatum & lividum, durumque, & glandulam thymi ingentem, tophis cretaceis refertam, polypos quoque horrendos nobis exhibebat, quorum unus ex auricula dextra in truncum venæ cavæ ascendentem & descendentem; alter vero ex eodem ventriculo in arteriam pulmonarem; tertius ex auricula sinistra in venam pulmonarem, & quartus demum è ventriculo isto in arteriam ascendentem & descendentem longissimis cruribus, secundum ramificationes vasorum propagabantur. Sed posthinc etiam plures similes, nempe in puella 2. annorum asthmate extincta; in binis rusticis, ex contusionibus capitum demortuis, aliisque deprehendi, singulosque adhuc liquore balsamico conservo, exinde confirmatus, coagula ejusmodi funesta non nisi post mortem se satis manifestantia contra Medicorum opinionem sæpissime mortis causam præcipuam & incurabilem existere.

OBSERVATIO CLXII.

Dn. D. CHRISTIANI VATERI.

De Aneurismate mirabili Arteriæ magnæ in Thorace à contusione, & fractura costarum orto.

NObilis Subcenturio à Bildstein / ante tres circiter annos, in regione lumborum graviter contusus, ab eo tempore dolorem ibidem percipit eumque sensim invalescentem, cui præterea elapso anni circiter spacio, tumor sinistrum latus versus accedit, ad modum & motum, arteriarum continuo pulsans & per vices acerbissime dolens, cum pathematibus febrilibus, aliisque gravissimis symptomatibus, donec tandem tumore isto pulsante ultra capitis magnitudinem aucto & à sinistro hypochondrio ad scapulam fere extenso, ad nos delatus, inter cruciatus maximos viribus prorsus ex haustus & emaciatus, deficeret & moreretur. Hujus tam pertinacis & incurabilis mali causa ut eô magis innotesceret, ipsius maritæ desiderio corpus aperui, in tumore ipso nihil nisi tunicas & musculos à sanguine grumoso putrido sub iisdem collecto valde extensos & sphacelatos, sub his vero costas duas juxta spinam fractas & introrsum ad latitudinem digiti flexas, imo una cum spinæ ipsius vertebris prorsus erosas, nigricantes & tunicis denudatas inveni, adeò ut etiam vertebræ istæ nulla vi facile ab aliis separari possent, quas proinde una cum costis istis erosis in rei memoriam mihi servo. Tandem vero aorta paulo sub corde ad usque diaphragma, ultra duorum pugnorum, vel capitis ferè magnitudinem extensa & tota sanguine grumoso, in polypos ferè fibrosos lamellatim concreto repleta videbatur: Ubi insuper hoc notabile erat, quod tunica arteriæ interior alias tendinosa, hic potius cartilaginosa, quasi ossea, sed ubivis disrupta tunicæ exteriori musculosæ frustulatim connecteretur. Quo spectaculo viso mirari satis non potui, quare ex fractura costarum & pressura vel læsione arteriarum tam gravi, quæ collatis omnibus circumstantiis procul dubio antecessit, haud graviora mala statim secuta fuerint, & quomodo in tanta trunci arteriæ laceratione & sanguinis ibidem in tanta copia collectione & corruptione nec non vertebrarum costarum, pleuræ aliarumque partium vicinarum erosione, æger tam diu & ultra triennium superesse potuerit; licet exempla fere similia à Rumlero

in

in observat. Welschii 81. & Walæo Epist. Med. 1. de Motu sanguinis & chyli p. m. 64. annotata non ignorarem.

OBSERVATIO CLXIII.

Dn. D. CHRISTIANI VATERI

De Morte subitanea in æstu venereo.

Miles natione Danus valetudinis alias firmæ, & quantum commilitonibus ejus constabat, nullis antea morborum invasionibus tentatus, Anno 1701. Mens. Januar. amore virginis in vicinia nostra flagrans, tandem quoque multis precibus ab eadem impetrat, ut nocte quadam lectum suum ipsi concedat cumspe futuri per noctem concubitus: Ipse vero moræ impatiens, è lecto rursus surgit, suamque amatam amplexibus & osculis ulterius invitat, sed ecce inter amplexus istos subito corruit, & cum horribili clamore ac jectigatione corporis animam effundit. Quo subitaneo casu commotus Capitaneus, cadaveris apertionem & inspectionem, utrum forte venenum, hausturn subesset, curabat, in quo tamen nihil præter naturam, nisi pericardium valde extensum, & cruore penitus repletum, absque tamen ruptura cordis, vel auriculæ manifesta, apparebat. Unde sanguinem nimis turgescentem, è cœcis potius vasorum osculis coronariorum dilatatis subito egressum, cordis motum sufflaminasse necessum est.

OBSERVATIO CLXIV.

Dn. D. CHRISTIANI VATERI.

De Ruptura cordis ab Ictu Thoracis.

Fœminam 30 circiter annorum in pago vicino Dabrun Anno 1695. d. 9 April. à præterlabente curru in pectore graviter percussam, & eo ipso quoque extinctam, sequenti statim die inspexi, & in eadem costas quidem superiores propè sternum, una cum clavicula in sinistro latere fractas, minus autem introrsum flexas, multo minus pericardium læsum observavi: nihilo secius tamen cordis ventriculus dexter non procul à mucrone; ubi septo velut mediante futura

cohæret, ultra longitudinem unguis ruptus, & pericardium sanguine penitus repletum extensumque videbatur. Hinc rupturam istam non tam à costis ipsis fractis, quam ab elatere sanguinis, in concussione, & compressione thoracis subitanea, eo fortius resistente, ortam fuisse judicavi.

OBSERVATIO CLXV.

Dn. D. CHRISTIANI VATERI.

De Ossiculo in cerebro nato.

STudiosus cum malo hypochondriaco & febribus intermittentibus diutius conflictatus, tandem quoque stuporem sensuum tam internorum, quam externorum & inprimis paralysin sinistri brachii, cum insigni ejusdem atrophia percipit; Imo per intervalla delirium melancholicum accedit; unde, nescio quo lapsu, inter delirandum noctu caput graviter concutit, & in nosocomium nostrum anno 1694. Mens. Octobr. delatus moritur: In ipsius cadavere multa quidem morbosa videbantur, lien nempe ad capitis humani magnitudinem auctus, durus & lividus, glandulæ quoque mesenterii insigniores rubescentes & livescentes, omentum penitus consumtum, cor flaccidum ejusque dextra auricula polypo insigni referta; pulmones porro maculis & tuberculis nigris perspersi, & tandem in capite intra meninges sanguis copiosus & fluidus, mortis ex concussione capitis proximus & præcipuus author; sed quod rarius, ossiculum quoque vel concretum gypseum, durissimum & album instar ossis petrosi, magnitudine N.M. in ipsius thalami nervorum dextro latere inveniebam. Ex quo omnino satis patet, tubulos etiamsi minutissimos nervorum etiam à succis sabulosis acidis occupari & in osseam duritiem abire posse:

OBSERVATIO CLXVI.

Dn. D. CHRISTIANI VATERI.

De Fibris Cerebri in Hydrocephalo recens nato evidentioribus observatis.

CErebri medullam non nisi è fibris nerveis foliatim quasi expansis constare, manifesto spectaculo mihi videre contigit anno 1695. die

die 4. Septembris in puero recens nato, quoad inferiores partes monstroso, caput vero hydrocephalo. Erant enim in eodem ossa cranii ab aqua inclusa prorsus divulsa non solum, sed etiam hæmisphæria ipsius cerebri interius ab eadem aqua expansa, & in modum brassicæ capitatæ excavata, ubi nulli ventriculi, nullique anfractus, fibræ vero albicantes & à copia seri valde turgidæ è basi & trunco medullæ spinalis, per totam cerebri compagem, velut vasa lactea per mesenterium, densissime ad corticem distributæ, & in via multis vicibus invicem quoad ramos unitæ ac complicatæ apparebant; quemadmodum etiam è trunco brassicæ cipitatæ nervos succiferos per folia retis instar expansa videmus; Unde origines speciales & decursus nervorum tandem ad imitationem per artificia moveri forte posse conjeci.

(*Vitemberga Augustam Vind. de 4. Januarii An. 1703. missæ.*

OBSERVATIO CLXVII.

Dn D. JOHANNIS HENRICI STARCKII.

De Infante hydropico ex malâ Diætâ Matris in lucem edito & feliciter curato.

UXor civis Lœbnicensis Domini Kirchoffii cum ad dimidiam uteri gestationem perveniret Anno 1698. nauseam omnium ciborum incurrit, adeo, ut ad partum usque nihil comedere potuerit, continuâ tamen siti & quidem inexplebili isto tempore afflicta fuit, ita, ut præter consuetudinem etiam singulis noctibus ad sitim exstinguendam avidè cerevisiam secundariam aliquoties biberet, & cum Anno 1698. die 31. Maji justo partus tempore filiam enixa esset, illa quidem præter solitum parvæ staturæ fuit cum quadam intumescentia partium omnium carnosarum, quæ ad visum increvit in dies, adeo ut ad biduum extremi corporis articuli intumescerent instar pulvinaris cujusdam mollis, in quibus ad appositionem candelæ serum videre licebat. Intra paucos autem dies abdomen ipsum intumescere & quidem cum duritie incepit, cujus tumor indies increvit, donec tandem parentes me die 26. Junii accerserent, & ut filiæ huic hydropicæ debite consulerem obnixè & anxiè à me peterent. Dixi statim puellam hanc Anasarca & Ascite laborare, & cum extremorum articulo-

rum

rum tumor œdematosus impressi digiti aliquamdiu vestigia retineret, sequens Diureticum & diaphoreticum præscripsi : ℞. Liq C. C. succin. ʒj Elix. juniper. Spir. nephrit. ana ʒß. M.D. ad vitrum subere munit. S. Urin Beförderungs-Tropffen / davon 9. biß 10. auf einmal alle 4. Stunden zugeben : cum lacte Matris : Ab hoc medicamento infans copiose aliquoties urinam excrevit. Die 27. Jun. cum obstructio alvi adesset, ut vasa hypochondriorum debitè aperirentur, sequentem pulverem, ut infanti exhiberent, jussi. ℞. Specific ceph. D. M. ϑß. gr.ii ☉.Fulmin. ritè præpar gr.i. M.F.P.S. Winde Zertheil- und Abführungs-Pulver auf einmal / cum autem tantum semel inde infans alvum habuerit laxam, hinc die 28. Jun. usus ejus repetitus fuit, ut & 1. 3. & 4. die Julii. Interim medicamento prima die præscripto frequens usa fuit ægrota pusilla. Die quinta Julii autem ob ingentia ventris tormina, quæ continuus ejus ejulatus prodebat, sequentem præscripsi pulverem ℞. Pulver. puerorum c. c. Docto Henschens, pie defuncti ϑiiij. Pulv. pueror. usual. Sem. Anis. pulv. ana ϑj. M. F. P. S. Lüfftendes Pulver / davon 1. Messerspitze auf 1. mal im Tage 3. mal zu nehmen. Die 8. Julii medicamentum primâ curationis die præscriptum reiteratum est obfelicem ejus successum. Die 10. Julii cum abdomen parum detumesceret & tumor articulorum œdematosus aliquantulum evanesceret ut & die 14. Julii sequentem Pulverem præscripsi. ℞. ☉. Fulminant. rite præpar gr. i. Sacch. finiss. ϑß. M. S. Gelindes Abführungs-Pulver. Die 15. Julii autem sequens Diureticum, ut assumeret pusilla, ordinavi, ℞. Essent. Rad. Vincetoxici, Elix. P. P. cum nitro fixo, Liqq. C. C. succin. ana ϑij. Spir. Sal. arm. Tartarisat ϑß. gt. v. M.D. ad vitrum S. munit. Dosis 7. biß 9. Tropffen alle 2. Stunden. Die 17. Julii ad abdomen ulterius emolliendum Sequens Emplastr. à me præscriptum est. ℞. Emplast. de Meliloto, de Nicotiana Ettmüll. ana q. s. Camphor. ʒiiij. M. extend. sup. pann. linteum forma transmissa S. Erweich- und Zertheilungs-Pflaster warmlechtig auf den gantzen Leib zu legen. Post impositionem hujus emplastri secutus est copiosus sudor intoto corpore pusillæ, adeo, ut fasciæ quasi aquæ immersæ semper visæ fuerint. Die 21. Julii ob urgentia ventris tormina sequentem essentiam, ut adstantes infanti exhiberent, suasi. ℞. Essent. Castor. rad. Zedoar. Liq. C. C. succin ana ϑij. M. D. ad vitr sub minut. S. Winde Zertheil- und Schmertzen-stillungs-Tropffen / davon 9. zu geben. Sudor inde continuavit & urina copiosior excreta fuit, imò totum abdomen cum extremis articulis decrevit plane. Ob sordes autem abdominis à remotione Emplastri relictas

bis

bis vel ter usa fuit pusilla balneô aquæ dulcis leni & ad meliorem sordium separationem à cute, ac ulteriorem cutis excoriationem impediendam sequens Unguentum adhibitũ fuit ℞. Ungv. nutrit. anodyn. rec. præparat. ana ʒß. Sacch. saturni ʒß. M. S. Erweich- und linderungs Salbe / äusserlich mit der rauhen Feder pose die Haut zu bestreichen / quod etiam die 3. Augusti reiteratum est. Hisce Deo sit laus, pusilla hæc feliciter ab hydrope curata, & jam in quintô ætatis anno athleticè valet cum insigni membrorum agilitate.

OBSERVATIO CLXVIII.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI STARCKII.

De inveterato fluore albo tribus tantum remediis feliciter curato intra XIV. dies.

DUcis N.N. Conjux, pòstquàm singulis annis parere desisteret, incidit in continuum fluorem album adeò molestum, ut partes in effluendo vicinas corroderet, variis usurpatis remediis, cum molestiam hanc ulterius ferre non posset, me implorat tandem & quidem die 12. Martii anno 1702. ut debitis remediis illam ab hôc molesto malô liberarem, prædixi autem statim esse morbum curatu valdè difficilem, interim si debitè mihi obtemperare vellet, me tentaturum ut Deo Benedic. morbus hic tolleretur; igitur dictâ die præscripsi sequentem pulverem ut acidum viscidum in primis viis copiosè hærens è corpore eliminaretur ℞. Specif. ceph. D.M. ℈j. ☉ Fulm. ritè præparat. gr. iij. M. S. Abführungs-Pulver auf 1. mahl / quem in jusculo calido die 13. huj. Mensis assumpsit & vel decies inde per alvum dejecit cum aliquali virium jacturâ; Hinc die 14. eam ab omni medicamentorum usu liberam reliqui, interim tamen eadem die duo sequentia remedia ut in pharmacopœâ debitè præparentur sollicitus fui. ℞. Limatur. chalyb. finiss. ℈ß. d. ad chartam in XII. cuplo divisam S. Geblüth temperirungs Pulver / davon alle Morgen 1. zu nehmen / porro ℞. Therebinth venet. q. s. Myrrh. elect. Croci Austr. Pulv. castor. elect. ana ʒß. Camph. tart. Vitriolat. Ocul. 69. crud. in alcohol redact. Corall. rubr. præpt. ana ℈iiß. m. f. l. a. pil. num. IX. ex ℈j. in ☉ß. Sonderbahre Pillen / davon des Nachmittags und Abends 9. Stücke zu nehmen cum syrupo viol. quo delectabatur ad nauseam pi-

lularum quam habebat, evitandam. Die 15. incepit præscriptis remediis uti, & ut accuratam Diætam observaret, evitando præprimis omnia acida, salsa & acria suasi, in quibus omnibus mihi morem gessit & debitè obtemperavit; Hinc D. O. M. auxiliante, elapsis octo diebus fluor iste albus in minori copia effluere incepit, ita ut die 10. curationis planè desisteret, interim me autore, continuavit usum præscript. medicamentorum usque ad diem 27. Martii, quâ ab hoc morbo molesto & curatu difficili, Deo sit in æternum laus, feliciter curata fuit hæc Illustrissima & omnium virtutum splendore ornatissima Princeps. Experientiâ enim, quam mihi quotidiana praxis Deo Duce detexit, non semel edoctus fui, quòd Mars in substantiâ datus ad acidum viscidum in primis viis absorbendum, reliquis ferè omnibus medicamentis palmam præripiat, sed & pilulas istas ramasis suis particulis acidas & viscidas cruditates absorbeant & perfectissimo suo sal. vol. oleoso, quo copiosè turgent acidas viscidas & crassas particulas in sanguine subsistentes, debitè incidant, attenuent, & planè resolvant, vivit adhuc sana & vegeta in hanc usque diem, quo hæc scribo, quasi nunquam hoc molesto morbo afflicta fuisset.

OBSERVATIO CLXIX.

DN. D. JOHANNIS HENRICI STARCKII.

De Infante semiannum agente, ex malitiosa excandescentia obstetricis in purpuram scorbuticam incidente, cum maculis cutis violaceis & erosione variarum partium excretoriarum.

Die 10. Martii anno 1702. Cum Excell. D. Hesse Profess. in hâc Academia & quidem in Facult. jurid. famigeratissimus, obstetricem unici sui filii primogeniti ob perpetratas malitiosas exorbitantias, verbis reprehendisset, & Obstetrix Cacochymiâ scorbuticâ calidâ sine dubio laborans, inde valde excandesceret, in quâ excandescentia cum Spirituum & humorum motus in corpore ejus variè perturbatus erat, Elatere eorum nimis expanso & totâ massâ sangvineâ ad nimiam effervescentiam incitatâ, unde ira dicitur furor brevis l. febris quasi artificialis, ubi salia lixiviosa sulphurea partium fluidarum magis exagitantur & plus justo evolvuntur, præsertim si sint illa excessive acria & quasi corrosiva, uti

uti in corporibus scorbuticis utplurimum existere solent; Hinc cum in tali statu infanti lac præberet, infans inde die 12 Martii malè se habere cœpit, & tandem die 18. Martii variæ violaceæ maculæ in totâ infantis cute eruperunt, sine dubiò â serô acri scorbutico in glandulis cutaneis miliaribus dictis subsistente & effervescente; Igitur hoc die infantis Parentes me accersi jubent, ego infantem purpura Scorbutica (cum nullam notabilem virium prostrationem animadverterem) laborare dixi, & cum in causam ejus inquirerem, adstantes excandescentiam obstetricis statim accusarunt, hinc ad orgasmum partium fluidarum compescendum & ad salia earum lixiviosa acria demulcenda imo ut simul malignitati, si quæ in eis lateret, debitè resisterem, sequentem pulverem præscripsi (& nervosum genus ab omni convulsione liberarem) ℞. pulv. è chelis cancr. Angl. c. in glob. ℈v. March. epil. Specific. ceph. D. M. ana ʒß, Ebur. s. igne C. C. s. igne Sacchar. ℏni, Nitri antim. ana ℈j. M. F. P. Die a. 19. Martii cum mane ægrotum infantem visitarem, Parentes narrant in præteritâ nocte eum in sternutando sanguinem per nares excrevisse & totum infantis palatum cum labris destillare sanguinem guttatim, imò cum infanti adstarem, in ploratu ejus ex cantho dextri oculi externo, loco lachrymarum consuetarum sanguinem guttatim profluere sentiebam cum obstupescentiâ omnium adstantium. Hinc ad acrimoniam humorum obtundendam & ad ebullitionem sanguinis nimiam sedandam priori pulveri præscripto sequens pulvis ut addatur consultum duxi, ℞. Pulv. heri â me præscript. & jam transmiss. ei que add Nitr. Antim. ℈ij. Cinnab. nativ. in gran. elect. ℈j. Laud opiat. grj. M. S. uti antea. Die 20. Martii in ploratu infantis, scopiose satis loco lacrimarum sanguis ex oculis utriusque lateris guttatim profluxit & maculæ violaceæ non tantum majores factæ sunt in cute, sed & in majori copiâ eruperunt, adeo ut infantis cutis quasi innumerabilibus violæ Martii floribus tincta appareret, & loco fœcum alvinarum sanguis in magnâ satis copiâ per alvum ejectus est, hinc ut acrimoniam humorum in fibris intestinorum hærentem mitigarem, & salia corrosiva multis mucilaginosis & ramosis particulis obvolverem seq. clysterem præscripsi. ℞ Flor. verbasci miij. Coq. c. lacte dulc. q. s. Col. ℔ß add. mucilag. Semin. cydon. ▽. burs. Pastoris extr. ʒj. Sacch. Thom. ʒij. M. F. Enema qui scopis meis satisfecit, dum in minori copia sanguis per alvum excretus fuit. Die 21. Martii rursus noctu per alvum aliqud sanguinis cum fecibus alvinis profluxit. Hinc iterari clysterem jussi. Die 23. Martii pulvis die 18. Martii præscriptus iteratus est, & nihil

sanguinis per nares, palatum, glandulas oculorum lacrymales & per alvum excretum fuit, sed maculæ in cute violaceæ subsistiterunt. Die 24. Martii mane infantem visitans, audio ab adstantibus quòd infantis alvus obstructa esset, & per totam noctem fere continuo ejulasset ob tormina ventris, in primo somno etiam aliquoties subsultasset, hinc ad præcavendam epilepsiam instantem, & ad acidum viscidum in primis viis stabulans educendum, sequens præscripsi ℞. Pulv. epil. specif. M. ℈j. Specif. ceph. D. M. ℈ß. ⊙. fulm. grj. m. f. P. Divid. in 2. part æqual. S. Gelinde Eröff- und Sahnen-Befreyung Pulver / auf zwey mahl. Cum ab usu uniùs pulveris, alvus nondum aperiretur intra quatuor horas consilium dedi, ut alterum pulverem adhuc infanti exhiberent, & inde alvus bis eum levamine aperta fuit & remissione ejulatus & insultuum in somno, Die 25. Martii cum indicia adessent futuræ epilepsiæ ex gr. strabismus, tremores & motus convulsivi in manibus &c. Sequens pulvis â me præscriptus fuit. ℞. Pulv. epil. Spec. M. ʒj. Spec. Ceph. D. M. Ebor. s. igne ana ℈j. Cinab. nativ. in gran. elect. ℈ß. grv. Castor. grvj. Camphor. gr. iij. Laud op. grj. M. F. P. S. Kräfftiges Pulver wider das Höchste / davon alle 4. Stunden 1. Messerspitz voll â cujus usu strabismus cum aliis pravis symptomatibus remisit. Ast. 26. Martii ob tormina ventris urgentia & adstrictam alvum mane sequentem pulverem ut exhiberent ægroto infanti è re esse duxi. ℞. Pulv. epil. specif. M. Spec. Ceph. D. M. ana grvij. ⊙. Fulmin. grj. Ol. d. Carvi gtj. M. F. P. S. Eröf- und Schmertzen-Stillungs Pulver auf 1. mahl. A quo alvus semel tantum aperta fuit, torminibus ventris denuo ingruentibus, jussi ut post meridem Clyster ano infantis injiceretur ℞. Herb. chamom. vulg. mij. rom. mj. Sem. anis aneth cumin. ana ʒij. incis. & contus. coq. c. ▽ simpl. q. s. Col. ʒiiij. add. Terebinth. venet. solut. ʒij. Liq. C. C. succin. ℈j. M. F. Enema d. c. instr. & appl. Post cujus injectionem alvus bis soluta fuit cum levamine, & ad discussionem flatuum jussi, ut sequenti Balsamo regio ventriculi & umbilici infantis inungeretur. ℞. Ol. N. M. expr. ʒiij. Ol. destill. Menth. Cumini. aurant. ana ℈ij. Balsam. de peru ʒj. M. S. Magenstärck und Winde zertheilungs Salbe äusserlich zu gebrauchen. Die 27. & 29. Martii Clysteris usus repetitus fuit cum maximo levamine ægroti. Die 4. April. tandem maculæ in cute decrescere inceperunt sensim, & Die 11. Maji plane evanuerunt, unde Die 12. Maji ut radicitus acidum viscidum ex primis viis exturbaretur usus fuit infans sequenti pulv. ℞. Specif. ceph. D. M. ℈ß. ⊙ Fulmin. grj. M. S. Lüfftungs Pulver auf 1. mahl & die 18. Maji seqq. ℞. limat. Chalyb. finis.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

finiss. gr. iiij. Specif. Ceph. D. M. grvj. ☉ Fulmin. grj. S. uti præcedens. Ubi Deo Benedicente optime convaluit, astdie 29. Maji cum ob multorum dentium eruptionem epilepsia affligeretur acerbissimè, tandem evanescentibus viribus fatis cessit.

OBSERVATIO. CLXX.

DN. DOCT. JOHANNIS HENRICI STARCKII.

De Calculoe vesica canis extracto.

ANno 1702. mense Octobris Calculus ex vesicâ canis masculi minimi 9. annorum sæpe cum doloribus & vehementi ejulatu urinam reddentis, hic Regiomonti post mortem, extractus notabilis erat magnitudinis & ponderis tres fere uncias adæquantis, exactè scilicet ad stateram examinatus, æquabatur ℥ij. ʒx. ℈j. & grij. Substantia ejus dura satis & compacta erat, color autem spadiceus seu cineritio albus. Quoad externam figuram ovum gallinaceum magnum referebat, ovalis quippe s. elliptica forma ejus existebat cum obtusioribus ac rotundioribus angulis s. extremitatibus. Longitudo pollicis instar extensa, latitudo autem duorum pollicum transversorum erat, profunditas sesqui pollicem transversum æquabat.

Superficies ex minutis lapillis invicem compactis ac coadunatis constans, aspera & in æqualis minusque lævigata, instar Cutis canis charchariæ s. potius rajæ, ex quâ manubria cultrorum confici solent, existebat.

OBSERVAVTIO CLXXI.

DN. DOCT. JOHANNIS HENRICI STARCKII.

De Calculo vesicæ, cum Materiâ quâdam osseâ in Arteriâ Aortâ circa Iliacas, observato.

OBservationem, quâm hic sisto, Excell. Dn. D. Christophorus Cunradus

radus P. P. in Regiomontana Academia celeberrimus, hisce verbis communicavit: B. Parens temperamenti sanguinei & bilioſi ad ingraveſcentem uſque ſenectutem optimè ſanus, Anni 1691. die 2. Julii Febre malignâ ardenti corripitur, tantò quidem cum impetu, ut ipſò primò acceſſus febrilis momento, jam de vitâ ejus actum videretur, ope tamen divinâ & Medicorum auxilio, poſt aliquot ſeptimanas, ex ferali lectulo tandem emergenti, vix paucos per menſes continuâ frui ſanitate licuit, redeunte ſcilicet in ſequenti anno æſtu febrili, malignorum ſymptomatum ſtipata catervâ, in tertianam ac poſt in quartanam tandem degenerante, utraque ſæpius per 14. & plures dies intermittente, ſæpius quoque recurrente. Harum febrium inſultus ultrà triennium perpeſſus, tandem priſtinam recuperabat ſanitatem. Sed, ô miſera ſanitas, quam graviores mox interrumpunt affectus! animum enim delectandi, & amicum quendam Paſtorem inviſendi gratiâ, rus petentem, atrociſſimi ſtranguriæ cruciatus (nulla enim tunc temporis de calculo ſuſpicio) in viâ dilacerare ceperunt, ita ut nec per momentum ferè dolores remitterent, quibus tandem vulgaribus remediis ſedatis, ac B. Parente ad domeſticos Lares reverſo, novum Symptoma eum divexare cœpit; Quotidiè enim ferè, poſt prandium, cum Caſeum Hollandicum comediſſet, vomitu & doloribus lumbaribus, accedente nonnunquam levi febriculâ, affligebatur, qui dolores, (omnibus nec tunc ullam de calculô ſuſpicionem habentibus) pro Colicis æſtimabantur, mox enim poſt Spiritûs vini uſum remittebant, Tanti vero eum anno 1696. die 31. Januar. cùm amici cujusdam convivio intereſſet, infeſtare dolores circà pubem & radicem penis cepere, ut lectum petere, & ordinarii ſui Medici opem implorare cöactus fuerit, ſed iſtorum vehementiam, tantum abfuit, ut & nobiliſſimorum pharmacorum viribus frangi potuerit, ut potius per integram noctem majori ſæviret impetu, usque dum circà horas matutinas viginti ſex lapilli rotundi, duri, majores, minores, (maximus erat inſtar piſi majoris) unà cum urinâ excernerentur; Poſt hunc diem dolores calculoſi magis ingraveſcebant, ac, paucis quandoque conceſſis intermiſſionis diebus ſæpiſſimè recurrebant, non obſtante, quòd plurima ad refrænandum illorum impetum adhiberentur pharmaca, optimæ licèt notæ; Interim nec ſaburra ſabuloſa, nec limoſa, nec calculus ullus excludebatur, verùm particulæ quædam albicantes ac quaſi caſeoſæ nonnunquam in urinâ conſpicuæ erant. Antè ſex circiter menſes, priusquam diem obiret ſupremum, lapis unus figurâ & magnitudine lapidem olivæ repræſentans, iterum extrà veſicæ termi-

terminos relegabatur, sine notabili tamen dolore. Tandem ruentis seculi anno ultimo, Julio imprimis & sequentibus mensibus feralis morbus vehementiora quam unquam, quoniam ultima, in B. Parentem vibrare cepit tela, quibus, accedente totali appetitus abolitione, viribus idcirco indies deficientibus, & insequente esculentorum, potulentorum, ipsorum met medicamentorum post assumptionem, ac ultimis diebus, materiæ cujusdam nigricantis quoque vomitu, tandem oppressus, die 15. Sept. circa Meridiem æt. suæ anno 70. ultimum placidè exspiravit halitum. (Notandum, quod per 14. dies nullus vel â Medico suo ordinario l. â me aut aliis pulsus, etiamsi accuratissimè investigabatur, percipi potuerit.) Cadavere ejus horis pomeridianis ejusdem diei, in præsentiâ Dn. Doct. Lepneri, Profes. Primar. amicorum nonnullorum & binorum Chirurgiæ Magistrorum, cultrô Anatomicô reserato, sequentia notare licuit:

(1.) Corpus ante à succiplenum, ematiatum valdè apparebat, eratque abdomen ejus ita collapsum, ut medius venter ad altitudinem trium digitorum transversorum promineret. Nihilominus:

(2.) Cute separatâ, musculos abdominis pinguedine satis adhuc dùm copiosâ & ad pollicis latitudinem crassâ, circumvestitos conspicientibus.

(3.) Intestina quoque cum Mesenterio & omento multâ gaudebant pinguedine.

(4.) Ventriculus & intestina omnibus excrementis vacua erant, exceptâ paucâ quâdam materiâ viscidâ & glutinosâ intestinorum parietibus adhærente.

(5.) In ventriculi interiori tunicâ maculæ quædam nigræ visui sese offerebant, quas glandulas ventriculi gangrænâ affectas fuisse, & indè atram istam materiam paucos ante obitum dies per vomitum redditam, suam deduxisse genesin, suspicamur.

(6.) Hepatis substantia & magnitudo omnibus numeris erat perfecta.

(7.) Vesicula fellea admodum parva, omni destituebatur humore bilioso, adimplebant verò coarctatam ejus cavitatem lapides tres molliores, magnitudine nucem avellanam circiter adæquantes, qui in aquam projecti, neutiquam fundum petunt, sed contra lapidum naturam supernatant.

(8.) Lienis substantia optima, nisi quod ejus longitudo 5. digitorum latitudinem vix superabat.

(9.) Renes tùm in eorum substantiâ, cum pelvi, ab omni saburrâ sabulosa

sabulosâ, lapillis ac purulentâ materiâ immunes & liberi observabantur.

(10.) Ejusdem constitutionis erant quoque uretheres, quorum nec cavitas præter naturalem adepta amplitudinem.

(11.) In vesicâ verò urinariâ delitescentem reperiebamus tot tantorumve atrocium dolorum autorem, ingentem scilicet & insolitæ duritiei calculum, fundo vesicæ â latere sinistro accretum, magnitudine ovum anserinum adæquantem, & Uncias tres cum Drachmis quinque in se continentem, exterior ejus ambitus admodum asper est.

(12.) In arteriâ magnâ sive Aörtâ, infrà renes circa regionem musculorum Psoas, ubi dicta arteria in binos se propagat ramos Iliacos dictos, interiorem ejus tunicam materia quædam ossibus similis ultrà spithamæ longitudinem ambiebat; quæ ipsamet materia dictas etiam Iliacas, aliasve Aörtæ propagines vicinas circà harum ostia obsidebat.

(13.) Cor B. Parenti erat magnum, validissimis donatum fibris, ac locupletatum adipe copioso, nihilque ipsi aderat præternaturale, nisi quòd à motu suo cessare, & æternas agere ferias, cöactum sit.

(14.) Pulmones itidem, si color saltem eorum pallidior excipiatur, parum â naturali constitutione recedebant.

(*Regiomonto Augustam Vindelic. d. 21. Jan. Anno 1703. missæ.*)

OBSERVATIO CLXXII.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GARLIEP.

De enormibus & funestis flatuum in corpore humano tragœdiis.

QUid flatus circa salutem ac vitam mortalium subruendam valeant, tragici, quos Experientia frequens suppeditat, eventus satis demonstrant. His maxima pars morborum, & qvidem præcipuorum Humani generis tortorum suam debent immanitatem, quicquid Helmontius tr. de flatibus renitatur, quicquid & author epistolæ ad Celeberrimum D. Patinum, p. m. de Aortæ illius polypo scriptæ, quæ in Ephem. Naturæ Curiosorum Germaniæ dec. 3. ann. 1. in appendice habetur,

betur, dum flatus Jatricæ Moryæ asylum appellat, oggannire videatur. Hypochondriaci certe mali strictè sumti, proximam & continentem causam flatus esse, in intestini tenuis, à termino jejuni ad Ilei exordium, circumflexu, sub sinistri lateris hypochondrio latente, contentos, illudque ipsum quod aliàs naturaliter constitutum, vix digitum mediocrem caperet, ad pugnorum duorum nonnunquam capacitatem utris turgidissimi instar distendentes, sicque lienem, insons illud utplurimum illius mali viscus, induratum mentientes, nemo facilè negaverit, qui providâ ac solicitâ indagine, novacula anatomica viam præstruente, oculis mecum propriis pluries usurpavit, ac debitè examinaverit tumorem, illum externè tangenti semet offerentem, durum, quem vulgus Medicorum nonnullorum, duritie illa ferè saxea deceptorum atque præjudicio Antecessorum, ipsius quoque Principis Hippocratis, cui duri lienes hypochondriacis tribuuntur, præoccupatorum, pro lienis scirrho habet, ac pro splene indurato, mundo, qui amat decipi, venditat. Scorbuti quoque propriè sic & strictè dicti, derivatione à Belgico Scheurbuyck derivata, quod ventrem quasi dilaceret, intimam essentiam à flatibus ex effervescentia humorum tam bilis quam succi pancreatici, in statum præternaturalem & acrimoniam, sive alcalinam sive acidam nimiam degeneratorum ac in intestino concurrentium, inque se invicem vehementer agentium, vitiosa natis, intestina vehementer lancinantibus ac ad motum peristalticum violentum ac quasi convulsivum stimulantibus pendere, atque si omnem dolores inde oborti modum, uti sæpius fieri assolet, excesserint, Colicas vehementes scorbuticas, convulsiones, paralyses, imo necem sepenumero subitaneam ac inopinam variis patrare modis, experientia quandoque lugubris dictat. Unum alterumve hujus rei exemplum satis tragicum hic addere haud importunum videtur.

Artis pharmaceuticæ in pharmacopolio Friderico-Vicino hujus Metropolis, hactenus cætera sospes & incolumis discipulus, tyrocinio jam ferè absoluto, intrita panis cum cerevisia melle condita calida satis frugaliter postquam cœnaverat, cubitum it, ac manè mortuus in lecto invenitur. Nulla tam inopina necis causa externè apparente, novaculæ anatomicæ, quo illa pateret, subjicitur, Abdomine aperto nil statum morbidum indicans invenitur, nisi intestina universa flatibus immanè distenta, immense turgida, omento sursum ad colum subventriculo omnino retracto, mutata, mirè contorta, circumvoluta, complicata, confusa ac extra naturalem ordinem ac situm penitus exturbata,

vem, symptomate præsertim inaudito calamitosam, motu nimirum bata, aliàs ritè uti & reliqua omnia tam supremæ quam mediæ regionis viscera nullâ notabili labe ullatenus affecta, nil nisi colicam immanem â flatibus ortam arguebant, sicque tortores illos subitaneæ illius internecionis reos peragebant, Memini cum Lugduni Batavorum inter tyrocinia praxeos, præeunte Celeberrimo Practices Professore Domino Francisco de le Boë Sylvio nosocomium frequentarem, Cornelium quendam Lathene dictum, Hypochondriaco-Scorbuticum, qui innumerorum symptomatum de die ferrè in diem variantium, tussi præsertim molestissimâ ac contumacissimâ, cum hæmoptoës phthysin præsagiente, præcordiorum angustiâ præsertim & cardialgiâ, tumoré adhæc pedum, tandem & scroti ascitem minitante, febri vagâ scorbuticâ, cum virium prostratione haud levi &c. syndrome penè obrutus, variis pro re natâ ab 8va Maji ad trigesimam usque Junii Anni 1662. ordinatis ac propinatis remediis, cum aliquam remittentibus plerisque symtomatis, spem reconvalescentiæ fecisset, adeò, ut brevi nosocomio valedicturus videretur, Clarissimo Domino Sylvio Hagam Comitum, ut Generoso Domino de Sulichom febri laboranti assisteret, evocato, inibique unum alterumque diem morante, tandemque reduce, nos ejus sectatares nosocomium cum illo revisentes, præter omnem spem & opinionem isthunc mortuum, Ejusque faciei medietatem lateris sinistri, ab oculo ac naso ad aurem usque ac collum totam sphacelatam, æthiope nigriorem offendisse cumque historiam inopini illiusmodi lethi sciscitaremur, hæmorrhagiam dimidiæ circiter horæ continuam vitæ illius filum abrupisse â præsentibus illius tragœdiæ spectatoribus docemur. Decesserat paulo ante nostrum ad nosocomium reditum præter prædictum hydropicus; verùm cum plura hujusmodi subjecta inquisitioni anatomicæ hactenus dicata fuissent, maluit Dominus Antecessor in causam hujus hæmorrhagiæ truculentæ inquirere, quare in theatrum anatomicum Nosocomii privatum transportatus fuit. Aperto cadavere ac remotis abdominis integumentis Hepar se primum cum Ventriculo obtulit, uterque innumeris vasculis, funiculorum quasi instar vitreorum, pellucidorum, sanguine vacuorum, illiusque loco flatibus distentorum superficiem tegentibus quasi consitus. Pergendo omentum, mesenterium, intestina illorumque tunicæ, ac reliqua abdominis contenta canaliculis ejusmodi tecta, imo vasa omnia reliqua tam majora quàm minora cruore omni viduata prorsus ac flatibus fœta. Idem quoque in cavitate thoracis ejusque viscerum pulmonum, mediastini, pericardii,

Cor-

Cordis eorumque vasis, tam parenchyma subeuntibus quam superficiem tunicarum ac membranarum lambentibus status. Imo in ipsis cordis ventriculis & vasis, præter polypum satis grandem albicantem vix gutta sanguinis, vasa verò omnia arteriæ, venæ, lymphatica universa flatibus turgida, argumento satis liquido flatus hujus tragœdiæ immanis præcipuos fuisse actores truculentos.

Præterea memoriam subit calamitosum, quod Gedani cùm Practicum illic Medicinæ agerem, contigit, anno seculi præcedentis sexagesimo circiter quarto exemplum. Civis & mercator urbis dictæ mediocris quidem conditionis & Fortunæ; Vir alias honestus & honoratus, dum negotiorum gratiâ in atrio Aulæ, quam ab Arturo Daniæ sive Rege sive Principe Regio extructam, Mercurii sacris seu Mercaturæ dicatam ferunt, unde ab illius nomine Artus Hoff linguâ audit vernaculâ homines inter sui generis aliquamdiu versatur, à flatu vehementi admodum urgetur, adeò ut conversationi invitus valedicere domumque properare adactus, vix medium plateæ citato emensus gradu, cum vim ejus & violentiam diutius tolerare nullatenus posset, in ædem alienam secedere, ac præfatâ ab hospite in vestibulo sibi obviâ, verecundè veniâ, habenas sphincteris, hactenus ægerrimè strictas, laxare tandem nolens volens cogeretur, unde tam immensus ventris evasit crepitus, qui quadrantis fere horæ spatio durans, ante non cessavit, quam cum spiritu illo fœtido vitam quoque simul efflaret.

OBSERVATIO CLXXIII.

DN. DOCT. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEP.

De Motuum Convulsivorum universalium raro & notabili exemplo.

NObilissimæ familiæ à Patritiorum Gedanensium genere filiola septem circiter aut octo annos nata, Parentibus in prædio quatuor milliaribus ab urbe dissito satis splendidè degentibus, cùm autumnali tempore, aëre frigido ac humido, cæciâ insuper horridè satis flante, in atrio paulò diutius non satis velato capite commorata discurisset, paulo post in febrem incidit catharralem continuam satis gra-

convulsivo non solum omnium membrorum aut musculorum sed ipsarum quoque fibrarum ferè catholico, adeò ut non tantum partes organicæ motui voluntario obnoxiæ, & ad motum dispositæ, sed & ad eundem prorsus inhabiles, illarumq; ipsæ quoque fibræ indesinenter motu involuntario præternaturali & irregulari sursum deorsum, horsum rursum, prorsum convellerentur frons ejusque musculi, oculi eorumque palpebræ, tam albugo quam pupilla, tam cilia quàm supercilia, nasus, ejusque tam mucro quam alæ narium, genæ utrinque & aures earumque tam lobuli quam pinnæ, labia cum maxillis, lingua ipsa ita ut ad vocem articulatam formandam instabilis perpetuo, & involuntario tumultuariòque motu circumageretur nunc protruderetur nunc retraheretur, musculi cervicis, colli, thoracis, brachia, manus, digiti, paucis, nullum prorsus in toto corporis ambitu membrum erat, quod perpetuo motu convulsivo non torqueretur, idque quod sanè mirandum, sine insigni patientis tenellæ querimoniâ, de nimiâ molestiâ aut notabili gravi dolore, non tamen sine omni virium jactura. Unde parentes opulenti, de filiæ dilectæ vita admodum soliciti Carpento culcitris & pulvinaribua optimè instructo impositam, Gedanum, quò sanitatis ejus & curæ ratio haberi posset accuratior, transportarunt, atque convocatis præcipuis illius urbis acceleberrimis Medicis curam illius committunt; Nihil ibi prætermissum, quod quacunque ratione quicquam ad illius restitutionem contribuere posse visum, sed omnia incassum, octiduum fortè transierat, ac ne gry quidem omni solicitudine ac exquisitissimis remediis profectum, adeò ut supra omnia remedia malum deque ægræ reconvalescentia & vita conclamatum esse, τὸ φεῦον Hippocratis accusantes aut incantamenti quid illi subesse censerent. Tandem Parentes filiolæ Charissimæ jacturam, ut apparebat inevitabilem, ægerrimè ferentes, anum quandam Empiricam famosam accersunt, quæ solo aliquandiu propinato decocto amarissimo, (Colocynthidem meram dixisses, basis certe procul dubio, aut præcipuum medicamenti ingrediens hæc fuit) vehementissimè purgante, à motibus illis convulsivis liberabit, ac statui pacatiori non tamen integræ sanitati restituit; Valetudinaria enim ac Cachectica pene toto vitæ tempore reliquo fuit, donec 23. circiter ætatis anno Comitiali, quantum recordor, morbo occubuit.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXIV.

Dn. D. GUSTAVI CASIMIRI GAHRLIEB.

De Hysfericæ passionis admirandis symptomatis.

VIrgo viginti præter propter annorum orphana Materteræ suæ viduæ Honestæ cohabitans, chlorosi ac cachexiæ ob mensium defectum aliquandiu obnoxia, dum eidem cognatæ suæ in complicandis linteaminibus recens lotis ac siccatis occupatæ astat & auxiliatur, edito cum ingenti clamore cachinno perculsam pavore materteram ad intuendum se excitat, simulque trochi instar velocissimè alterutri insistens pedi diu circumgyrata tandem in tergum supina concidit, moxque flumen quasi aliquod sanguinis ex ore confertim erumpens, faciem ejus totam, collum ac pectus inundat, quo à materterâ atrociter hoc horrendo phænomeno consternatâ absterso, aspersis aquis quibusdam corroborantibus excitata sibi tandem redditur, ac ad laborem hactenus derelictum, valetudinaria tamen posthac ac variis aliis affectibus hystericis vexata, revertitur. Anno circiter 1663.

(*Berolino Augustam Vind. di 21. Mart. 1703. missæ.*)

OBSERVATIO CLXXV.

Dn. D. JOHANNIS WILHELMI ROMBERGII.

De Fractura ossis humeri rara.

INter cæteros milites in obsidione Landavienši sauciatos raram fracturam passus est quidam, ex Legione Comitis de Lübek, cujus os humeri tribus digitis transversis ab ipsius capite paulo supra insertionem musculi deltoidis, ab ictu fragmenti pyroboli majoris disrupti, per transversum diffractum erat, cum ingenti contusione, dolore, motu, impotentiâ, incurvatione membri & aliis symptomatibus, absque tamen vulnere. Instituta itaque fuit legitima deligatio splenüs ferulisque

firmata, quibus post aliquot septimanas remotis, nullum dolorem sentiebat æger, nulla adrat membri inæqualitas, aut cutis externæ color suspectus, aut aliud fracturæ indicium externum, præter motus impotentia, quæ dum humerum attollere volebat, adhucdum restabat: Cum verò in calli generationem investigaremus, primo attactu nonsolum nullus apparuit, sed & manu membro transversim impositâ, illud in quamcunque partem circa dictum fracturæ locum absque omni strepitu vel molestia blandè & facile inflecti poterat, extremitatibus ossis fracti nondum firmatis, sed cartilagine superinductis & munitis, ita ut naturam novam articulationem ex dicta fractura efformasse dixeris.

(*Manhemio Augustam Vind. d. 28. Aprilis An. 1703. missa.*)

OBSERVATIO CLXXVI.

Dn. D. JOHANNIS MAURICII HOFFMANNI.

De Spina ventosa opido rara, cum insigni ossis femoris dextri fractura, ejusdemque notabili fragmine per abscessum separato.

HOminem ab ortu totum morbosum esse, uti Hippocrates ex fide experientiæ scripsit, ita casus nunc recensendus confirmat: Puer quispiam parentibus natus scorbuto acido multum corruptis, ab incunabilis dubia valetudine sæpius conflictatus, scabie cumprimis molesta subinde divexatus, nondum exacto ætatis sexennio, Anno suprà millesimum sexcentesimum octuagesimo secundo, noctu diem Lunæ Dominicæ secundæ Adventus proximum insequente, cum scalam ad cubiculum ducentem ascendere vellet, repente sublata incedendi Facultate, dolorem insignem in medio femoris dextri crassiori sensit, ob quem per longum satis tempus in lecto decumbere coactus est, etiamsi præter intumescentiam totius femoris morbidam nulla inflammationis, aut coloris in cute exterius mutati signa apparerent. Post aliquot autem superatas septimanas Anno insequente octuagesimo tertio in parte femoris interna prope genu, macula rubicunda magnitu-

gnitudinem monetæ ein Groſch / Germanis dictæ adæquans emicuit, quâ per Chirurgi phlebotomum pertusa paucæ emanaverunt cruoris guttulæ, sed temporis successu notabilis puris copia inde effluxit. Atque interea æger pedem afflictum spasmo detentum extendere haud poterat, extremis nihilominus pedis digitis inniti conabatur, dumque vacillantem gressum ita tentabat, aliquando subsidens in terram ex corporis facta concussione novos patiebatur dolores, Chirurgus autem in subsidium vocatus, os femoris in medio Καυληδὸν per modum caulis effractum deprehendebat, cujus consolidationem uberior puris proventus remorabatur, adeoque æger ultra annum maximis cum dolorum cruciatibus in lecto decumbere cogebatur; Anno octuagesimo quarto mense Aprilis baculo suffultus, ægrè admodum aliquot gressus perficere valebat, dumque Chirurgus ossi facto consolidando, & puris ampliori affluxui per fascias circumductas excludendo intentus erat, & sub poplite duo triave erumpebant ulcuscula, per quæ ossis spina ventosa erosi squamulæ abscedebant: Anno nonagesimo sexto amplior squama sola exitum per unum illorum ulcusculorum habuit, hocque facto singula paulatim occludi cœperunt, sed mox in illorum vicem aliud in medio femoris & suprà fracturam, cum lateralibus quibusdam prorupit, Anno nonagesimo septimo itaque demum per remedia interna Curatio expetebatur, quando Chirurgus ulcusculum medium cum vicinis per incisionem & caustica imposita copulare & amplificare omni ope enitebatur, hinc apertura satis larga specillum profunde penetrans admittebat. Anno hujus seculi primo æger iter Weissenburgam parabat, balneo medicato ibidem celebri usurus, sed irrito effectu, dolor siquidem intendebatur, id vero notabile erat, quòd post apertionem insecuto aliquo temporis intervallo occlusio ejusdem spontanea evenerit, tuncque æger pedi morbido etiam aliquantisper inniti, nec tamen nisi cum quapiam difficultate incedere potuerit. Mense ejusdem anni sextili, sumto dolor recrudescebat incremento, & cutis eo loco quo incisio antehac adornata erat, livescere incipiebat, mox rupta extremum ossis fracti prominulum proferebat, pro hoc autem ulterius detegendo & ad extractionem faciliorem promtius arripiendo ipse æger viam per novaculam pandere allaborabat, sed arreptum idem ob firmiorem cum osse residuo nexum sese divelli renuebat, donec XXVI. Novembris die post separatam carnis spongiosæ circumcirca luxuriantis insignem partem fragmentum ossis carioſi talis, qualis hîc delineata cernitur figuræ

figuræ & magnitudinis exemptum fuerit. Ab illo tempore abscessus foramen suasponte claudi cœpit, ita tamen ut per intervalla modo longiora modo breviora sanici parum inde emanaverit; inpræsentiarum autem vix tantillum lymphæ sanioſæ amplius extillat, idemq; mox in crustam concrescit, quod autem miraculo proximum est, Juvenis pius & probus ob solertiam & eruditionem bonis omnibus charus & amatus, commode obambulare & aliquot milliarium iter pedibus exigere, idque commode satis valet, nec femoris ossi relicto quicquam de longitudine decedit, quin potius hæc accrevit, ita ut pedem dextrum sinistro longiorem metiri liceat. In proposito autem casu sicuti humorum acrium acidorum erodentium in ossibus depascendis virulentia, tanquam præcipua spinæ ventosæ causa evidens est, ita consolidationis beneficium callo loco medullæ subnato osseam soliditatem ferme adepto, & extrema ossis fracti (post fragmentum separatum) denuo quasi ferruminanti imputandum videtur, talem namque succrescere olim Patavii in Nosocomio D. Francisci majoris observavi, ubi in adolescente ossis tibiæ carioſi frusto, mediante admoto cauterio actuali ut dissiliret, exemto, medullæ locum centralia callum ossescentem occupasse annotavi.

Explicatio

Fig. XXVIII.

A. Fragmentum ossis femoris spina Ventosa corrupti, in sua magnitudine & figura delineatum.
B. C. D. E. Extrema ejusdem acuta & aspera.
F, G. Lamellæ osseæ distinctæ conspiciendæ.

OBSERVATIO CLXXVII.

Dn. D. JOHANNIS MAURICII HOFFMANNI.

De Aqua pericardii in Bove habita.

PEricardium sive cordis capsulam ex duplicis membranæ complexu efformari, harumque extimæ superficiem convexam pinguedine hinc inde perfusam, & fibris inæqualiter hinc inde prominulis, tutelæ

Fig. XXVIII. p. 312.



læ gratia robustis concavam fibris magis albicantibus & rectis intertextam, interiorem autem alteram tunicam, quâ parte cor respicit, admodum lævem, & factâ cum digito subjecto pressione per plurima minuta foraminula quibus interna superficies ad instar foliorum hyperici vulgaris pervia est, seri limpidi guttulas plorare, utrique autem aspredines quaspiam glanduloſas sive corpuscula minima glanduloſa sphærica intercedere compertum hodie habetur, & idcircò Anatomici moderni scaturiginem aquæ pericardii à dictis glandulis repetunt, & internæ tunicæ foraminula pro vaſorum excretoriorum ostiolis reputanda esse cessent, persuasi, naturaliter intra pericardii ambitum aquam in majori vel minori vel mediocri copiâ, ad fibras cordis extimas blanda sua alluviè flexiles servandas, & adversus rigiditatem à resiccatione alioquin metuendam defendendas præstò esse. Nec verò desunt Autores, contendentes serum illud lymphaticum in statu secundum naturam haudquaquam reperiri, sed sub lentâ morte à sanguine stagnante, aut ad minimum in commeatu suo liberiori aliquantum intercepto illuc saltem secerni. Ut igitur hac de re certior fierem, cum Anno superiori supra milleſimum septingenteſimum primo Sereniſſimum ac Celſiſſimum Dominum Dn. GEORGIUM FRIDERICUM Marchionem Onoldo-Brandenburgicum, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Campi Mareſcallum locum tenentem Dominum ac Principem meum Clementiſſimum ad Caſtra Imperialia Chiarenſia ſequi juſſus eſſem, ibidem autem & poſtea in itinere ad hybernacula ſuſcepto ſæpius mactationi boum adeſſe, atque extiſpicinam inſtituere licuerit, bovis juvenis habitus ſani & ἐυσάρκε vix trucidati thoracem illico aperiri curavi, moxque diſſecto pericardio inquiſivi, num aqua ibidem adſit nec ne & ecce inveni illam in notabili quantitate limpidiſſimam, ſapore leniter Salſo imprægnatam: Vaſa pulmonum lymphatica argenteo nitore reſplendeſcebant, cordis ventriculi & auriculæ cum vaſis pulmonalibus integram & illibatam monſtrabant conformationem, ut adeo ex hacce obſervatione pateat, aquam intra cordis capſulam colligi, ubi ſanguinis circulus minus interruptus aut ejusdem Euripus interceptus fuerat.

OBSERVATIO CLXXIIX.

Dn. D. JOHANNIS MAURICII HOFFMANNI.

De Anevrismatis felici à se curatione.

BAlneator cum in urbe N. Perillustri & Generosissimæ cuidam Baronissæ mediante phlebotomo venam medianam secare juberetur, eandem non solum violenter pertudit, sed & vasculum arteriosum subjectum læsit, unde sanguis celerrimo cum impetu erumpens difficulter medicamentis styptici, moneta argentea imposita, & arctiori adhibita deligatione coërcere potuit. Successit nihilominus post triduum vulnusculi venosi consolidatio, brachium autem per interiorem ambitum universum suggillatione correptum apparuit, dehinc circa locum Venæsectionis improvidè administratæ incepit eminere tumor nonnihil livescens mollis & laxus, digitorum compressioni majori ex parte cedens, sed mox recurrens, qui tamen incremento postea sumto durus evasit, pulsum autem cordis æmulum ad contactum notabilem exhibuit, ut adeò anevrisma juxta Cl. Nuckium in Experimentis Chirurgicis, Experiment. XXIX. Spurium dicendum adesse patuerit, ex arterioso siquidem vasculo solutionem continui passo, sanguis inter partes musculosas & subcutaneas effusus tumorem illum visibilem peperit. De majori igitur Perillustris Matrona sibi haud immeritò metuens periculo, opem meam anxiè imploravit, quapropter emplastrum styptico-traumaticum quolibet quatriduo renovandum suprà corium figura & magnitudine tumori æquale extendi, anevrismati applicari, supra illud verò lanniam plumbeam imponi, ac fascia longiori decenter circumducta singula firmari præcepi; cumque suggillatio post illitum spiritum matricalem jamdum evanuisset, anevrismatis tumor depressus subsedit, callo relicto duriori, nullum tamen motus libertati obstaculum ponente. Emplastri compositio erat sequens:

℞. Emplastri diapalma ℥ij.
Pulv. Mastichis
Rosar rubr.
Myrtill.

Radi

Rad. Symphyti ana ʒj.
Vitrioli albi ʒij.
M. cum s. q. Ol. rosac. & Ceræ
F. Magdaleon.
D. S.
Besonder heilsam/ zusammziehendes Pflaster.

(*Missæ Altdorffio Norimbergam 4. Mensis Maji 1703.*)

OBSERVATIO CLXXIX.

Dn. D. JOHANNIS LUDOVICI APINI.

De Abscessu Tunicæ Intestinalis glanduloſæ.

VIr annorum quadraginta novem, temperamenti sanguineo-Cholerici, castra à prima juventute secutus, & Locumtenentis officio functus in turma Equitum Cataphractorum, sanus alias & incolumis, laborum tolerans, sine dubio ob mutatum vitæ genus, quod olim in Hungaria, Rascia, Danubii Rhenique tractibus fuit occupatissimum, tum temporis autem, feriante Bellona, desidiosum erat & ignavum, accedente etiam victu crudiore & viliore, paulatim cœpit floridum faciei colorem amittere, oculosque cavos ac trucem ostendere vultum, qui mihi juxta ac aliis suspectus erat. Sed ut robore naturæ pollebat, ita nil opis flagitavit, donec d. 5. Februar. 1699. rigore vehementissimo & omnimoda virium prostratione corripitur, ita ut d. 6. summo mane vocatus, valde debilem & velut à se ipso mutatum deprehenderim. Non ambigebam ex prægresso rigore & subsequente caloris intensiore gradu, febre acuta continua laborare ægrum Igitur ex Methodo mihi familiari seq. præscripsi Mixturam.

℞. Aq. fl. sambuc. cort. antifebr. n. ana ℥ß. aceti theriac. ʒij. Extr. antifebr. n. ʒj. Theæ bezoar. ʒj. Sir. d. cort. citr. ℥ß.

Hinc sudor erupit, quamvis non sine anxietate, & peracto sudore levia quædam intercurrebant animi deliquia, cujus gratia seq. Epithemate ad pulsus & tempora fuimus usi.

℞ Spir. Vin. camphor. aceti rutac. aq. carbunc. ana ʒj. Jactabat etiam ob caloris vehementiam hinc inde corpus & haud raro per axillam dextram puncturas acutissimas transire sentiebat, ut universum cor-

pus veluti terrore aut Epileptico insultu comprehensum elevaretur in altum, hincque facile colligerem, occultum quid subesse.

Consumta horis antemeridianis Mixtura Antifebrili, in eundem scopum pillulæ seqq. præscriptæ. ℞. Extr. antifebr. ʒß. camphor. ʒß. c. s. q. Extr. Myrrh. f. pil numero XL. D. S. Alle 4. Stunden 5. Stuck zu nehmen.

Hinc tamen ex voto ceu alias solent, æger haud sudavit, alvus vero bis solvitur, quæ qualis fuerit, nemo observavit. A meridie igitur hora tertia, cum sudor non satis responderet, dedi ʒj. Salis cujusdam Antimonialis bezoardici, utpote quo difficiles adsudandum plerumque, soleo τὸν δεσπνεομένας reddere. Nec eventus fefellit, sudavit enim ἐυφόρως. Hora nona nocturna jussi deinceps binas assumere pilulas è jam memoratis, quæ sine operoso regimine facilem moverunt sudorem. Referebant adstantes quoque d. 7. Febr. vomitum circa medium noctis incidisse, & de nocte bis vel ter alvum fuisse solutam. Hoc ipso verò mane multo melius habebat æger, pulsum ostendens vegetiorem cum habitu & vultu pleniore ac rubicundo. Hora septima matutina pilulæ binæ iterum præbentur, unde jam, soluta semel habitus externi strictura & æqualiter circulante Massa Humorali, largiter sudavit. Interim bene spirabat, dolorem neque ventris neque pectoris querebatur, nulla tussi vexabatur, & tamen cœpit post levem screatum sputum viscidum cruore tinctum, lateritium revera, exspuere ac rejicere sine laboriosa commotione, sine ulla tussi, qua si sponte sua veluti per ebullitionem in os redundaret & assurgeret. Vomicam proin alicubi in pectore ruptam non dubitavi, & proin pectoralia Antifebrilibus remiscui seq. in modum.

℞. Aq. cort. antifebr. n. Chærefol. ana ʒij. Extr. antifebr. gr. X. bals. Sulph. anis. gtt. ij. Sir. fl. pap. errat ʒij. laud. cydon. gr. ß. M.

Hujus Mixturæ dimidium hora nona nocturna dedimus, reservantes reliquum in crastini auroram. Nox superioribus quietior. D. 18. qq. æger, quam alias, pacatior, jamque ad sudorem perfacilis, multum adhuc spuens viscosi phlegmatici sanguine tincti. Mixtura consumta pilulæ pectorales & simul Antipyreticæ seqq. præscriptæ.

℞. Succ. Liquir. depur. Extr. antifebr. n. ana. ʒß. laud. cydon. gr. j. c. s. q. Ess. antifebr. F. pil. num. LX. D. S. Alle 6. Stund 10. zu nehmen.

Sub vesperam etiam Mixturam pectoralem resolventem talem ordinavimus.

℞. Aq. Veron. scabios. an. ʒij. cinam. aceti destillat. an. ʒß. sangu. hircin.

pp.

pp. Ocul. Cancror. ppt. ana ℈ij. Sir. fl. pap. errat. ℥ß. D. S. alle Stund ein Löffel voll zu nehmen.

Hæc eo sumebantur successu, ut cum phlegmate sanguinolento nunc etiam pus rejiceretur. Potus ordinarius erat ex specibus pectoral. Herb. Chærefol. fl. papav. errat. & rad. lapp. major. D. 9. continuetur expectoratio mixti cum pure cruenti sputi incredibili copia, paulatimque tussis nunc accedit & ingravescit, quasi ex profundo majori conatu exantlanda esset sputi materia. Pergitur in iisdem. Nox autem valde inquieta ob tussim perpetuo urgentem, cujus irrequieta solicitatione d. 10. mane particula quædam membranacea sputo rejecta, aquæ, cui injiciebatur, innatans. Omnia hæc Vomicam & abscessum intra pulmones loquebantur. Secus tamen fuisse eventus docuit. Cum enim alvus ultimo hoc triduo obstructa esset, & æger tensionem quandam in abdomine perciperet, clyster ex meris emollientibus injectus. Unde aluo soluta, pus statim & sanguis, seu materia, illi, quæ ἄνω rejiciebatur, similis conspiciebatur. Sequuntur paulo post tormina & iterata alui solutio, quam cum d. 11. mane inspicerem, inter excrementa integros tunicas intestinales conspicari sibi videbantur, ad quod spectaculum ego vocatus, sanctissime affirmare possum, integras tunicas intestinales, tubulosa forma exactissime præditas. Hisce meis manibus me tractasse, & super baculum teretem expansas adstantibus & ad rei novitatem concurrentibus vicinis monstrasse. Erant autem utraque fine laceræ, pure & sanguine conspersæ, alicubi etiam punctulis rubicundis notatæ, quasi acu factis foraminalis, longitudinis diversæ, ita ut portio quædam spithamæ longitudinem æquaret. Accuratiore inspectione adhibita, patuit fuisse fausta tunicæ interioris glandulosæ, quam vulgo peristroma villosum dicunt, & Malpighius ex glandularum nerveæ tunicæ tanquam basi insistentium ductibus pilosis excretoriis componi asserit, Ruyschius vero in Epistola Problematica XI. ostendit, nihil aliud esse, quam vasorum sanguiferorum extremos molliores finus & fasciculos, instar penicillorum detritorum concipiendos, secluso sanguine mucidiorem saltem lympham & pituitam intestinalem transmittentes. Manifeste enim rugæ illæ ac plicæ, in tunica interiore alias notabiles, conspiciendæ erant. Clarissime igitur intelleximus, laborare ægrum abscessu tunicæ intestinalis glandulosæ, quare curationem dubia licet eventus exspectatione spemque motumque inter vulneraris simul in auxilium vocatis continuavimus, & primum pro febre penitus

evincenda ac putredine arcenda præscripsi denuo ʒß. Extr. antifebrilis, hoc addito præcepto, ut quinas mane ac vesperi pilulas acciperet, deinde proscopo vulnerario seq. species in jusculo caponum partitis vicibus decoquendas.

℞. Herb. Chærefol. fl. Verbasc. Hyperic. ana Mj. rosar. r. Mß. lign. sassafras santal. fl. sem. plantag. ana ʒij. Concis. D. ad Ch.

Sitim solabatur seq. Julapium. ℞. aqu. Veronic. scabios. card. bened. an. ʒij. Tinct. fl. papav. err. ʒj. Conf. alck. compl. ʒj. sir. fl. pap. err. ʒß. M.

Dum hæc aguntur, æger, quod mirum, nunquam animo linquitur, libere spirat, nihil fere vel parum amplius per superiora sputi cruenti rejicit, nullam circa præcordia anxietatem passus, animoque constanti & imperterrito præditus, suos solatio erigebat, pulsu etiam plus quam ante valens. Febris in horas remissior. Nox etiam præter opinionem quieta trahitur, utut alvus semel iterumque solveretur cruenta illa & purulenta sine tamen tunicaceis excretis.

D. 12. itaque evidens convalescentiæ spes emicat. Continuata eadem usque ad 14. Februar. quo tempore alvus bis terue intra Nychtemerum soluta cum pure & sanguine intermixtis. Hinc d. 15. ad absterſionem & mundificationem tale præscripsimus. ℞. Ol. amygd. dulc. Sir. dialth. ana. ʒj. sperm. ceti. ʒj. bals. Sulph. anis. ƷƷ. M. D. S. Heilbalsam alle 6. Stund 1. Löffel voll zu nehmen. Conveniens etiam videbatur seq. Emulsio, unguinosa sua dulcedine intestina absterſura ac delibatura.

℞. Amygd. dulc. ʒß. sem. 4. Frid. maj. papav. alb. ana ʒj. c. s. q. aq. fl. acac. & veron. f. Emuls. add. Sacch. perl. Ʒij. aq. cinam. spir. ʒß. M.

Horum usu vidimus nihil amplius cruoris ostendisse excrementa, quamvis alvus valde lubrica esset ob usurpata sine dubio Oleosa.

D. 16 Igitur cum observaremus jusculum cum voluptate comestum, dicto citius, nihil pene mutatum fuisse redditum alvo, ad lientericũ fluxum istum compescentum, sequentes pilulas præscripsimus.

℞. Extr. tormentill. theriac. cœlest. ana ƷƷ. c. s. q. Ess. Traum. Wed. f. pil. n. XX. D. ad pyx. p. nuc. m. conspers. S. stillende Pillen/ alle 6. Stund 2. Stuck zu nehmen.

Hinc per diem non nisi bis alvus deposita eaque incruenta, simul vero mane ac vepperi cochlear unum prædicti balsami sumitur. D. 17. & 18. alvus moderate fluit, appetitusque paulatim resurgit. Consumto balsamo cœpit d. 18. in jusculo vulnerario sumere cochlear axungiæ canis junioris castrati, qua valde delectabatur. Pilulis vero superioribus tales substitutæ. ℞. Extr.

℞. Extr. torment. Liquir. tereb. coct. ana ℈j. c. ſ. q. balſ. perv. f. pil. num. LX. D. S. Balſamiſche Pillen / Früh und Abends 5. Stuck zu nehmen.

Harum uſu nondum abſoluto conſtitit Lientericus alvi fluxus, & æger cum viribus appetitum recepit d. 1. Martii jam dum in publicum prodiens, & ſub cura noſtra à primo morbi inſultu non niſi 19. diebus verſatus.

SCHOLIUM.

POſſent adhanc obſervationem multa utiliſſima notari tam phyſio- quam pathologica. E. g. Qui factum, quod ablata tunica interiore glanduloſa inteſtinorum nihilominus mors non ſupervenerit, cum tamen caruncularum ſaltem excretionem in Dyſenteria lethalem pronunciaverit Hippocrates 4. Aphor. 26. ubi quæſtioni ſatisfieri poſſe credimus, diſtinguendo inter exulcerationem inteſtinorum benignam & malignam, qualis ultima plerumque accuſanda venit in Dyſenteria. Noſtra in præſenti caſu benigna fuit, orta occaſione abſceſſus genuini, qui fere ordinarie periculo carent. Item qua de cauſa ruptus intra inteſtina abſceſſus cœperit ſe evacuare per excretionem anotericam, ſuperato valvulæ quæ in Coli principio eſt, robore, & occaſione demum Clyſteris ad inferiorem portam appulerit, quod factum putamus ex inverſo motu periſtaltico, occaſione repentinæ conſternationis in ipſo principio vitali ex rupto intra inteſtina abſceſſu. Ruptiones enim hujusmodi introſum factas difficillima conſequuntur ſymtomata, uti jam olim notavit Hippocrates 7. Aph. 8. Ἐπὶ φύμαλος ἔιρωρήξως ἔκλυσις καὶ ἔμετος καὶ λειποψυχίη γίγνεται. Ex ſola ſcilicet principii vitalis perturbatione omnes illæ turbæ. Hæc aliaque miſſa nunc facimus, in veram potius abſceſſus hujus inteſtinalis cauſam inquirentes. Circa quam inveſtigationem notandum, hunc ægrum, antehac valetudine inculpata gaudentem, diverſis vicibus præſertim in Hungaria & Rheni Nicarique oris ob diætam vinoſam Hæmorrhoides externas fluentes ſenſiſſe, quemadmodum mihi in hæc alia multo poſt inquirenti, faſſus eſt æger. Unde poſtquam legi, quæ Excellentiſſimus Georg Ernest. Stahlius in Diſſert. de Motu ſanguinis Hæmorrhoidali rationi ſane & experientiæ conformiter ſcripſit, non dubitavi, à reſtagnante ſanguine Hæmorrhoidali intra tunicas inteſtinales, intimam ac mediam, parvos abſceſſus fuiſſe obortos, & ab his ſenſim tunicam intimam à proxima media

media musculosa fuisse separatam, prout in variolis ipsa interdum cutis à subjectis reliquis corporis integumentis secedit, propter saniem subtus latentem & fibrillarum intermdiarum nexum solventem. Vixit ab illo tempore æger perbellè, nisi quod æstate subsequente semel iterumque Colicos dolores fuit passus, qui nihil erant nisi conatus Hæmorrhoidales intentati. Ex quo enim subsequentis Anni tempore verno aperire se cœperunt Hæmorrhoides triplici osculo, & non parum sanguinis inde manavit, vivit noster pancratice venæ sectione prophylactica bis in anno usus. Patet vero etiam singularis efficacia Extracti nostri febrifugi tum in febre hac, vulnerariæ affini, profliganda, tum etiam in resolvendo cruore coagulato, plurium febrium Autore, quem quasi ad πεπασμὸν ducit & tanquam hostile quid è vitalitatis dominio proscribit & expellit, prout idem in ducendis lochiis aliisque casibus, ubi cruor extravasatus & coagulatus præsto est, cum admiratione præstat. Neque reticenda est principii & balsami interni vitalis efficacia in restaurandis hujusmodi partibus interioribus læsis. Dummodo enim bene sit homini in vitæ radice, dummodo balsamicam humores Crasin retineant, nil ita arduum est aut læsum, quod non Natura sit sanando, quæ una ratio est, cur interdum miraculosa hujusmodi eveniant in arte Medica, quæ non nisi gloriator ineptus aut thraso garrulus suæ adscripserit arti. Nam & sic αἰλῶν νόσιον ἰήσεαι φύσιες. Erat in ægro dum alvi illo fluxu purulento laboraret, facies revera Hippocratica, atq; λὰ αὐλὰ præcipue ψυχρὰ, διαφανέα ξυνεταλμένα, non aliter atque folia arborum præ nimia siccitate arentia. Animus Tamen semper præsens, respiratio libera & pulsus sibi constans. Unde calamitosissima illa & δανατωδέα mortis tamen significationem non habebant. Sunt enim illa prædicta minus gravia ἧσσον δεινὰ, eadem Hippocrate teste in Prænot. II, ψ. 13. & 14. Si alvi excrementa valde liquida fuerint, nec quicquam celerius faciei vigorem tollit quam alvus concitatior, quod in Praxi versati non ignorant.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXX.

Dn. D. JOHANNIS LUDOVICI APINI.

De Spina bifida.

NOn immerito Divus Hippocrates Epist. ad Domag. 2. §. 279. ὁ λος ἀνθρωπος ἐκ γενετῆς νοῦσος. Plurimæ enim sunt quæ nobiscum nascuntur ægritudines. Imo ante, quam nascamur, in prima corporis formatione, dum fundamenta nostri ponuntur & primæ quasi ducuntur lineæ, νοσεραὶ multa solent accidere, quæ in lucem editos perpetuo deinceps comitantur, itemque ξυναποθνήσκουσαι easdem nobiscum nascendi & moriendi leges agnoscunt.

Pertinet ad hanc morborum classem spina, quæ dicitur, bifida, affectus non ita promiscue cognitus, licet non rarus nec infrequens in recens natis. Est is nihil aliud quam Tumor Aquosus in regione vertebrarum lumbarium, ultimarum præcipue, à læsa conformatione & dehiscentia vertebrarum spina dorsi originem ducens & consistens præternaturali expansione integumentorum medullam spinalem involventium, ipsius quin etiam spinalis medullæ læsione varia, magnam affinitatem habens cum Hydrocephalo puerorum. Quemadmodum enim in Hydrocephalo à collecta intra meninges serosa illuvie suturæ cranii ab invicem divelluntur, & per ipsas futuras protuberat aquosus tumor, ita si membranæ spinalem medullam ambientes similiter ab intus effusa humiditate in tumorem eleventur, facile molliores adhuc & in sui initio, cartilagineæ imo membranaceæ vertebræ, per plures laxiores Epiphyses, quas in plenè conformatis & adultis Apophyses sive processus dicimus, imbecillissime cohærentes ab invicem dehiscunt, & liberum pandunt tumori erupturo spatium. Unde facile perspicimus, duobus potissimum modis hoc vitium incidere posse, sive præcedat organica ipsarum vertebrarum læsio in lapsu matris gravidæ aut fortiori imaginatione materna cujus exemplum refert Tulpius l. 3. Obs. 29. & 30. sive humorale vitium & latens vitiosa dispositio, succi nervei & lymphatici præternaturali congestioni tali ansam derit & ossificationis negotium præpediverit, quo respectu ad Rachitidem jure posset referri.

Non unius vero generis esse solet Tumor iste, spina bifida, dictus, sed differentias quasdam admittit quoad nonnullas circumstantias.

Hiatus enim spinæ dorsi modo amplior est modo angustior, modo ita comparatus, ut ipsum corpus vertebræ obliteratum videatur, & nihil supersit, nisi latior & interior illa pars, quam basin vertebrarum dicimus, modò ut vestigia acutorum & reliquorum spinæ processuum utrinque remaneant, ceu videre est in figura. Tulpiana Obs. 30. Medulla spinalis ipsa non uno affecta esse deprehenditur modo. Aliquando enim in aquam tota resolvitur, uti de cerebro in Hydrocephalo graviore constat, aliquando in plura filamenta dispergitur per tumoris latifundia, aliquando integra supereſt & in ipsum tumoris verticem implantatur. Nempe femina 36. annorum, Civis Aldorfina, aliquot jam liberorum mater, peperit anno abhinc 1702. d. 30. Jun. filiolum tumore aquoso in regione vertebrarum lumbarium affectum, magnitudine pomi Borsdorfini, in medio sui seu summitate cute ac cuticula privum, & serosa humiditate manantem, cujus causam hariolabatur ipsa mater lapsum, ante duos menses in foveam altero pede factum. Vocatus, illico pronunciavi vitium hærere in spina dorsi, inque eo confirmabar, quod pusio artus inferiores nihil omnino agitaret licet bene valitos & carnosos satis, elevatisque ab obstetrice cruribus dolores se pati ejulatu proderet. De cœetero universus corporis habitus intemperie laborâverat serosa, frequenti sternutatione, tussi, Corzya & alvifluxu satis testantibus. Curationem vero, & si nullam promiserim, incipiendam duxi à siccantibus, ut, si posſibile, cicatricæ prius ducta, reliquum deinde fotibus discuterem, quem in finem varia præscripta. Sed non licuit in cicatrice ducenda progredi ultra limites circelli B. B. Fig. I. media area (propter exsudantem ichorem aerem omnem Epuloticorum efficaciam eludente. Tussi etiam, Atrophia & alvi fluxu ultra remedii spem invalescentibus, puerulus post octavam hebdomatam tabidus interiit, paucis ante obitum diebus tumore penitus subsidente. Hoc igitur post mortē aperto, insignis cavitas se ostendit in regione vertebrarum lumbarium, aperuitque trium posteriorum processus acutos, transversos, oblique ascendentes & descendentes omnino defuisse, sola basi illarum superstite. Integumenta medullæ spinalis insigniter expansa cum vasculis sanguiferis in magnitudine sua notabiliter auctis. Ipsa autem medulla spinalis ex cavitate secundæ adhuc integræ vertebræ lumbaris prodiens inserta conspiciebatur saltem quoad alteram medietatem suam medio tumoris vertici, ut exfiguris adjectis patet.

Fig. XXIX.

Lit. A.

Fig. XXX p. 337.



Fig XXIX. p. 337.



Fig. XXXI & XXXII. p. 337









EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

Lit. A. A. Tumor aquosus in regione ultimarum vertebrarum lumbarium. in medio sui cute ac cuticula privus.

B. B. Circellus Epuloticorum ope cicatrice obductus.

C. Media area exulcerata permanens & ichorem perpetuo exsudans.

Fig. XXX.

a, a. Tumoris post mortem cultro dissecti hemisphæria duo utrinque reclinata.

b. b. Cavitas interna tumoris in regione trium ultimarum vertebrarum lumbarium, quarum nihil nisi sola basis superfuerat.

c. Medulla spinalis ex foramine secundæ vertebræ lumbaris erumpens, mediæ tumoris areæ implantata.

Fig. XXXI.

A. Medulla spinalis in ipsam superficiem tumoris aquosi inserta.

B. B. Vascula sanguifera per integumenta Medullæ Spinalis valde expersa dispersa, insigniter aucta.

Fig. XXXII.

A. Medulla spinalis stilo interserto elevata ut melius conspici potuerit.

OBSERVATIO CLXXXI.

Dn. D. JOHANNIS LUDOVICI APINI.

De Hydrocephalo in Infante recens nato curato.

CUm modo dixerimus, spinam bifidam esse affectum Hydrocephalo persimilem, & illud spinæ vitium raro vel nunquam curationem admittat, subjungere placuit Hydrocephali à nobis feliciter curati exemplum, num forte hinc utile quid pro spinæ bifidæ sanatione desumere liceat. Puerulus recens natus, filiolus Hellingii, Civis Herspruccensis, statim à partu, qui paulo difficilior fuit, caput male conformatum & prætumidum exhibuit, cujus gratia mulierculæ vinum calens cum Unguento rubro potabili sæpius in die applicarunt, tumorem vero penitus dissipare haud potuerunt. Restabat enim tumor bifidus. Summum occupans verticem, a latiore basi & circumferentia utrinque in acumen desinens, adeoque speciem duorum monticulorum exhibens,

qui prorsus fluctuantem intus serosum laticem abunde prodebat. Cumque parentes non sine luctu recordarentur, simile quid in duobus aliis filiolis observasse, ubi, disparente tumore, Epilepsia gravior & lethalis successit, de salute recens editi filioli sui tanto magis soliciti me vocarunt in consilium, ubi rem seqq tum internis tum externis aggressus, curationem, Deo benedicente, feliciter perfeci. D. quippe Mensis Maji 1701. accedens talia præscripsi.

℞. Extr. antifebr. n. ℈ß. Sir. fl. paralys. aq. fl. acac. ana. ℥ß M. D. S. Blutreinigendes Säfftlein Früh und Abends ein Kinder-Löffelein voll zu geben.

Dici nequit, quantum serosi ac bilioſi liquaminis per alvum hinc fuerit eductum. Jussimus vero præterea & matrem pro lactis vitiis corrigendis per aliquot ex ordine dies mane ac vesperi, quina sumere Extracti memorati grana, id quod consequente uberiore lochiorum fluxu & sudore largo feliciter cessit. Externa remedia, quia suspecta videbantur, plane nunc quidem omissa. Interim & pusio Mixturæ suæ usu, pulchre habet & placida quiete fruitur, cumque d. 13. iteraretur prædicta Mixtura, pustulæ serosæ plurimæ in universo corporis habitu emergunt, simulque tumor in vertice notabiliter subsidit. Quare, præmissa jam feliciter Massæ sanguineæ depuratione à superflua humiditate serosa, reliquum discutientibus externis facilius tutiusque nos consecturos speravimus, quem in finem sacculi seqq. profotui sunt præscripti.

Ex Herb. fragar. plantag. Betonic. Salv. ana Mß. fl. serpill. organ. ana p. ij. rad. bryon. ℥ß. sem. carv. ʒiij f. sacculi interpassati no. ij. in vino coquendi.

Sic ante finem quadragesimæ puerperalis optime sanatus fuit in hanc usque diem salvus & incolumis.

OBSERVATIO CLXXXII.

DN. DOCT. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI.

De Spiritu Vitrioli, collyrio optimo.

OCulum omnium tenerrimum esse membrum, nemo mortalium inficias ibit; Festuca enim, pulvis, frustulum ligni, calx &c. oculo

oculo molesta sunt, facileque salsas exinde lachrymas movere possunt; Unde Jehovah ipse, quando teneram suam dilectionem exprimere volebat, singulos è fidelibus huic membro comparabat dicens: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Quare opus est, ut Medicus cautè in oculorum morbis curandis procedat, alias ex Argo facilè Cyclopem creabit; Siquidem molli membro mollia sunt adhibenda Medicamenta, h. e. oculus, tanquam tenerrimum membrum non patitur medicamenta fortiora, heroica, nempe caustica &c. Interim tamen expertus sum Spiritum Vitrioli fuisse collyrium optimum, quod ex sequenti apparebit verissima historia:

Hæreditarius quidam s. Dynasta, Sexagenario major, laboriosus, de die in diem incepta operationum oculô irretortô cum spectaret, vigilaret, assiduôque labore defatigaret insigni excrescentia membranacea pisi magni sive cylindri adinstar, in oculo dextro cum aucta visus debilitate corripiebatur. Chirurgus requisitus, cum Medicô, multis ophthalmicis, aliisque internis utebatur Medicamentis, sed incassum, adeò, ut Chirurgus & Patiens impatientiam exercere inciperent; Quia itaque Chirurgus aliquando ad alium vocabatur ægrotum, huncce laudatum ministro suo tractandum commendabat, atque vasculum collyriô impletum in separato locô collocabat. Vesperi veniebat hicce incautus atque temerarius Minister, festinanter imperata faciebat, Spiritum Vitrioli pro collyrio ex errore ægroto afferebat, summoque cum studiô excrescentiam gutta una & altera obliniebat, lege artis deligabat, abitum suum iterum accelerabat, Magistrumque suum domi expectantem præter spem videbat; Hicce ministrum ita alloquebatur: Fecisti ne omnia lege artis? Rectissimè, respondebat ille. Quodnam sumsisti vasculum? Hocce, dicebat simplex; Euge bone serve! (Erat Magistri locutio ironica) hocce est Spiritus Vitrioli penetrantissimus, ferri, & lapidum victrix, ah perii, perii! Miserrimus mortalium! Quid incepisti furcifer, habes ne oculos? Habes ne nasum? Habesne linguam? Cur non legisti signaturam, cur non naso & linguâ prudenter usus es? Hisce querelis totam noctem duxit insomnem. Cùm verò vix dies illuxisset, Chirurgus cum ministro ægrum visitabat, ligamenta solvebat & cum admiratione oculum fermè in statu naturali & sano inveniebat; Paucasque collyrii guttas adhibere opus erat. Æger omnia, etiam minima hôcce dictô oculô videre & aspicere poterat. Itaque hîc fuerunt nocumenta probatissima documenta.

OBSERVATIO CLXXXIII.

Dn. DOCT. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI.

De Tumore mirabili ex incantatione.

Omnes raros affectus plebs & cum illâ quandoq; multi Medici, si nempe non statim causam naturalem mente concipere possunt, Diabolo attribuere solent, interim tamen & hoc verũ, quod plurimi inveniantur, statuentes, plane nulla esse præstigia, damnaq; exorta; Sed ego judico & illos, qui excessivè negant, & illos qui acriter affimant, errare. Illi enim defectu, & hi excessu peccant. Experientia ceu optima magistra mecum docebit, qualia detrimenta Diabolus cum suis affectis, permittente Deo, hominibus afferre possit, uti jam jam exemplum allegare constitui. Mense Decembr. anni præteriti 1702. me accersebat tibialium textor, qui sequentem narrabat historiam: Ante paucos dies cum in horto meo prandium comederem, veniebat meus adversarius, habens ollam rebus fœtidissimis impletam, effunditque illam. Quo factum, ut iste detestandus odor totum meum corpus impleverit. Sed minimè curavi. Cum autem huncce insignem acceperim tumorem, meritò inter sacrum & saxum stare cogebar. Quid consilii? Ego vocatus Medicus statim tumorem aspiciebam, qui nihil aliud quam tumor œdematosus erat, in regione hepatis, pyramidali forma. In quem finem exhibui vomitoria, mercurialia, quibus hostis fugam capessit, locum mutavit, atque deinde inguina occupavit, Postea ordinavi bezoardica, alexipharmaca cum immixto mercurio diaphoret. Et tandem curationem c. pulvere contra incantamenta Cl. Dn. D. Lentilii finivi. Mirabilia autem, quæ talem tumorem creaverunt, lumbrici longissimi, ad 4. horas vivi, viginti quatuor uncias præditi, mucosa quædam materia, speciem spermatis ranarum præbens, crinesque innumeri, fuerunt; quæ omnia, dante DEO, à supra dictis medicamentis cessaverunt.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXXIV.

DN. D. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI.

De Stranguria Periodica.

VIr sexagenario major, mercator per saxa, per ignes pauperiem fugiens, ante sex annos nocturno tempore suarum mercium magnam fecit jacturam, cum aliqui fures tabernam ejus vi atque stratagemate spoliassent; Quô terrore statim de die in diem persensit quas animi pathemata excitent tragœdias. Ex diminuta dolorosa & cum ardore facta excretione, redeunte perpetuo conatu ad urinam excernendam judicabat haud imprudenter, se stranguria laborare. Unde à Pharmacopolâ, Uromantâ & Medico Pseudo-Practico t.t. hujus urbis famosissimô petiit consilium. Sed stultum consuluit, ergò etiam accepit stolidum consilium: Dixit enim ægrum verè calculô laborare hisce verbis: Es hat sich wohl gestrangurirt / es ist der Stein. Itaque adhibuit medicamenta lithontriptica, diuretica & foritiora pellentia adeô, ut omnes ægrotum pro candidato mortis habuerint, & Pseudo-Medicus ipse, de vita desperaverit. Cùm verò æger omni consilio & auxilio destitutus esset, vires deinde successu temporis recipere, templumque solô supremi Archiatri auxiliô, tabernamque visitare incipit. Sed vix tertia septimana effluxerat, cum malum horrendum rediret. Interea in patriam reversus praxin medicam exercere incipiebat Cl. Dn. D. Murhardus, nunc Beatus, cujus statim ægrotus implorabat opem, & quidem non frustrà; Medicus mutabat locum & cum illô recens incepta sanitas nostri ægroti: Affectus enim altas egerat radices ita, ut jam sextus numeraretur annus, quô incepit hicce molestissimus affectus; Attamen hocce unicum semper ægro dolores exquisitos levabat, nempe, quod suas certas haberet periodos: post tres enim septimanas se iterum ostendebat, durabatque ad quartæ septimanæ finem. Tandem cum & egô huc venirem suasu accersivit. Excretio urinæ sæpius iterata (quamvis in pauciſſima quantitate) & conatus plus mingendi tantum creabat dolorem, ut etiam flatus & excrementa per alvum cum insigni fragore, ægrique vociferatione depellerentur. Æger inter alia mira narrabat hunce affectum suum certam periodum retinere, se nempe primô die ter, secundô

secundò octies, tertiò vicies &c. conatum mingendi, postea statum (quò neque crescit, neque decrescit malum) tandemque æquale decrementum (scilic. quoad numerum sentire, dicebat. Ut autem à tam pertinaci & chronicò affectu liberaretur æger, statim abstergentia, acrimoniam corrigentia, traumatica, carminativa &c. parare jussi, moxque summo cum gaudiò consanguineorum, auxilium vidi DEI omnipotentis.

OBSERVATIO CLXXXV.

Dn. D. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI.

De Epilepsia Juvenis cachectici Venæsectione curata.

ANte duos annos Juvenis, annorum 25. sutor, & cachecticus in summò gradu, tempore nativitatis Christi, assiduò labore ita se defatigavit, ut etiam cantherinò more somniasset. Itaque suasu fratris aliquando mediò noctis scamnum pro lecto eligebat. Postquam autem cæteri domestici etiam somnum ceperunt, de scamno cecidit hicce miser, insignemque hæmorrhagiam narium passus est; Sequenti die toto agmine se ostendebat tristissimus affectus, nempe Epilepsia, unâ horâ sexies accedens. Tandem me consulebant consanguinei, ast medicamenta antepileptica, alias satis certa, erant irrita, Ideo Venam medianam dextri brachii ad ℥ij., contra omnium adstantium voluntatem secare jussi. Quò factò malum statim remisit, & nunquam, ope Dei, recidit.

OBSERVATIO CLXXXVI.

Dn. D. DAVIDIS CHRISTIANI VALTHERI.

De Hæmorrhagia narium in Sene octuagenariò salubberrima.

CItra decimum quintum ætatis annum, & ultra sexagesimum, venæsectionem multos Autores Practicos prohibere, notum est. Sed arti plus, quàm naturæ viribus fidunt. Annotavit enim exempla notatu dignissima Cl. D. D. Volcamerus, Ephem. Dec. I. Ann. II. Observ. CC XXII. quibus regulam istam infirmavit doctissimè. Siquidem hic vel iste Senex alterum quidem pedem in cymba Charontis habens, leo-

leonis utitur senectute, ventriculumque struthiocameli possidet; Cum è contrario juvenis, semper morbis ventriculi laborans, optimò stomacho esse deberet. Verum enim verò tempus, & mores, & hominum naturas mutat. Senes sunt Juvenes, & Juvenes Senes, uti jam sequens docebit historia.

Senex, annorum 80. verbi divini minister, nunquam morbis ventriculi laboravit, etsi nullâ utebatur diæta, omnia erant ad palatum, sc. olera condita, oxygala &c. aliquando sanguinem è naribus fundebat; Sanguis celeriter, etsi guttatim, emanabat, durabatque singulis diebus ad finem 3. horarum usque, adeò, ut 4. mensuræ numerarentur. Fluxus omnia, ab Hertodio, Anno I. Eph. Observ. 24. Volkamero Obs. 223. Bernitzio, Ann. 2. Obs. 52. Wedelio ann. III. Observ. 106. Winclero, ann. VI. Obser. XC. Ægineta de re medic. l. 3. c. 24. Aetiô tetrabil. s. 2. c. 94. Arculano, pract. c. 43. Avicenn. l. 3. s. 5. tr. 1. c. 7. 8. 9. Ballonio, Epidem. Ephem. l. 1. p. 71. 74. Th. Barthol. hist. anat. rar. cent. 4. hist. 36. Bertino, Med. l. 20. c. 38. p. 729. Borello, Obs. Med. Phys. cent. 1. Obs. 93. & multis aliis Medicis celeberrimis inventa experimenta deridebat, donec ordinarem, abstergentia, absorbentia, temperantia & confortantia, quibus cessavit, alterumque fontem, qui hactenus evanuerat, ope Dei Ter optimi maximi, aperui; Laborabat enim ulcere antiquo & sinuoso ossis Cruris, vivitq; senex in hunc usque diem vegetus.

(*Glauchaviâ Augustam Vindelicorum d. 22. Maji An. 1703. missæ.*)

OBSERVATIO CLXXXVII.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTIANI MENTZELII.

De Puerpera febri malignâ miliari sive Purpura alba cum Vesiculis pellucidis ceu crystallinis laborante.

FEbres malignæ κατ' ἐξοχήν sic dictæ, uti ut plurimum & robustissimis sunt lethales, ægrique hisce laborantes per totum morbi cursum semper inter Sacrum & Saxum hærent, ita Puerperis jam viribus & à partu & à lochiorum fluxu exhaustis, illa inprimis, quæ

Purpura alba sive febris maligna miliaris dicitur, maximè desperata imò in quibusdam locis semper lethifera existit; Sic ante annum & quod excurrit, ejusmodi exemplum, ob ferociam & morbi & symptomtum observata dignum mihi inopinatò occurrebat. Liberi Baronis cujusdam Conjux, octodecim annorum, Primipara antea satis valida & ut videbatur, optimæ constitutionis, sed inordinatam diætam esu fructuum variorum & inprimis saccharo conditorum, per totum, quò utero gerebat tempus, ducens, persuasa nescio quâ omnium ferè Muliercularum perversâ opinione; Gravidis nihil nocere, sed omnia illis esse sana, nihilque ipsis denegandum; Enititur tamen filiam vegetam summo mane, cum totius Illustris familiæ gaudio inexplicabili, sed per sat breve tempus durante, nam circa vesperam advocabar consulendi causa, num & puerperæ & filiæ recens natæ ratione diætæ ordinandum quid haberem, inquirebam itaque in statum Puerperæ, quem aliàs satis bonum esse circunstantes ajebant, nisi quod bis ante aliquot horas vomuisset, quem vomitum nullius momenti esse, sed ex nausea jusculorum carnium quæ Boüillons comuni Gallico nomine vocantur, sibi invitæ obtrusorum, eveniſſe, Puerperæ mihi aliter sentienti persuadere conabatur, inquirenti autem in lochiorum fluxũ, obstetrix mihi regerebat, lochria quidẽ jam subsistere, sed hoc à nimia jactura sanguinis in partu evenire, neque hoc inconsuetum esse, mecum saltem aliquot horæ post enixum fœtum essent, quapropter ad alia convertebam, & in motum pulsus sive sanguinis inquirebam, quem satis celerem & inordinatum reperiebam, id quod mihi anguem sub herba latere persuadebat, hinc sententiam meam & Illustri Marito & circumstantibus postquam aperuissem, medicamenta quædam, quæ appropriata judicabam præscribere volebam, sed Muliercularum turba impedimento erat, obstinatè affirmans, Puerperis, primis diebus, nulla medicamenta esse exhibenda, sed sola diæta tenui tractandas, stabat itaque pro ratione voluntas earum, non sine sera pœnitentia, vix enim insequens illuxerat dies cum duo vel tres, unus post alterum, nuntii, fores meas pulsarent, meque accerserent, sine mora itaque advolanti & in statum ægræ inquirenti, mihi respondebant lecto circumstantes, totam noctem summè inquietam & anxiam, ægram transegisse, neque momentum quidem dormivisse, sed de siti intolerabili & linguæ ariditate summâ lamentasse, nec lochiorum quicquam rediisse; Obstupebam, periculi plenam rem considerans, explorabam pulsum, quem celerem, oppressum & inæqualem cum totius

tius corporis calore sicco & quasi urente reperiebam, brachia manus, pectus & scapulæ ubique papulis albis magnitudine seminis milii, cum interspersis vesiculis pellucidis obscurè saltem apparentibus, aspera erant, ægra hinc & inde in lecto se jactitans, ne momentum quidem quiescebat & spiritum anxiè dùcebat, hæc omnia accuratè considerans, eventum tragicum fore & Illustri Familiæ & circumstantibus prædicebam, ne quid tamen intermitterem varia tam Bezoardica quam Alexipharmaca temperata, ut humorum coagulationem impedirem, eorundemque transpirationem procurarem, interpositis lochiorum fluxum promoventibus, præscribebam, sed minus optatato successu, nam circa vesperam ægra summè delirare incipiebat, vesiculæ crystallinæ, sive hydatides copiosè erumpebant seque, elevabant, & quod miratu dignum, extremitatibus digitorum & manuum & pedum tam copiosè undique & quasi racematim adhærebant, ut ne locus quidem supereſſet, qui cuspide acûs tangi poterat, quale quid nunquam in praxi mea observavi, nec apud quempiam Practicorum unquam me legisse memini, in statu hoc deliro per totam noctem ægra manebat, sed redeunte Phœbo, mens quidem etiam redibat, at omnes actiones animales & cum hisce vita pedetentim evanescebant.

OBSERVATIO CLXXXIIX.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTIANI MENTZELII.

De Mira & obstinata Cephalalgia.

VIr quidam 60. agens annum, aëri nebuloso & pluvioso cum se incautiùs exposuisset, incidebat in cephalalgiam non continuò, sed per intervalla affligentem, cum enim in lecto cubaret, aut in sella quietè sederet, atq; à laboribus prorsus immunis esset, nihil fermè doloris sentiebat, simulac verò parum loquebatur, aut confabulando tempus terere volebat, doloribus vexabatur acerbissimis, qui verò summè intendebantur & atrocissimè sæviebant, ita ut illos ferendo impar esset æger, cum alvum deponere vellet, tunc enim caput ambabus manibus comprimere, aut fascia quadam firmiter circumligare cogebatur, durabant hi dolores, per duos ferè menses integros, licet varia tam interna, quàm externa adhiberentur, venæsectio, purgatio, medicamenta cephalica, nervina antispasmodica, ano-

dina & sexcenta alia, non neglectis epithematibus, emplastris, unguentis, cataplasmatibus & aliis, sed incassum adhibita fuere, tandem pilulas ex Extracto verbenæ, castoreo Mercurio dulci & tantillo Laudani opiati præscribebam quarum aliquot per dies nonnullos cubitum iturus deglutiebat, unde in levem quandam salivationem æger incidebat, cum materiæ viscidæ & fœtidæ excretione, doloris remissione, ejusdemque totale solutione, & sic æger ab obstinata & crudelissima cephalalgia liberabatur, qui se jam morti proximum putabat.

(*Missæ Berolino Norimbergam 14. Mensis Julii 1703.*)

OBSERVATIO CLXXXIX.

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

Ex Historia & Anatome Gemellorum Coalitorum Anno 1702. m. Mart. in Prussia natorum.

ILlustrissimo Domino CHRISTOPHORO FRIDERICO S. R. I. Burgravio & Comiti de Dona, qui quo fertur in studia literarum affectu, fœtum delineari, Historiam & Anatomen *à Præcellentissimo Dn. D. Christiani* Physico superiorum Regni Prussiæ ditionum confici, & gratiosissimè curiosâ hâc observatione Orbem Eruditum impertiri curavit, hoc omne debemus: Verbis autem laudati *D. Christiani*, Amici nostri honoratissimi, qui præsens omnia est intuitus, cultroque anatomico interiora lustravit, eaquâ consignavit seriè referam.

Obductio Pueruli Monstrosi Bicipitis, nati Anno 1702. d. 6. Martii, denati d. 13. ejusdem, A. C.

Figura externa:

1. *Capita duo* cum *facieibus collisque duobus*, elegantis atque naturalis structuræ.
2. *Brachia, Cubiti, Manusque quatuor*, á suis utrinq; humeris legitimè procedentes.
3. *Thorax cum suo sterno* utrobique adhuc *duplex*, *circa Cartilaginis*

-ne

ensiformis regionem verò *in unum coalescens*, *costis nothis* abhinc *versus latera protensis.*

4. *Abdomen* inde incipiens, & *unicum* saltem *umbilicum* monstrans, justo amplius, ad usque pudenda saltem *unicum.*

5. *Membrum Masculinum*, Virga sc. cum *scroto unico* & *testiculis duobus*, *unicum.*

6. *Dorsum* cum *spinâ duplici*, utrinque *duplex*, à *Cervicibus* ad *anum* item *duplicem*, ita ut feces alvinæ ex *ambobus foraminibus* excernerentur.

7. *Lumbi* saltem *duo*, non admodum naturalis structuræ.

8. *Pedes duo* justæ magnitudinis; *à tergo* verò, sc. à postica parte ossis ilii dextri, pronatus *tertius pes* versus sinistrum latus transversim prominebat, crassioris & monstrosæ figuræ, *cum septem digitis*; cujus denudatio tamen & *unius* saltem *femoris*, *duorumque Cruris ossium* detectio, *unicum tantum*, *non duos pedes*, *esse* monstrabat.

Constitutio Interna:

1. *Thoracis* seu pectoris *unica* erat *cavitas*, in qua, *mediastino unico* disterminante, ad latera, *Corda duo cum suis auriculis*, *pericardiis & vasis* legitimè dispositis, *Pulmones duo* in conspectum veniebant.

2. *Diaphragma unicum* Thoracem ab Abdomine discernens.

3. *Abdominis unica* rursus *cavitas*, in qua *Hepar unicum*, *vel potius duplex* in unum concretum, quod *vasa ex funiculo Umbilicali*, saltem *unico*, recipiebat: *Lienes* itidem *duo.*

4. *Ventriculi duo*, cum *intestinis* tam tenuibus quàm crassis utrinque *duplicibus*, *propriisque mesenteriis.*

5. *Renes quatuor* sc. utrinque duo, ex quibus *Ureteres quatuor*, in *unicam* solùm *vesicam* inserebantur, ad quam *unica* quoque duntaxat *uretbra* pertinebat.

Notæ in Historiam & Anatomen Gemellorum Coalitorum:
Item;
Dubia adversus simultaneam partium generationem:

I. Prodiit hic locorum *Relatio Germanicis rhythmis* eundem monstrosum partum enarrans, uti fit, à mendicabulo quodam composita: Aliquid, sed & quantum fidei hujus commatis narrationibus tribuendum, *titulus*, quem adscribo, manifestum reddet:

Ein gewisser und Wahrhaffter bericht von einer Mißgeburt / welche sich nahe bey Mühlhausen einer Stadt im Königreich Preussen in einem Dorff Namens Zipoten / in diesem 1702. Jahr den 9. Martii begeben und zugetragen / die des Schultzen daselbst seine Frau zur Welt gebracht / folchergestalt: Es sind zwey Knäblein aneinander gewachsen / ein jegliches hat seinen Kopff absonderlich / seine zwey Hände / und zwey Näbel gehabt / aber es ist nur ein Bauch / und ein männliches Glied / auch nur zwey Füsse gewesen / das eine ist Matthias / das andere aber George getauffet worden / haben beyde gesogen / wenn sie geweinet / hat ein jedes für sich geweinet / sind aber etliche Tage darauf / nachdem sie von vielen Menschen gesehen worden / gestorben / und zwar eins eine Stunde eher als das andere. Vorgestellet in beygefügter Figur / und einem Liede / &c.

II. *Amicus*, *titulo Pueruli*, *Monstrosi Bicipitis* hunc partum consignavit, quod ex festinatione factum puta: revera *ad Gemellos coalitos* referendum esse, pleraque omnia membra, externa æquè ac interna, eaque potiora, gemina, evincunt.

III. Diversas quæstiones in literis moveram, cupiens *de actionibus horum Gemellorum* certior reddi, sed nihil responsi hactenus accepi: Istud traditum, quod diversæ actiones & sæpè contrariæ editæ, ut *Castori & Polluci* eosdem compararem; quippe altero dormiente, alter vigilem; altero ejulante, alter pacatum; altero sitiente, alter se exsatiatum ostendit.

Dubium adversus
Simultaneam Partium Generationem:

1. Quum *dubia adversus Viviparorum ex Ovo Generationem* typis ante aliquot annos divulgarim, paucis *rationes dubitandi adversus simultaneam*

neam Partium Generationem, quas *occasione hujus monstrosi partus* publicè ediſſerui, in medium adducam.

2. *Omnem Viventium generationem supra humanum intellectum esse* equidem lubens fateor; ſolus, qui inſtituit, novit, quomodo ex maſculini ſeminis confluxu machina, quam vocamus animal, tot facultatibus agendi inſtructa prodeat? quomodo ex Seminii punctulo vegeta, ſuisque viribus pollens, exſurgat compages?

3. Quin *nec ex effectibus de primordiis viventium tam certi quid colligi poteſt*, ut non dubitandi locus relinqueretur; Neque enim transacta lis eſt, quando nonnulli in ovulis animalium, *in ſeminiis* plantarum, *corpuſcula* affabrè facta *præexiſtere* aſſertum eunt.

4. *In animalibus rem ita ſe non habere*, *primum* quidem illis, quibus Viviparorum ex Ovo Generatio deſtruit, evinci poſſe autumo; *Luculentius* autem his, quæ *ex hiſtoriis monſtroſorum* afferri poterunt.

5. Si quis enim *monſtroſam Gemellorum coalitionem* à nobis allatam aut quamcunque aliarum coalitionum à *Liceto in Libris de Monſtris* paſſim annotatarum, rectè expenderit, eum rogatum velim, ut dicat, *quis genius Naturæ*, *aut*, quomodocunque appellare fas eſt; *quæ vis mechanica*, *in Ovulis feminæ*, quæ enarratos coalitos gemellos enixa eſt, *corpuſculorum modulos*, *quos* ex hypotheſi *integerrimos fuiſſe oportuit*; *ſive* ex Evæ Ovario omnium hominum primiparo, *ſive* ex congreſſu novè illapſos ſtatuat cœlitus; *quidnam extra embryonata corpuſcula fuerit*, dicat rogo, *quod ipſa ita diviſit*, *ita combinavit*, *ut* aliæ partium deficerent, aliæ abundarent, numero, mole; *ut* aliæ rectè, aliæ pravè collocatæ prodirent? *Quales leges motus fuerint*, *quibus diſtinctorum ovulorum diſtincti moduli corpuſculares*; *ſive* intra Ovarium, *ſive* intra Tubam, *ſive* intra uterum ipſum; *alias partium*, figurâ, mole, ſitu conformes, *retinuere proprias*; *alias* verò *cum metamorphoſi accepere communes*?

6. Caput, facies, collum, brachia, manus, thorax, ſternum, dorſum, ſpina, anus; Cor item, Pulmones, hepar, lien, Ventriculus, inteſtina, meſenterium, renes, ureteres; ſingula ſingulis *ex recenſitis membris*, *externis æquè ac internis*, *propria* manſerunt:

7. Cartilago enſiformis, coſtæ nothæ, abdomen, Umbilicus, genitale, lumbi, pedes, thoracis cavitas, mediaſtinum, diaphragma, abdominis cavitas, funiculus umbilicalis, veſica, urethra; *hæc* utrique *communia obvenere*: *Pes tertius* ſitu monſtroſo, digitorum-

rumque numero excedente, *an ullius*, *f.* an nullius *neutrius dicendus* in medio relinquo.

8. Sed *quum Embryonata* hæc *corpuscula* suis Ovulis tanquam ergastulis discreta, ex hypothesi, *solâ extensione indigerent*, motu à virili semine impertito, *quando primam eorundem coalitionem factam dicent? intra Ovarium?* atqui Ovulorum latices tunc confluxissent, & ex confluxus commotione qualicunque lineamenta modulorum natantia undiquaque commixta fuisse oportuit, & nulla species modulorum relicta esset.

9. *Intra Tubam?* eadem obstaret confusio, & forte major, ob angustias, si non ubique, certè in anfractibus quibusdam.

10. *Intra Uterum?* non poterat fieri, quum satis spatii haberent, ut non opus esset collidi; siquidem ovula pisi magnitudine, Uteri vero cavitatem saltem nucis moschatæ capacem supponamus.

11. *Quocunque* verò *in loco prima coalitio sit facta, quod tempus aliarum partium abolitioni, aliarum permutationi assignabunt? quando* Costarum alteram partem à spina recessisse, notharum verò alteram ad eandem accessisse dicent? *quando* alterum Umbilicalem funiculum obliteratum? *quando* alteram Vesicam, alteram Urethram, cum Testibus alteris, & Scroto altero, abolitas dicent?

12. Verùm *non tanta difficultas ex abolitione istarum partium, quarum nulla functio facta reliqua, quàm ex restauratione harum, quæ in aliquem usum retentæ* Quantum enim, *quod diversi Ureteres*, diversorum renum, *uni eidemque Vesicæ* fuerunt *inserti? quæ leges motus* Vesicam alterius tam aptè reposuerunt, ut excipiendis utriusque Ureteribus par esset? *quæ leges* isto ordine hanc perforarunt, ut commoda utrinque fieret insertio? *quæ leges* tam concinnè alterius renum ureteres deflexerunt aut deduxerunt, ut alterius Vesicam rectè subintrarent? *Eandem difficultatem unicus Umbilicalis funiculus parit; quæ enim vis mechanica* alterum funiculum præcidit? *quæ* præcisum alteri assuit? aut *quæ* geminos funiculos in unum complicuit contorsitve? ut cum Placenta Uterina utriusque fœtus in vitam communio salva perstaret? Quin quod majus; *quænam vis* complicatos contortosve per unius abdominis centrum trajecit, suaque loca Venas arteriasque intus adire jussit?

13. *His difficultatibus premitur Generatio Partium simultanea, si coalitio gemellorum ejusdem speciei in consilium adducitur*; Cui si *coalitio gemellorum diversæ speciei* jungatur actum esse videtur de illa sententia.

Ex-

Exempla Coalitionis gemellorum diversæ speciei in Curiosorum monumentis sunt obvia; instar omnium esse poterunt, quæ *Licetus* L. 2. *de monstris* c. 58. collegit, probaturus, uti habet argumentum capitis, *Monstra multiformia, diversas animalium species in eodem genere proximo referentia, non esse figmenta, sed in rerum natura reperiri.*

14. *Quis modulum* e. g. *canini corporis embrionati, cum modulo corporis embrionati humani combinavit? Quis canini* corporis modulum *in muliebri ovario recondidit?* Atqui oportuit modulum caninæ formæ inexstitisse, siquidem ex ovis embrya instar machinarum elaboratarum prodire dictitant, quibus solum motus desit, per quem in actiones viventium concitentur, hunc à virili semine tantisper expectantibus.

15. Neque solum *diversæ speciei Corporum integrorum coalitio*, cujus exemplum l. c. habetur, canini & humani; Sed & *partium diversæ speciei animalium sive coalitio, sive connascentia*, eandem opinionem evertit: *si* e. g. belluino corpori caput humanum connatum, aut pedes humani coaliti; qualia documenta l. c. *Licetus* profert; *aut* contra, ea humano corpori belluinæ partes vel connatæ sunt, vel accreverunt; qualia monstra monumentis antiquis & novis sunt prodita: *Unde hac tam peregrinæ metamorphoses modulorum, s. corpusculorum Embryonatorum, in Ovariis muliebribus aut belluinis arcessendæ* venient? si semen masculum nihil novè contexere aut efformare novit, sed jam ante contexta aut efformata tantum animare vel regere opus habet?

16. *Accedit*, quod & *partus ex specierum proximiorum, diversarum tamen, congressu pronati* hos modulos, s. machinulas, aut corpuscula embryonata, in Ovariis femininis refellant; *Equa Equum* admittens, equinæ; *Asina Asinum*, asininæ formæ edit pullos; *ast si Equa Asinum, aut Asina Equum* admittit, non suæ formæ Equa, non suæ, Asina producit pullos, sed deformes ac degeneres. *Unde ista in Ovariis Equæ aut Asinæ modulorum metamorphosis*, si quando istam Equus aut hanc Asinus init? *Unde adeò constans lex Naturæ, ut ad congressus hos, semper Mulus vel Mula, nunquam* Equus vel Equa, *aut* Asinus vel Asina in lucem edantur?

17. Qualecunque istud sit, *momentum argumentis addet consideratio natorum ex ejusdem speciei hominibus, colore solum nativo distinctis, Nigritis* scilicet & *Europæis albis*; Si non semper, *utplurimum* tamen ex connubiis hominum horum, diversâ cutis specie à se invicem differentium, nascetur soboles nec albedine prorsus Europæam, nec nigredine Africanam referens: *Quî moduli in Ovariis Europæarum aut Africanarum*

talem mutationem passi sunt, ut reticulum subcutaneum album nigrumve, ita à reticulo Parentum degeneret?

18. Ut non *rariora furtivorum amorum* aut quorumcunque *exempla* adducamus, quando Europææ Æthiopes admiserunt, fœtusque nigredine, à matrum colore, *sive* faciem *sive* corporis universi superficiem, insigniter discrepant: *Scilicet modulos in Ovariis Europæarum albedine s. n. infectos fuisse oportuit*, quùm citra congressum cum Nigrita albam enitantur prolem.; *Unde itaq; ex congressu cum Nigrita tanta modulorum ratione coloris immutatio?*

19. *Potiora adversus pupulas in ovis latitantes* supereſſent *dubia*, si ratio instituti ea adduci permitteret; illud dicam, *nullâ fidâ experientiâ eas ab ullo unquam demonstratas*; quin quod detegi nequeant, *quocunque microscopio utaris*, quum in latice ovulorum *ipsas natare necesse est: quis natantes eas contuitus est aut contueri poterit? quis* ex latice eductas nudas ulli oculo, vel armato easdem stitit?

20. *Si quoq; quis*, citra præconceptas opiniones, *prima rudimenta fœtuum in Uteris ipsis contemplatus fuerit, nullo modo machinulam*, aut modulum *omnibus numeris absolutum se deprehendisse fateri cogetur*, ut cohærentes & à se invicem discriminatas articulationes fœtus numerare potuisset, *saltem ad modum delineationis*; *Quin* sedulus scrutator non rarò incidet in *Uteros*, *quorum imprægnationis manifesta sunt indicia, nullo uspiam comparente fœtu*: uti sanè mihi visi plures Uteri, quorum non solum orificia occlusa, sed & interiora velo obducta membraneo, humore in cornibus stagnante; & quantacunque intentione animi & visus indagarem, rudimenta fœtus nuspiam advertere valui: *Atqui ita fieri non oportebat, ut Spiritus, sive aura seminis masculi*, in motum machinulæ aut moduli destinata, *sui officii adeo negligens esset*, operamque, quam ante omnia in actuandam & augmentandam machinulam impendere debebat, *ad* membranam longis Uteri processibus obducendam, & ad latices in eam convehendos convertat, *de machinulæ motu & incremento tantisper secura?*

21. *Neque solum ita cum bellainorum fœtuum primordiis comparatum est*, sed *eadem sors nascendi humanos manet*, quorum plura exempla *ex Abortibus*, quos sedula attentio mihi spectandos dedit, adducere possum, hâc vice *duo* saltem *abortiva ova*, quæ paulò infra *Observatio* IV. sistet, expendenda offero:

22. *Qui factum, quod in his Ovis abortivis tantæ capacitatis membranæ* sint elaboratæ, *tanta quantitas lymphæ* congesta, *radices tot circum-*

cumcirca muliebri Utero implantatæ ? *Pupulæ verò à spiritu masculo in tantum sunt neglectæ, ut ægrè fili penduli*, tam brevis, tam rudis *imagine conspiceretur.*

23. *Numquid*, quum *Spiritus masculus*, post congressum, hoc vel illud ovum Ovarii aggreditur, *ipsum defatigatum dicamus* in Ovulo ex Ovario excutiendo ? *num* tamdiu circa Ovuli superficiem hærentem dicamus, occupatumque in devolvendo per Tubæ anfractus, ut animum ad pupulæ motum & incrementum hactenus advertere minus potuerit ? *Num* in Utero dicamus eum prius opus habuisse ad expandendas Ovuli membranas, quo capacitati novæ sedis congruerent? *num* studium ejus prius ad reticulorum texturam conversum fuisse dicamus, ut ovum Utero materno firmius illaquearetur ? *Atq; sic demum sui muneris memorem Spiritum ad debita officia præstanda propius accessisse*, sternendo tamen prius semitam, eamque affabrè construendo pro commeatu à Matris penu in Pupulæ incrementum asportando atque moderando ; *quandoquidem funiculi Umbilicalis speciosior in filis istis apparatus, quam pupulæ in apice.* Certè hoc illud est, quod *prima fœtuum incrementa tarda* à curiosis memorentur, quum *sequentium mensium accelerata* tradantur.

24. *Isto* vero, quo recensui *ordine*, *intra Uterum succedere generationem, me recentissimè impregnatorum Uterorum plurium anatomiæ edocuernnt* ; sæpius enim, præprimis *ex Ovillo & Suillo genere*, *Uteros* nactus sum, quorum orificia occlusa, cornua intus mucosâ tunicâ obvelata, & lymphâ prorsus repleta, *Testibus* itidem *impregnationem* suis globosis corporibus *arguentibus, nec tamen vestigium fœtus adfuit.* Neque Patroni adversæ sententiæ negabunt, *membranulas Ovi per cavitatem omnem Uteri prius expandi, easdemq; lymphâ repleri, antequam notabile pupulæ incrementum advertatur.*

25. Quomodo itaque *opus Spiritus masculi in animandâ pupula*, *adeoque eodem momento* per longum, latum, & profundum, *extendendâ, quam primum Ovulum in Ovario adhuc situm ingressus fuit* ; *quomodo* inquam, *hoc opus*, *cum ista proportione incrementi membranarum & lymphæ* sub primordiis Generationis *cohæreat*, ego prorsus non video.

26. Neque est quod *simultaneam partium generationem Auctores ex Plantulis seminalibus firmare satagunt* ; est enim *inter Vegetabilium & Animalium Generationem maximum discrimen* :

(1.) *Plantarum Generatio* ignorat rationem diversi sexûs; *Ast* summa difficultas *in explicanda Animalium Generatione* à masculini sexûs accessione.

(2.) Malè *inter Plantulam Seminalem* in Seminio conspicuam, & *inter machinam s. pupulam in Ovuli latice invisibilem comparatio* instituitur ; *Plantula seminalis* embryo articulato & formato, aut per incrementa jam conspicuo ; & *Seminium* Utero, non Ovo, comparandum venit.

(3.) *Eo enim fit, ut in quibusdam capsulis seminalibus nullus amplius* superfit *succus, sed sola Plantula* ; qualem specioſam mihi mensis Augustus hujus Anni 1702. in quodam pago Prussiæ *Acer ingens* contemplandam dedit : *Fructus hujus* longis pedunculis insidentes, *capsulâ ligneâ* ferè (adeò duræ erant membranæ) *bifurcatâ & alatâ leviq; segmento discriminatâ* continentur : *apertâ capsulâ* hâc *communi* proximè à pedunculo, *sub gemina ala geminæ capsulæ aliæ* deteguntur, magnitudine Lupini minoris, sed crassitie supra illum seminiorum malvæ; *quibus incisis, singuli fructus singulari rotundo involucro obtecti* deprehenduntur ; quo detracto *fructus ipsi mirâ specie* in lucem prodeunt ; *duo* enim foliola *s. ramuli complicati & in se convoluti radiculam s. caulem communem, à quo æqualiter utrinq; progressi fuerunt, medium comprehendunt & abscondunt* ; Ipsi autem *ramuli* ita globosè compositi *incisionibus foliorum crenatum quasi semen referunt : semen* hoc *succulentum* quidem, *nullis* autem *lobis carneis* investitum, nudum prorsus comparebat : atque facili negotio *conglomerati ramuli explicabantur, ut Plantula cum sua radice perfecta* conspiceretur.

(4.) *Quis ejusmodi elaboratas Plantulas cum liquidi laticis in Ovulo umbris comparare vellet* ? Præterquam quod *plura* dentur *seminia, quæ Plantulis talibus destituuntur, quibus in procreationem suæ speciei solum corculiformes apices* à Natura sunt insiti.

(5.) Accedit, *quod Vegetabilia, uti sexus, ita & partium genitalium discrimina nesciant* ; talia sanè, qualibus, & structuram & usum, animalium genitalia distinguuntur ; Etenim *in Vegetabilibus* & radices, & rami, si non ipsa folia, æquè ac seminia Plantas producunt ? *ut incertum sit, quæ partes genitalibus in his comparandæ veniant*, quum *nec seminia*, accuratè loquendo, pro talibus agnosci queant.

(6.) Sic *neq; ordo Generationis in Vegetabilibus ordini Generationis Animalium respondet* : e. g. sumsi aliquando experimentum, & *folia brassicæ non capitatæ viridis*, quibus caules crassiores erant, selegi, pannoque, singuls seorsim, tempore brumæ; altius effossâ terrâ, sepelivi ; Post aliquot menses in effossorum caulium sulcis seminia plura nuda & libera offendi, eaque sui generis, & ad propagationem apta, siquæ

sique fides habenda, tutam à vermibus suæ soboli stationem promittentia; cujus rei periculum non feci: *Qualis hic ordo Generationis?* num quid talis in ulla animalium specie unquam memoratus extat? *non gemma, non pericarpium, non flos, aut quidquam illorum præcessit.*

27. Non extra oleas vagatus Curiosis visus fuero, si curiositati nullos limites poni cogitaverint: Neque dissentientes ægrè ferent, si adversus ista, quæ receptissima & vulgatissima habentur novè difficultates opponam, quandoquidem *nullius æstimationi aut gloriæ, per novè inventa aut retecta acquisitæ, meis dubiis quidquam detractum volo;* quin veneror tantorum virorum industriam, & successus dignos illorum conatibus apprecor: *illorum* modò *artes odi, qui per meram affectationem & vanos novitatis applausus ad famam grassantes, illud sedulò agunt, ut secus sentientes tanquam mancipia auctoritatis & Antiquitatis admiratores accusent, imò traducant:* Contra quorum cavillationes ut me muniam, obtestor, me per omnem vitam æquè novorum ac curiosorum solicitum fuisse, atque etiamnum esse scrutatorem; *Sed ut cœcâ libidine Nova, invitâ rerum Naturâ extorta, nullius aut incerti usûs, fluxæ fidei, nullâ constante experimentorum inductione, qualem leges Analyticæ volunt, cum Veritatis opprobrio & jactura amplecterer, nunquam à me impetrare potui.*

OBSERVATIO CXC.

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

De

Sceleto Gemellorum Coalitorum janiformi.

ANte viginti annos *effigiem monstrosæ horum Gemellorum coalitionis,* à *Westphalio*, Pictore celebri, vivis coloribus expressam, ope *Amici*, nunc *Fautoris & Medicinæ Doctoris atque Practici felicissimi* ope nactus fueram; Pauperculaque *admirabilem hunc partum mortuum,* ad provocandam hominum liberalitatem ante paucos annos circumgestasse atque monstrasse tunc dicebatur. Mortuo, sub initium Seculi hujus, FRIDERICO LEPNERO, *Medicinæ* Doctore & *in hâc Regiomontana Professore Primario*, Viro elegantiarum literarum summo Cultore, quem studii Medici ac Anatomici Ducem & Auctorem olim, postea & Collegam, Affinemque sortitus sum, hæredes ossa disjecta, pulverulenta per valetudinem possessoris neglecta, mihi obtule-

tulerunt. Illico Monstrosorum Gemellorum esse adverti, mundataque & quomodocunque composita, revera ipsorum esse cognovi, ut ut in historiam Anatomes, quam B. LEPNERUS accuratè susceperat, hactenus frustra inquisiverim.

PICTURA sequentia de monstrosa horum Gemellorum Coalitione spectanda exhibet:

1. *Faciem alterius Gemelli*, sed *mortui*, oculis clausis labiisque compressis, cum auribus geminis; omnia s. n. 2. *Pone aures protuberantias geminas globosas*, pilis investitas; has quas Cranii conformationi p. n. ossibus sincipitis illuc translocatis, uti *sceleton* edocebit, adscribo: 3. *Thoracem* p. n. *curtum*, *mox ad scrobiculi confinia* nullâ proportione *dilatatum & elatum*: 4. *Abdomen* p. n. *expansum* similiter: 5. *Umbilicalem regionem* instar tumoris p. n. *prominulam*: 6. *Funiculum Umbilicalem* longum ex eâ pendulum: 7. *Artus Superiores* utriusque Gemellorum s. n. 8. *Artus* vero *Inferiores*, in neutro s. n. prorsus; *Istius* enim, *cujus facies* & reliqua Corporis s. trunci anterior pars *depicta* est, pes dexter justo longior; sinusque obliquior, quasi luxatione coxendicis contortus fuisset; 9. *Alterius* autem pedes cum natibus obversis, à dorso mirâ declinatione reflexi, incumbebant sinistro pedi prioris, ut sinister sinistro inequitaret; cætera s. n. *Non occurrit similis contorsio pedum* cum lumbis & natibus inter coalitiones Gemellorum à *Liceto* adductas, aliàs annotassem.

SCELETON plura memorabilia sistit.

I. *In Capite:*

(1.) *Cranii exterius* singularis conformatio:

1. *Ossa frontis* utrique per harmoniam juncta; *alta* præterquam s. n. fieri amat:
2. *Neque ullus hiatus membraneus* per suturam comparet:
3. *Ossa* hæc *frontis* utrinque concurrunt, & verticem s. calvariam constituunt, suturâ intercedente, sed *nullo intermedio fonticulo* s. spatio membraneo:
4. Neque *ossa sincipitis* post eadem ullo in loco verticem occupant, sed instar alarum *lateri alterutro alterutrius ossis frontis sunt appositæ*:
5. *Ossa temporum* extus nulla; adeoque nec sutura:
6. *Ossium temporum locum* utrinq; *Os Occipitis occupat*:

7. *Ex*

7. *Ex tali situ Ossium sincipitis & occipitis, ratio protuberantiæ globosæ in pictura* pone aures petenda erit.

8. *Idem situs ossium sincipitis & Occipitis facit, ut unius capitis* l. *cranii species videatur*, quæ tamen *duorum Craniorum ossa præcipua* complectitur; *quatuor* sc. *frontis, quatuor sincipitis, duo Occipitis.*

(2.) *Cranii interius* conformatio:

1. *Ossa petrosa* utrique Gemellorum gemina, ad sui cujusque ossis occipitis latera collocata:

2. *Os basillare* commune unicum fuisse videtur; utriusque Gemelli palato substratum.

3. Attendi, *si qua duorum Gemellorum cerebra intergerino pariete osseo fuerint separata*; ut adeo *membranis solùm sejuncta fuisse* credam.

4. *Duo Cerebra* autem *fuisse*, præter ista quæ *de gemina facie*, & *de gemina spina*, mox tradentur, & *foramina sacra gemina* attestantur.

5. *Foraminum* autem horum *sacrorum singularis situs*; quippequum situm Ossis occipitis ipsa sequi oportebat, *ad latera* sunt perforata; ut Thoracis cavitatem obliquè respiciant.

(3.) *Faciei Conformatio*;

Hujus partes omnes, *orbitæ Oculorum, nasi juga, mandibulæ*, utrique Gemellorum s. n.

II. *In Collo:*

1. *Vertebræ* utrique suæ; sed nondum consolidatæ, uti in recens natis existere solent, adeoque divulsæ:

2. *Situs p. n.* qualis Occipitis, cui sublocatæ sunt, ad latus sc.

3. Unde *Gulam & Laryngem ab his divortium fecisse* conjicio.

III. *In Thorace:*

1. *Claviculæ duæ* utrique Gemello s. n.

2. *Sterni Os* pariter utriusque s. n.

3. *Costæ ab* utroque sterni latere *duodecim* utrique.

4. *In-*

4. *Inarticulatio* etiam *cum vertebris dorsi.*

5. *Ipsarum* autem *Vertebrarum dorsi situs* p. n. *quippe qui Vertebris Colli & Occipitis à Natura adaptatus est.*

6. Ex tali situ Vertebrarum, atque connexione costarum, puto *Thoracis & Abdominis in Pictura* notatam p. n. *expansionem* deducendam esse.

IV. *In Artubus Superioribus & Inferioribus:*

2. *Vertebræ lumbares* Utrique etiam s. n.

3. *Ossa innominata* pariter.

4. *Pedum* quoque omnia.

1. *Scapulæ, brachia, cubiti, manus*; Utrique Gemello s. n.

5. *Unum par Ossium pedum* aliquanto robustius & longius apparet.

V. *Ex Visceribus.*

Accuratè hæc à B. D. *Lepnero* fuisse perlustrata, atque olim asservata, indicio sunt reliquiæ, sed exesæ, & laceratæ, ex quibus *geminum Ventriculum* saltem dignoscere licet: Si qua bona fortuna me historiæ à laudato Viro consignatæ compotem fecerit, eam Orbi erudito non invidebo.

Usus ex Sceleto Gemellorum Coalitorum Janiformi.

1. Dubia *adversus Simultaneam Partium Generationem* illustrat.

2. Miracula Naturæ *in Coalitionibus Gemellorum* luculentius declarat.

OBSERVATIO CXCI.

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

Ex Uteri Ovilli, Collo in ligamentum coalito, fœtuque adulto emortuo, Anatome:

OBlatus *Anno* 1702. de 27. *Jul.* Atque quum *externæ partes Uteri* sic rectè haberent, ad *interiorum* lustrationem me converti: inspiciens.

1. Col-

I. *Collum* : hujus *conformatio* illico p. n. visa ; siquidem *in confinio Vaginæ*, ubi ejus initium, *nodus* quasi comparuit, à quo velut funiculus arctè contortus ad cavitatem Uteri usque, locum insertionis, progrediebatur : *Brevitas colli* in funiculum contorti insolita, duarum scilicet unciarum, infra quam *sceleton*, quod asservo, consistit : *Crassities*, quanta calami mediocris anserini, nisi quod in Vaginæ & Uteri conterminis locis, aliquanto crassius ; *durities* tanta, ut digitis pressum nullâ ratione cederet ; compacta quasi cartilago, continuo ductu, se tangentibus offerebat :

Incisâ Vaginâ, *orificium Uteri* quod audit, principium Colli, instar glandulæ s. n., ut recessum cartilaginei quid terminaret.

Nullius vero styli, vel minimi, adminiculo penetrare datum fuit ; E parte Uteri proximâ transitum stylo tentabam sed frustrà :

Partem hujus *funiculi à membranis communibus liberavi* ; tunc quando mera cartilago, nodis tantum suis distincta, deprehensa fuit.

II. *Testium* scrutinium instituturus, *nuspiam* eos suâ formâ reperi : *Unius Vestigium alterum latus monstrabat, sub specie* rotundæ depressæ *pinguis massæ* ; Uteri membranæ extrema prorsus accretæ ; taleri magnitudine, & crassitie ; *unica portiuncula*, itidem pinguedinis in modum, ab hac massa secessum faciens, *partem sui laxè pendulam*, uteroque minimè adhærentem, *monstrabat*.

Incertusque relictus essem, *an Ligamento*, *an Tubæ illam massam deputarem*, quando *nihil* aliud *de Ligamentis aut Tubis ullibi* occurrebat ; nisi *nervei quid ab eadem massa* progredi contuitus fuissem ; *hujus nervei corporis pars latior*, quæ massæ illi inserebatur, in pinguedinem unà degeneraverat ; *ex altera parte à Lanione* præcisa, ad pressionem aliquid sanguinis erumpebat ; *quo solo indicio istam massam Testiculo asserui*, nerveumque corpus *à Spermaticis Vasis* deduxi.

Alterum Testem in oppositio latere frustrà quæsivi ; *nullumque* hic aut nervi, aut vasis, aut pinguedinis *vestigium*. Non procul ab insertione Colli pars Uteri complicata singularis corporis speciem quidem offerebat, verum eadem aperta *Cotyledonum aliquot simulacra*, fermè obliterata, exhibuit, quum *in nulla alia Uteri parte Cotyledones* esset contueri.

Pinguem itaque *Massam dicti lateris* incidi, nilque nisi membranularum pinguium conglomeratio deprehensa.

III. *Utero patefacto pilos fœtûs*, undique tunicæ internæ *accretos* comperi, paucis in locis *Chorii lacinias* adhuc erat separare ; plera-

que omnia conglutinata intertextis pilis, ut κατὰ δάφιν procedere opus haberem.

IV. *In Fœtu* partui maturo *Masculo ista observavi.*

(1.) *Umbilicum Chorii parti adhærentem:*

(2.) *Pilos nigros, longos, minimè crispos*, totum corpus investientes:

(3.) *Caput* inter duos pedes primores Collo obversum; *pedibus* & his & posterioribus protensis, uteroque agglutinatis firmiter:

(4.) *Viscera exsucca* omnia:

(5.) *Omenti nullum indicium:*

(6.) *Renum fasciam*, pinguedine satis densâ; *Parenchyma* verò exsangue & exile, nec ex aliis renunculis conglomeratum, sed instar glandulæ conglobatæ:

(7.) *Pericardium* pinguedine sat multâ undique conspersum, *Corde* exsucco, ut nec guttulâ liquoris ullius, in Ventriculis occurreret.

(8.) *Foramen Ovale* satis amplum, valvulâ tamen jam arctius connivente.

(9.) *Ventriculos quatuor* ægrè distinguere valuimus.

(10.) *Hepar* exsangue, pallidum, *nullâ Vesiculâ fellis.*

(11.) *Pulmones* flaccidi, exsucci, incisi qualemcunque vivacis coloris imaginem referebant.

(12.) *Oculi* quasi exesi, bulbis abolitis, foveas nudas reliquerant.

V. Notatu autem dignum, quod *nec inter secandum, nec inter contrectandum, vel* ab Utero, *vel* à Fœtu ullus Fœtor exhalarit; semel aliquid mucidi odoris nares feriebat.

Usus ex Anatome Uteri Ovilli, Collo in ligamentum coalito, fœtuque adulto:

Item:

Dubia adversus Historias de Fœtibus in Tuba repertis.

1. Quam *variæ difficilis partûs causæ?* quis eas divinando assequi potest? *Vulgus* indignatur, si *Medici* non obstetricantes semper afferunt

ferunt manus, & scommate ipsos perstringit, ut *quorum errores obtegat terra.* Quin *Vulgi obstinationem*, denegando cadaverum anatomas, *calumniis in Medicos*, ac suspicionibus pravis *fenestras aperire* dicamus; neque enim venia sperari potest, si in malevolos incidas, inspectione cadaverum subtractâ, quæ sola innocentiam vindicare poterat.

II. *Quis casus Collum Uteri in funiculum rigidum* ita *contorsit*? revera postquàm exsiccatum asserculo instratum conspexeris, funiculum ex pluribus fidiculis serietenus contortum dices: Novi quidem *asperitates Colli Ovilli, Utero fœto*, quarum *septem utplurimum* numeravi; novi & *cartilagineam earundem duritiem*; sed in funiculi rigorem contortas hactenus non novi.

III. In *Evexia matris* quantum est situm, quæ & mortuum fœtum à putredine illæsum conservavit; id quod *Excell. D. Abr. Cyprianus* in eruditissima *Historia de fœtu humano post* XXI. *menses ex Uteri Tuba, Matre salva ac superstite, exciso*, Illustri exemplo confirmat, *p.* 14. *Mirum* inquit *est profecto, per duodecim menses absque putredine cadaver illud tuba in latere potuisse*; &c.

Dubia adversus Historias De Fœtibus in Tuba repertis.

(1.) Nolo omnes *historias*, quæ *de Fœtibus in Tuba repertis* commemorantur, adducere; aliquot harum legere est in *Bibliothecæ Anatomicæ* To. I. Una sit instar omnium, laudati paulò ante n. III. *Excell. D. Cypriani*, quæ omnem dubitandi ansam præcidisse videri poterat, præsertim quum p. 11. *Vacuâ jam infantis cellâ*, Vir Experientissimus scribat, *se spectatoribus*, rerum peritis, Medicis, Medicorumque filiis cum Chirurgo *demonstrasse eam partem, unde fœtum extraxerat, peritonæo adnatam ita, ut una quasi videretur membrana Deinde partem hujus sacci inferiorem dextro lateri Uteri circa fundum affixam; qui Tubæ locus cum sit*, pergit, *neque ulla alia reperiretur, manifestum fuit in Tuba dextra fœtum hæsisse. Datâ enim copiâ Uterum ipsum inspiciendi ac contrectandi illum in statu naturali cum Ovario ac sinistra Tubâ prorsus illæsum jucundum fuit omnibus ostendere.* H. I.

(2.) Sed *liceat* egregiæ *isti historiæ* banc *nostram opponere*, *utraque Tubâ per expansionem Uteri abolitâ*: Ut CL. *Vir* secum reputet, *non*

sequi ; *Tuba* dextro lateri *defuit* ; *Ergo saccus*, in quo fœtus, *ex Tuba dextra fuit formatus: Cur non potius ex parte dextra Uteri?* quando Ovillo Utero salvo, utramque Tubam disperiisse ostendi.

(3.) Certè utut *Vir Curiosissimus* Uterum vidit, *recessum dextri lateris intueri in viva neutiquam potuit*, *an hujus omnia salva ac in statu naturali? Recessus* sanè, *ad quos præcipuè Placentæ hærent*, pluribus casibus in opere Generationis sunt obnoxii, & ad expansionem in sexu humano aptissimi.

(4.) *Potuitque contingere, ut pars hujus recessus coalesceret*, istâque ratione *peculiarem cavitatem*, à reliquâ Uteri discretam *efformaret, quâdam Tubæ regione una expansâ*; si hæc non obliterata fuerit, quò magis propendeo, siquidem & *Ovarium dextrum abolitum fuisse* innuitur, quum adducta verba Ovarii, in singulari, mentionem faciant; & *in Ovillo Testes gemini cum Tubis geminis disparuere.*

(5.) Nec grave foret pluribus *exemplis* ejusmodi *cavitatum expansarum, cum coalitione partis alterius generationes in Utero, Vesica*, &c. demonstrare; sufficit ex *CL. Auctoris* Tabula III. bb. *duas Uteri Cavitates* allegasse.

Quâ quidem *historiâ* itidem *Fœtum in Tubâ hæsisse contendit*; summa hæc est p. 43. seqq. *Quædam se gravidam credens, post novem menses, Obstetrice nullum unquam infantis motum percipiente, frustrà expectato puerperio, ubi per totum biennium remedia varia contra Hydropem incassum tentarat, & Auctor paracentesin tanquam in Ascite firmato summæ temeritatis duceret, tandem occubuit: In cavitate abdominis aperti ne minima aquæ quantitas reperta; totum* verò *illum tumorem monstrosum, vult, nihil aliud fuisse quàm Tubam Uteri, centum quinquaginta libras aquæ continentem.*

1. Sed; quod cum pace *CL. Auctoris* dixero, *ex hac historia postrema* nihil verosimilis *pro Fœtu in Tuba* afferri potest, ex Tabula enim citata III. apparet, *totum Uterum* variè vitiatum, adeoque *prorsus in statu p.n fuisse*.

2. Quamque asserit *sinistram Tubam intra duas uteri cavitates hærentem*; hæc nullam speciem Tubæ refert; & neglexit *Auctor* in majorem sui placiti fidem, stylo aut injectione, vel flatu Tubæ ductum investigare.

3. Quantum *ex figura* est dispicere, *portio Uteri malè conformata* est habenda.

4. Mi-

4. Mirum sanè *quod Auctor Ovarii mentionem non faciat*; figura allegata aliquid isti portioni Uteri concretum offert, ad quod vasa spermatica tendunt, quod forte *Testis* loco fuit; verum dubito, *an s. n. hic Testis se habuerit*? & corpus illud, pro Tuba sinistra traditum, Testisque ad situs accuratiorem lustrationem meruissent.

5. Quum verò & *historia & Tabula utraq.* III. & IV. *Uterum pessimè affectum fuisse* edoceant, coactum videtur ad Tubam recurrere, quando ad Uterum, aut hujus partes, istiusmodi expansiones commodè referri queunt: Faciliorque *tumorum carcinomatosorum & gelatinosorum concretionum*, in interna superficie hujus expansionis, quæ *in Tab.* IV. sunt expressæ, *Auctori* fuisset Explicatio, si Utero earum originem adsignasset; quando ad similes excrescentias & s. n. & p. n. Uterum dispositum esse constat; s. n. in Cotyledoniferis & Placentiferis; p. n. in molam gestantibus.

6. *Posito* quoque *quod Tuba in ista femina Hydrope laborasset*, nimis confidenter tamen ab *Auctore* fœtus in eadem Tuba asseritur. *Neque* enim *Fœtum adfuisse oportet illico, quando Tuba corripitur*, Servo *infundibulum Tubæ fuillæ* binis in locis *hydropicum; altera membrana inflata* parva & *rotunda*, quam cum Teste coqui curaram, experturus an humor contentus concresceret? *altera* est *oblonga*, & per anfractus incisa, amplitudine quæ NM. caperet: Neque tamen signa ullius fœtus in Tuba aderant, & membranæ præter expansionem nihil alieni passæ fuerant. *Aliam Tubam Ovillam* servo, ad cujus angustias non procul à cornu Uteri, *vesicula longitudine pineæ nucis se inflari patiebatur*, flatu eodem & ad Cornu propulso, Utero, non Tuba, prægnante.

7. Quin *sæpissimè in exterioribus partibus Tubarum muliebrium & belluinarum hydatides deprehendi*, vel *Vetulis*, extra spem prægnationis positis; *quidni igitur citra fœtum Tubæ evadere possint hydropicæ?*

8. Quid si *in historia ab Auctore tradita*, dicamus, *humorem à Teste dextro affluentem*, & versus Uterum tendentem, *in recessu proximo istius lateris sufflaminatum*, & ex mora gelatinosum redditum, Uteri partem conglutinasse, ut duæ cavitates enascerentur; *partemque Uteri, recessum* sc. ab affluente subinde novo humore, *s. ab Uteri* tunicis, *s. à Teste* istius lateris, quando adhuc integer erat, *s. à Vasis* spermaticis, quando Testis consumtus perlit; numquid hæc *ætiologia Hydropis* non esset planior ac verosimilior? præsertim quum *Uteri prava conformatio, Ovarii & Tubæ abolitio* in hoc latere sit manifesta,

nifesta, quam quod est manifestissimum, & *excrescentiæ* Tab. IV. delineatæ Uterini generis sint. *Humores à Testibus ad Tubas subinde affluere* luculenter hoc *Anno* 1702. M *Octobr.* & *Nov. in novem Ovillorum Uterorum fœtorum Tubis* plerisque demonstravi; ex ligatis & coctis coagulum lacteum, albumini Vesicularum respondens, toties eximens, majori, minori copiâ; quo quasdam totas repletas offendi.

Quæ mea dubia ut Vir CL. cum Orbe Erudito interpretetur, ac quæ ex amore Veritatem idagandi sint profecta, est quod maximopere votis contendo.

OBSERVATIO CXCI.

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

De Duobus Abortibus Humanis Oviformibus.

INtra annuum spatium, proximè elapsum hæc *duo abortiva Ova, ab eadem Matrona edita*, mihi oblata, quæ domi examinarem accuratius: mentionem ipsorum ad *Observationis* l. numerum 21. *in Dubiis adversus simultaneam Partium Generationem*, injeci.

Unum An. 1701. d. 26. *Octoris* infra, alterum 1702. d. 21. *Junii* supra Ovi Columbini magnitudinem; ambo undiquaque villis erant obsita, sed delicatioribus alterum, An. 1701. in aqua tepida instar seri crudi fluitantibus.

Curiosè investigaturus, *si quandam pupulam intus fluitantem conspicerem*, semovi quadam in parte villos, ut liquor transpareret? nullam verò aliam *speciem*, quomodocunque soli obverterem, detexi, quam *fili albi, globulo in extremitate distincti.*

Globuli magnitudo erat instar seminis Papaveracei albi minimi: *Filum* subtilissimis fidiculis tenuius erat, vix trium linearum longitudine; neque enim unguis longitudinem emetiebatur:

Incidi Ovum, & effuso latice tentavi, si qua *filum istud* Microscopio subjicere valerem, quod quum frustra tentarem, satis habui à tunica, cui adhærebat, idem ope styli leniter attollere; verùm *ne sic quidem species machinulæ conspicua evasit*, moxque inter contemplantis contrectationes & conversiones varias, antequam microscopium adaptarem, abruptum evanuit.

In alterius Ovuli filo periculum denuo facere nolens, hoc cum Ovulo villoso liquori immissum hactenus asservo.

Illud

Illud autem memoratu dignum, quod *ante abortum Ovuli primi*, citra magnos dolores, sed cum ingenti sanguinis profluvio, *lacinia exturbata* fuerit, duorum triumve digitorum transversorum latitudine, & fermè longitudine.

Hæc *Lacinia ab altera parte* erat *sanguinolenta*, & aliquibus in locis quasi *protuberans*; sed ut *nulla Cotyledorum sive glandularum* species compareret;

Ab altera parte erat quasi villosa, alba; ut villis Ovuli responderet quodammodo.

Candidiores tamen erant *villi Ovuli*, & longè molliores, quasi plumosi:

Atque quum *Ovulum* istud *per villos undiquaque album* compareret, *uno* tamen *in loco quasi glanduloſum Corpus durum sanguinolentum* observavi.

A qua *sanguinolenta regione non procul* primum *aliquid pendulum adverti*, quod, uti superius descripsi, *filum* retulit *album cum globulo*.

Superficies interna Ovuli, ut hujus quoque mentionem faciam, erat *lævissima*, villis & asperitatibus prorsus destituta; incisam enim tunicam ad lustrandum fœtum inverteram, & supra unguem expanderam, ut filum ope styli attollerem & luci obverterem; id quod ægrè obtinebam; siquidem, quando in pendulo filo globulum contemplari conabar, atque stylum retrahere aut subducere cogebar, illico *globulus à filo attrahebatur, & filum cum ipso ad tunicam recedebat, seque* huic *applicabat*, ut non sine magna cura ipsum cum globulo à tunica rursus abstrahere valerem.

Neque Ovulum inflare *summa tunicæ mollities* permittebat, quum fermè ad contactum diffluaret.

Posterioris Ovi historia mihi non consignata, quod post aliquot horas *à Cane rabido dextra*, dum in via eram, *admorsa* esset: *Vitri* tamen, *in quo ipsum recondideram, operculo inscriptus dies*, quo abortus contigit; & *cum Placenta Ovulum*.

Dubia ex Historia duorum Abortuum humanorum Oviformium, adv. Generationem Viviparorum ex Ovo, ratione accretionis Ovi.

I. Decreveram hanc historiam inserere *Dubiis adv. simultaneam Partium Generationem*; *Post Notas in Observ. de Gemellis Coalitis*: At quum

quum Excellentissimi *D. Abrahami Cypriani Epistolam de fœtu ex Uteri Tuba exciso* perlegeram, dignam judicavi, quam seorsim edissererem.

II. Laudatus enim *Vir Experientissimus in Epistolam commentans*, explicaturus (p. 30.) *quomodo Fœtus interiori Tubarum tunicæ suâ cum placenta affigatur*, ibique æquè ac in Utero suum incrementum acquirat; fatetur *incrementum Ovo accedere ab ipso loco cui adhæret, sive*, Uteri, *sive* Tubæ; Nimirum (p. 31.) *quia illud Ovum non tantum substantiæ in se continet, quanta requiritur ad nutritionem increscentis fœtus, secus ac in Oviparis: Ut verò fœtus ab Utero recipiat humores ad sui incrementum necessarios, debere illi quasi affigi & quodammodo inclavari, adeò ut deinceps efformentur tubuli aut continui ductus ex Utero in fœtum, quibus mediantibus humores imò ipse sanguis tandem communicentur. Quâ ratione autem illud fiat, demonstrare, hoc opus*, inquit, *hic labor est*; tateturque (p. 42.) *explicatu admodum difficile esse, quomodo ante dicta illa insitio sive inclavatio Placentæ in Utero fiat.* H. I.

III. Quot quidem ego me legisse memini, *nemo dissentientium de Ovi in Utero Accretione tam perspicuè disseruit*: Hocque præcipuè *in Exercitatione mea Generationi Viviparum ex Ovo* opposui, quod nullo modo liquido domonstrari possit, quomodo hæc sin obveniat.

IV. Quibus permotus, quum & ipse Auctor CL. (p. 4.) dicat, *historiam de accretione Fœtus adhuc mancam esse, & à nuperis Anatomicis penè intactam relictam*; quæ *in Curiosissimi Viri demonstratione de Accretione Ovi sive Fœtus* desiderem, in medium proferre volui, non tam verborum aut ratiuncularum lenociniis, quam certâ experimentorum fide: Ordine ipsius placita persequar.

(1.) *Ova in Utero aliquot dies nondum alligata, sed libera ac mobilia:*

Mihi *nulla autopsia* cujuspiam Anatomici *in Utero humano libera ac mobilia Ova detexit*: *In belluinorum Uterorum Cornibus & progressibus* prolixis qui libera, mobilia, fluctuantia Ova repererit, *præter Graafium*, qui asseruerit, *inventus est nemo*: *Nec à Graafio definitus locus ubi offendi queant*, *an* in arctissima extremitate Cornuum aut Processuum, *an* vero in eorundem progressibus amplioribus? *& qui fiat* ut non ad antrum commune aut Collum, si non ad Vaginam mobilia provolvantur illico?

(2.) *Ovorum superficiem extremam, præcipuè loco Placentæ, villosam fieri:*

Hoc *CL. Auctor* itidem *in Utero humano citra autopsiam* supponit: Memo-

Memorata nobis *Ova abortiva circumcirca*, æqualiter per omnem superficiem villis obtecta fuere, quod & *in aliis abortivis Ovis humanis* observavi: Neque *lacinia ante partum edita, aut placenta cum Ovo connexa in historia nostra*, Auctoris assertum firmare queunt, quandoquidem *in Ovis ipsis nullo loco discrimen villorum agnitum*; Quin *in locis ubi Placenta, villos coaluisse ac disperiisse* patet. *In belluinis Ovis nondum à quoquam talem villosam superficiem traditam memini*: Experientiæque repugnat, siquidem *Uteros nactus sum, signis prægnationis manifestis*, nullo tamen intus fœtu conspicuo; tunicasque, aquâ uti in fœtis repletas, separare aggressus, utut sedulò illud agerem, integras detrahere neutiquam valui; illicò enim ob mollitiem & tenuitatem laceratæ sunt, *nullo villorum similem in modum*, uti de humanis retulimus, *indicio* Neque legi, *qui belluina ova abortiva, aut villos in eisdem conspexisset, nedum* ut in Placentæ aut Cotyledonum locis eos præcipuè extitisse demonstrasset. *In istis verò recentissimè imprægnatis Uteris, Placentiferis æquè ac Cotyledoniferis, Velum* per omnem superficiem cornuum aut processuum *æqualiter prætensum vidi*, nullo locorum discrimine. Utut *adhæsio tunicarum & Ovorum admodum in brutis differat, tam ratione specierum, quam ratione temporis prægnationis*; e. g. *in suillo genere*, quum exiles sint cotyledones, longè infra piperis granum, vix insertio cognoscitur, & sponte suâ ab Utero secedunt: *In Ovillo genere* sub primordiis prægnationis pariter nulla inclavatio advertitur; quin Cotyledones planâ facie tunc occurrunt, atque ad levem contactum separantur. Ut adeò *evidens* sit, *per experientiam* definiri minimè posse, *an Ovorum superficies loco Placentæ aut Cotyledonum præcipuè villosa fiat; quamvis ratione istud utique colligi poterit.*

(3.) *Villos intra superficiem antea compactos, ubi Ovum ad Uteri cavitatem pervenit, humiditate ibi contentâ lubricari & quasi evolvi ac extricari:*

Oculis corporis nemo istud usurpaverit; *si rationis acie* idem defendes, *Placentæ prærogativam* paulo ante assertam *tolles*; neque enim Uteri humiditas unum locum minus irrigabit quàm alterum.

(4.) *Ovum motu intrinseco humorum in se contentorum in tantam magnitudinem excrescere, ut latera vicina Uteri premat:*

Unde ille *humorum in Ovo motus instrinsecus? Ante congressum* cum mare non existit; *Post congressum* demum si accedit, cur non intra Ovarium similiter Ovum excrescere facit? *Latera Ovarii vicina ovum*

facilius presserit, quum hæc ipsi sint undiquaque contigua, *sicque Ovario Uteri officium assignandum foret.*

(5.) *Laterum Uteri humani internam cavitatem fabæ majusculæ dimensionem ordinario non excedere:*

Aliquando NM. capacem, & *aliquando* ampliorem deprehendi: scilicet *amplitudo cavitatis variat pro subjectorum, ætatum, conditionum ipsius sexus muliebris ratione, ut uniformis determinari nequeat*, inductione insufficiente; *neque ulli Anatomicorum datum fuit tot Uteros humanos secundum memoratam varietatem introspicere*, ut *vel* ætatum, *vel* conditionum sexus, *nedum* subjectorum respectu quidquam certi definiri possit. *Verum sit illa cavitas, ætate nubili, utplurimum fabulæ majusculæ cujuscunque dimensione*, satis ampla est novi hospitis, ovuli, proportionem si consideres, ut quomodo hujus superficies eidem undiquaque conciliari ac combinari queat, à dissentientibus hactenus explicatum non inveniam; *qui nempe* Ovulum in Utero villis circumquaque amiciatur, quum nec in Ovario, nec in Tuba, æquè lubricis, æquè humectis, eisdem investiatur? *qui*, quando villi æqualiter sunt protensi undique ovulum in uno loco magis radices egisse concipi queat quam in altero?

(6.) *Agglutinationem Ovuli in superficie interna Uteri non sine aliquâ compressione fieri:*

Non video; *quomodo in Utero humano*, qui quando ovulum excepit à congressu densus adhuc est, *compressio quædam concipi queat?* Periculum sanè, ovuli subtilissimas tunicas compressione tam densi corporis ruptum iri, violentam enim esse oportet. Et *quid fiet de belluinis Uteris*, animalium e. g. utplurimum uniparorum, Ovium, Vaccarum, Equarum, &c.? *Qualis in tam longo tractu* Cornuum aut Processuum, ad Ovuli agglutinationem, *per omnem istam regionem sub primordiis fingi potest compressio?*

(7.) *Superficiem externam Ovi quasi detractâ pelle, præcipuè loco Placentæ superficiei internæ Uteri agglutinari:*

Nec hoc capio, quomodo ullo in loco pellis Ovo detracta intelligi queat, nedum in loco Placentæ. Historia à me allata *totam superficiem ovorum circumcirca villosam* monstrans, hanc detractionem non admittit. Illud certum, *quod Ovuli superficies successu temporis non amplius undiquaque villosa conspiciatur*, cujus rei documentum secundinæ abortivæ, *proximâ Observatione* à nobis commemorandæ, exhibebunt: *Nimirum, quando* fœtu adolescente villi Ovuli in externa super-

superficie siti, villis Uterinæ superficiei internæ implicantur, *sive* in Placentarum *sive* in Cotyledonum speciem, fit ut pars à tali con extu libera lævis evadat; uti ego puto, *per modum obligationis*; *siquidem Partes Chorii à Placentæ aut Cotyledonum contactu immunes, non tot vasis sanguineis, nec tam amplis instructos attentus scrutator comperiet; ad illa verò loca ubi placenta, aut Cotyledones*, quum insigni numero & amplitudine vasa contendant, *hæc* villos utrinque, & Uteri & Chorii, magis atque magis implicant & condensant, *in speciem primum glandularum, tam in* Placentiferis *quàm* Cotyledoniferis, *mox* in justum corpus Placentæ aut Cotyledonum. *In Placentiferis autem* quum Placentæ non per omnem ambitum Uteri se expandant, uti Cotyledones in Cotyledoniferis per omnes regiones Processuum aut Cornuum dispersas videmus, *contingit ut* ad incrementum fœtûs Placentâ in unum locum contractâ, reliquum spatium chorii læve evadat, villis obliteratis: *Hocque spatium Chorii læve, fœtu adhuc tenero*, exiguum deprehenditur, longè intra amplitudinem Placentæ, pro copia liquoris in amnio contenti: *adulto autem fœtu* ampliorem longè, quam ipsa Placenta, regionem occupat.

(8.) *Tubulorum in* Ovo *hærentium partem aliquam nempe quæ ad hanc rem satis sit cum poris Secretoriis uniri.*

Rectè hæc se habent, si successivè, modo ad præcedentem n.(7.) à nobis tradito, intelliguntur: *Sub primordio*, Chorii villi circumcirca omnem Uteri internum ambitum contingunt: *succedente verò tempore* vasorum dispositio, uti hunc vel illum locum Uteri magis feriunt, atque in mutuos complexus arctius ruunt, in Placentæ aut Cotyledonum compagem istam unionem conciliat.

(9.) *Ad fœtus incrementum, & aquæ in Amnio contentæ generationem sequi, ut Corpus Uteri magis magisque debeat extendi.*

Non sanè *ad fœtus incrementum*; inter quod & illud tunicarum placentæve incrementum nulla est proportio, uti ex anatomiis nostris liquet. *Nec ad aquæ in amnio contentæ generationem*; quia hujus ne quidem ad placentam justa videtur proportio, *exigua* enim *cavitas est Amnii: Unde* ejusmodi *Ova abortiva, nulla aquæ profusio, benè tamen largissimum sanguinis profluvium præcedit. In Brutis* equidem *non ad Fœtûs incrementum, aut aquæ in Amnio contentæ generationem* Cornuum aut Processuum extensio sequetur; Vidimus enim hoc *Anno* 1702. d. 1. *Decembr.* Ovilli Uteri Cornua extensa & turgida, *amnii tam exili cavitate, ut vix Lupinum majorem caperet*, & propter depressam spe-

ciem primo obtutui ægrè se dignoscendam sisteret, Fœtu perparvo, thorace & abdomine nondum clausis.

V. Hæc fuerunt, *quæ non fidâ experientiâ, veritate invitâ* in doctrina de Accretione Fœtus à CL. Viro *suppositâ* autumo. Cætera omnia præclarè se habent, quæ & meâ & aliorum experientiâ confirmare in proclivi foret. Quamvis enim à nonnullis *sanguinis materni cum sanguine Embryi circulatio* negetur, rectè tamen hæc in adultis asseritur, quum & per injectiones detegi queat.

VI. Quando verò *talem communicationem tantummodo per poros vasorum glandulas componentium dilatatos vult fieri, non item per extremitates vasorum sanguineorum*; Licet voce *anastomosis*, quandoquidem quibusdam ob ambiguitatem & obscuritatem exosa esse cœpit, facilè abstinere, *dicat quæso CL. Auctor, an* vasa glandulas componentia non sint extremitates Vasorum sanguineorum? *Et si sunt, in illis ipsis extremitatibus* si discrimina dantur, fibrarum procurrentium aut circumflexarum ab apicibus ipsarum omnium extremis, *ubi poros CL. Auctor collocabit an* in procursu fibrarum, *an* in apicibus omnium extremis? Credo *fatebitur CL. Auctor, quod in apicibus omnium extremis*; secus enim extravasatio & stagnatio fieret continua, nullaque f. n. esset circulatio. *Ad quid autem istæ verborum rixæ? Certum esto per extremitates arteriarum* sanguinem transire, & *per extremitates venarum* excipi, *sive* illæ extremitates sint contortæ, anfractuosæ, exiles, visum, effugientes, & perplexitatibus glandulam mentientes, *sive* minus; *sufficit* per interstitia ab apicibus omnium extremis nullos à natura in circulationis usum poros conditos, quamvis p. n. ibi quandoque occurrant. *Injectionibusque tinctorum liquorum* hæc Illustrari queunt, *imprimis si in angustiis extremitatum sedimentum relinquunt. Aliam autem atque aliam in his illis secretoriis Organis apicum illorum conditionem esse* lubens fateor, quæ nondum in omnibus manifestò vel ab oculatissimis Anatomicis detegi potuit. *Fortè & quarundam singularis est ratio*, qualis Venæ Portæ in Hepate ad Cavam & ad Porum Biliarium. Quæ omnia suo loco relinquimus.

VII. Sed ut paucis meas *de mysteriis Generationis Viviparorum conjecturas* subnectam, existimo 1. In congressu prolifero *seminis masculi partem* qualemcunque, *spirituosiorem, Uterum ingredi*, ingressumque *instar Verniti* subtilissimi *parietes Uteri oblinere*; 2. *An ad testes per Tubas* immediatè quædam particula hujus spirituosæ auræ *abeat*? Ego nullâ ratione comprehendere possum, quandoquidem si vel summè

mè volatilis *Spiritus Vini* humecto tali Utriculo, tam parvâ quantitate, quâ seminis particula ingressa concipitur, injici posset, vix puto vim suam integram per anfractus Tubarum ad Testes est perlaturus : 3. parietibus tamen tenuissimâ illâ seminis aurâ oblitis, *insignis partium Generationi dicatarum in Utero fit immutatio, separatione & exoneratione laticis muliebris solitâ inhibitâ* : 4. *Ab inhibitione* enim *hac mox* sanguinis in Vasis Hypogastricis *stagnatio* succedit ; 5. *A stagnatione* in Hypogastricis *regurgitatio* in vasa ; 6. *A regurgitatione præcipitatio Circulationis sanguinis in Testium*, vel utroque, vel altero, in cujus vasa spermatica scilicet sanguis stagnans magis regurgitavit ; 7. *A præcipitatione Circulationis sanguinis* in Testibus Uberior *affluxus laticis seroſi ad Vesiculas* ; 8. *Ab affluxu hoc* ; *Vesicularum intumescentia, ruptura, & depluvium* per Tubam vicinam.

Ast juxta tritum illud ; *Omne patiens reagit* ; *Quando Uterus ista à semine masculo*, ob inhibitam secretionem & exonerationem laticis sibi familiaris, *in partibus subsidiariis patitur, ipse contra ea*, 9. Suo stagnante in Hypogastricis sanguine, *auræ seminalis linimentum obsidens*, hoc ex aliis atque aliis locis propellit, aut exeutere nititur, suppetias ferente liquore per Tubam descendente ; 10. Quo ipso *Spiritus intra linimentum seminale delitescens tandèm ad angustias redactus unitis viribus suum opus aggreditur, sedem sibi ante omnia figens, exqua* tanquam Officina, uti à Natura, aut à Deo Auctore Naturæ didicit, fabricam corporis animalis affabre faciat ; nimirum *per omnem Uteri cavitatem, quam linimentum illud seminale tanquam velum obduxit, ex hac sua sede* principali *radios dimittens, fibras* ex eadem *in vasorum usum protrudendo, ex vasis totius Corporis texturam* deinceps *molitur*; 11. *Uterus* autem jam amico consensu *opus promovet*, dum *à stagnatione* sanguinis *elatior & spongiosior* successu temporis redditus ; *limpidissimum laticem per istud velum seminale dimittit, eoque spiritum intus agentem blandè fovet, filaque ab ipso producta humectando magis obsequentia præstat* ; 12. *Quin simul rarefactus*, limpidiori parte ad Veli s. tunicæ cavitatem dimissâ, *glutinosis particulis refertus, fibrarum per velum protensarum extrema facile sibi adhærere patitur, eademque virtute Spiritus valentiori propulsa intimius recipit, sibique associat* ; 13. *Inprimis ad locum in quo Spiritus sibi primam fixit sedem* ex quâ proximè Uterum suis radiis dimissis penetrare valuit, *propè recessum Tubæ utplurimum, in sexu humano*, ubi major suppressio, majorque affluxus, ob

arctius prætensum velum ; *hîc ubi interior superficies Uteri in glandulas attollitur , demum in Placentam coalituras.*

VIII. Quæ mea quibus experimentis & rationibus sint superstructa *peculiaris de Viviparorum Generatione tractatus* , si DEUS annuerit, prolixius ediſſeret. Non possum autem quin ex *CL. Harvei Exercit.* 68. p. 296. similia abortiva ova ipsi visa h. l. commemorem ; Postquam ex Aristot muli rum primos conceptus oviformes adstruxerat, quod & è tibicina Hippocrati animadversum ; *Nosque etiam* , inquit, *mulieribus sæpè* secundo mense *decidisse vidimus* , *ad* Ovi columbini *molem*, sine fœtu ; *aliquando etiam ad Phasiani, vel gallinacei ovi magnitudinem; atque hoc tempore* , Embryo *intus longitudine* unguis digiti minimi fluitans *cernitur. Membrana verò conceptum obtegens* , placentam annexam nondum obtinet , *neque Utero affigitur : Sed solummodo parte sui superiore & obtusiore* , *quasi* musco tenui . *aut* lanugine *quâdam vestita* , *accrescentis jam placentæ rudimenta exhibet : Interior autem superficies , lævis & lubrica existens* , *plurimis vasorum umbilicalium propaginibus referta cernitur* , *&c.* H. l. Nihil addo , quilibet cum his illa nostra conferre poterit.

IX. Isto potius ap. Lectorem gratiam me initurum confido , si *ex Anatomis novem Uterorum Ovillorum* , quos autumnus *Anni* 1702. mihi diversâ prægnationis conditione memorabiles obtulit, istam paucis recensuero , quæ laudati *Harvei Exercit.* 68. p. 297. seqq. egregiè illustrabit : Quamvis enim illa felicitas mihi nondum obtigerit , *ut punctum saliens*, quale ille *adhuc palpitans* (p. 298.) Regi videndum exhibuit , contuitus fuisse m , *colliquamentum* tamen , *in quo punctum saliens* , aliquando *fuillus Uterus* mihi luculenter commonstravit ; Quæ tamen *sequentibus diebus* CL. *Harveus in Uteris Damarum* vidit, ut *quod puncto salienti mucago , instar vermiculi , galbæ forma adjacet in duas partes divisa ; ex quarum altera truncus formatur , ex altera caput ; Spina, instar carinæ , paululum inflexa ; Caput ex tribus veſiculis s. globulis parvis , imperfectè compositum* &c. lt. Cujus *in Dissertatione de Uteri membranis & Humoribus* p. 367. meminit , *quod* Amnios *ab initio nucem moschatam , aut fabam majorem , magnitudine vix æquet :* Hæc & mihi visa pleraque sequens historia attestabitur.

Anno 1702. d. 1. *Novembr. præsentibus Auditoribus Uterum Ovillum* nactus *recens prægnantem* inciso Cornu altero monstravi *tunicam extimam* differre . quum non tam variegata , ac adultâ prægnatione, conspiceretur , nisi quod alicubi aliquid mucosi subcærulei adesset : Tenuis-

nuissimæ texturæ erat tam *Chorion* quàm *Allantoides*, ut facili negotio liquor effunderetur : *Amnii* autem tam exigua *cavitas*, ut vix Lupinum majorem cepisset, quapropter non ita facilè in oculos incurrebat. Chorio enim quasi connata videbatur, ægrèque distingui potuisset, si non fœtus intra fuisset conclusus ; Verùm inflato Chorio, ad solem *Amnii* tunica luculenter detecta fuit ; *Cavitas* ejus corpori convoluti embryi respondebat, *pauco intus liquore.*

Embryi, quod amnio adhuc inclusum asservamus, *situs* erat conglobatus ; *Capite* versus Thoracem, *caudâ* versus abdomen inclinatis : *Loco Cranii duæ vesiculæ*, limpido humore repletæ, caput distinguebant : *Rostrum* latiusculum, minimè acutum : Ubi *Nasus*, linea nigra : Ubi *Oculi* duo punctula nigricantia : Collo nudo incumbebat, spatiumque ejus opplebat ; viscus oblongum globosum quasi carneum, *Cor* puto : Neque per tunicas discernere licebat hoc viscus ab alio, quod abdominis locum occupabat, propter viciniam enim continua per tunicas apparebant, *Hepar* autem citra dubium erit : *Intestinorum gyros* visu distinguere non valebam : Neque *Artuum superiorum inferiorumve lineamenta* adverti : *Carina Vertebrarum cum cauda*, qualis in Pullis ab incubatione aliquot dierum, erat manifestissima.

Eant nunc *Patroni simultaneæ Generationis*, & cum *Harveo* contendant ; Cujus *Viri* industriam, successum, & faventem Occasionem in rimandis Mysteriis Generationis omnis mirabitur posteritas.

OBSERVATIO CXCII.

Dn. D. PHILIPPI JACOBI HARTMANNI.

De

Secundinæ Abortivæ Ovo Cotyledoniformi.

MAtrona duorum liberorum parens, mensium suppressionem ultrà trimestre passa, desubitò ingenti sanguinis profluvio corripitur ; quo per adstringentia temperata, TR. coralliorum cum succo citri præp. &c. represso, per intervalla tamen hystericis passionibus & sanguineo fluxui, moderatiori tamen, obnoxia fuit. Ipsa quidem prægnationi constanter contradicere, ego verò monere, ut valetudinem suam curaret diligenter ; Quum d. 21. Octobr. An. 1702. ipsam dolores parturientis invaderent, fœtu quasi exitum urgente.

Dolo-

Doloribus fomento & Clystere mitigatis, pulvere etiam Bezoardico cum anodynis propinato, placidè dormivit, & d. 22. manè surgens cum lotio carneum quid, citra dolorem, excrevit.

Placentam illico judicavi, quod vulgus Molam contendisset. Figura & magnitudo omninò erat Ovi Gallinacei, acuminatâ alterâ extremitate, alterâ obtusâ. Ad contactum durus erat hic globus; idem quum hâc illâc verteretur, in parte minus convexa, secundum longitudinem divulsus deprehendebatur, sed ut rimam lacinia quædam desuper incumbens tegeret.

Hâc lacinia leniter abductâ, cohærebat enim leviter, hiatus manifestus fuit, in quo membranarum fœtum involventium reliquiæ supererant: retractis membranarum laciniis per hiatum cavitatem NM. maximæ capacem vidi; cujus facies intus glabra, nullo vel funiculi vel fœtûs vestigio: laciniæ membranarum expansæ suæ texturæ subtilitatem monstrabant.

Carneum omne hujus lacerati Ovi abortivi Placentæ in globum convolutæ fuit, hiatu laciniâ quædam, itidem carnea, avulsâ obtecto: Ex glandulis meris omnis erat textura, & dissecando secundum longitudinem, transversimque pluribus in locis, compages glandulosa reddita est evidentior.

Glandularum erat discrimen, quum aliæ corporum glandulosorum, in Testibus Muliebribus, instar, carnem consistentia & colore referrent, membranis suis à se invicem distinctæ, communi aliæ in placentam coalescentes? Aliæ verò glandulæ erant sanguinolentæ, itidem discretæ, sed minus compactæ.

Superior Placentæ pars erat asperior, tuberculis pluribus inæqualiter prominentibus: reliquam omnem superficiem externam mucosa pinguedo obleverat; ex eadem lacinia hiatum obtegens concreverat.

Cæterum Placentâ hâc ejecta sanguis Matronæ fluxit liberior, cæteraque quæ Puerperis solent, obvenerunt omnia.

Usus ex secundinis Abortivis Ovo-Cotyledoniformibus.

I. Placentarum generatio ex coagmentatione glandularum.

II. Ple-

II. Pleræque omnes molæ Placentarum vitio, conformatione p. n.

III. Pinguedo quæ ejusmodi Placentas investit, sanguini s. latic muliebri pinguiusculo debetur.

IV. Fluor sanguineus post mensium suppressionem in Matronis suspectus.

V. Fœtus cum funiculo Umbilicali contabuisse credendus, Placentâ, post profluvium sanguinis, ab Utero avulsâ.

VI. Eodem casu Fœtus involucra rupta aquam effudisse censeo

VII. Lacinia hiatum tegens ab extravasato sero pingui; á quo & pinguedo superficiem oblinens.

VIII. Cavitas, si mora accessisset, simili materia oppleta, aut à lacinia obturata fuisset.

(*Missæ per Magnific. Dn. D. Menzelium Berolino Norimbergam d. 14. Mens. Julii.*)

OBSERVATIO CXCIII.

DN. D. HENRICI â SANDEN.

De

Sarcomate cancroso ex cavitate genu pedis sinistri ab externa parte propullulante.

UT Zizaniæ radice ejusque fibrillis penitus non evulsis eandem semper crescere, latiusque sese diffundere cernimus, ita in corpore humano aliquando morbum eò altiores agere radices, eò liberius progerminare, quo difficilius ad illum cum omnibus fibrillulis exstirpandum remedium excogitari potest. Quod suo confirmat exemplo Vir quidam admodum Reverendus, Excellentissimus atque Amplissimus SS. Theologiæ Doctor, Per Reverendi Consistorii Pomeran: Assessor Primarius nec non Archi-Bresbyter in Civitate & districtu Hollandensium longè meritissimus, qui cum Anno 1676. in peregrinationem se daret partemque itineris equo conficeret, accidit ut genu pedis sini-

stri ab externa parte ad aliquod durum, nesciebat quale tunderet. Unde progressu temporis exortum est ibidem tuberculum quoddam magnitudinem avellanæ non excedens, quod absque omni molestia & incommodo per novendecim annos & quod excurrit, circumtulit, donec anno 1695. ex infelici allisione tibiæ in parte acuta spina dicta ejusdem pedis ad mensæ pedem acutum pes autem læsa parte ad tuberculum dictum intumesceret, cum inflammatione rubore atque dolore. Tumore hoc medicamentis externis abacto tuberculum tamen, cui licet imponeretur plumbum cum mercurio, suadente Excellentissimo Dn. D. Hartmann / remansit, perque foramen abcessus parvum sese aperuit, atque steatoma fibrillis carnosis atque vasis pertextum esse apparuit, quod Chirurgi dictæ Civitatis dirigente curam Excellentissimo Dn. D. Christiani jam Consule ibidem, prime corrosivis, deinde sectionibus crebrô repetitis aufferre studuerunt, ast hisce malum auscultare noluit. Quapropter in consilium & auxilium vocatis Viris Excellentissimis, Experientissimis, Dn. Dn. Doct. Doct. Friderico Lepnero, Jac. Philippo Hartmann / Adamo Hartveck & me concluſum est, duriori nodo duriorem cuneum esse quærendum atque secundum Hippocratis aphoris. 6. sect. VIII. nec medicamentis nec ferro sanantibus ignem i. e. ferrum candens applicandum, amputatâ igitur hic Regiomonti excrescentiâ, vulneri recenti cauterium actuale tribus diversis vicibus est impositum, â Domino Viviano Chirurgo Italo non nisi summo cum patientis dolore & adstantium horrore. Quæ operatio magnam initio quidem faciebat spem pristini pedis officii, siquidem vulnus totum inustum spatio quatuor septimanarum cute usque ad partem superiorem genu introrsum obducebatur, quæ consolidationem respuebat. Sed paulo post, cum redux factus, lento pede prorumpere latiusque serpendo genu partem superiorem atque inferiorem occupare incepit, ut ita malum hoc secundum all: aphorismum insanabile fuerit. Hinc omissis ulteriori sectione atque inustione, adhibita fuere varia cauteria potentialia, imprimis Oleum Antimonii, quorum beneficio indies decrescebat eousque ut cutem æquaret. In quo statu per duos menses permanens sacris officii sui actubus vacare videlicet confessionem audire, Concionari, Sacramentumque Cœnæ Dominicæ &c. administrare potuerit. Verum malum recrudescere, pessimique moris fieri incepit, & medicamenta hactenus efficacia repudians ad eam in Fig. I. depictam pervenit deformitatem, donec tandem exhaustis viribus, su-

Per-

perveniente febri hectica, aliisque gravioribus symptomatibus placidè in domino obdormivit Anno 1702. d. 24. Martii. Cum verò & me & Chirurgum Dominum Marquart, qui per annum integrum summa cum dexteritate vulnus obligavit, sæpe sæpiusque rogaret, ut post mortem originem hujus mali cultro Anatomico in proximi simili morbo laboraturi salutem indagaremus, nostrarum partium esse duximus precibus ipsius annuere & sequentia annotare. (1.) Incisa cute Fig. I. D. D. D. observavimus inflammationem quandam tam circa totam genu regionem, quam inprimis internam ejusdem partem, duritiem verò in tendinibus musculorum videlicet recti, vasti interni & externi & crurei, qui patellam amplectuntur, tibiæque extensioni inserviunt. (2.) Separatis his tendinibus & patellâ quadantenus elevatâ margini ejusdem inferiori Fig. XXXIII. A. excrescentiâ radicem B. Fig. XXXIV. fibrillis suis adhærere, simulque sinoviæ unciam unam ex cavitate genu effluere, quæ in vita ex meditullio A. Fig. XXXIII. sæpius promanabat aliquando tam copiosè, ut lintea multiplicata humectaret, interne hinc inde in patella acredinis suæ notas, nullius verò cariei relinquens, excepta illa parte patellæ quæ tibiam respicit, ubi glabra membrana atq; periostium arrosa. Capita femoris & tibiæ quoque præternaturali gaudebant colore. (3.) Sublatis his radix excrescentiæ B. Fig. XXXIV. oculis sese magis obtulit folicuio b. b b b. Fig. XXXIV. inclusa, quæ illo in loco præprimis latebat, ubi plurimum propullularat, fibrillisq; suis copiosis molæ denominatæ parti atque cartilagini Lunatæ H. Fig. XXXV. quæ profunditate sua caput femoris excipit, à DEO firmiter annexa, ut difficulter non nisi cum abscissa cartilaginis lunatæ particula i. Fig. XXXV. exstirpari posset. Hæc radix transversim secta L. L. Fig. XXXVI. internè mirum exhibet fibrillarum nervosarum atque vasorum nutrimentum advehentium cincinnum, quæ n. n. n. n. notantur. Remotis his omnibus manui caput Tibiæ externum palpanti asperitates osseæ occurrebant, ut & in patellæ superficie exteriori, quas denudatæ partes dictæ magis detegebant & Fig. XXXVII. E. f. repræ-

sentat.

Explicatio.

Externam faciem sarcomatis genu pedis sinistri, exhibet.

Figuræ XXXIII.

A. Meditullium ex quo ramuli sarcomatis expansi, cutem externam obtexerant.

B.B.B. pars Sarcomatis elatior.

C.C.C. C. ejusdem depressior pars.

D.D.D. Cutis abscissa femoris atque Tibiæ.

E.E. Labia cutis internæ.

F. Tendines musculorum patellam amplectentium.

Figuræ XXXIV. Internam faciem monstrat.

A. Patella genu.

B. Radix Sarcomatis propullulantis ex cavitate genu quam patella cum capitibus femoris & Tibiæ format, inclusa propriæ tunicæ b b b b.

C. Labium Cutis.

E. Exostasis Fig. XXXVII.

F. Asperitates osseæ Fig. XXXVII.

G. Caput Tibiæ sanum Fig. XXXVII.

L. L. Radix transversim secta cum plexu fibrillarum nervosarum atque vasorum nutrimentum advehentium n. n. n. n. Fig. XXXVI. quorum orificia manifestissima erant, exprimi verò in hac figura non potuerunt.

H. Cartilago Lunata, quæ profunditate sua caput femoris recipit Fig. XXXV.

i. Abscissa eusdem particula Fig. XXXV.

K. K. Portiuncula sarcomatis radicis. f. XXXV.

OBSERVATIO CXCIV.

Dn. D. HENRICI Von SANDEN.

De Ano imperforato.

EOdem tempore atque loco cum curationi Patientis, quem præcedens sistit observatio, præessem, vocabar ad puerulum trium tantum

Fig. XXXIII.



Fig. XXXIIII.




EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

Fig. XXXV.



pag. 364.

Fig. XXXVI.



Fig. XXXVII.



Fig. XXXVIII.
pag. 365.





EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

tum dierum imperforatiani, quem D. Marquart l. a. aperuit, Sed nullo meconio subsequente, altero supremum abiit diem. Subjicientes cultro Anatomico, observavimus mirabilem & tantum non monstrosam vesicæ urinariæ per canalem cum intestino recto connexionem, quam exhibet præsens figura. Recti in B. terminus canalis monstrosus C. ad vesicæ collum tendebat, ita ut immisso aëre in vesicam per membrum virile E, ille in rectum A. per canalem C. transiret & vice versa. Ut itaque nullus excrementis alvinis concessus sit exitus, nisi per istum canalem C, qui tamen ob angustiam eadem excipere perque urethram eliminare non potuit.

Explicatio Fig XXXVIII.

A. Portio Intestini recti.
B. Ejus finis seu Arcus.
C. Canalis monstrosus.
D. Vesica Urinaria.
E. Membrum Virile.

SCHOLIUM.

NAturam circa intestini recti exitum variis modis aberrare, observarunt Autores Clarissimi. Excellentissimus Dn. D. Hartmann / D. II. ann. x p. m. 260. Eph. Germ. Curios. exitum recti ad *umbilicum*, ad quem stylus & flatus deduxerat, procedere. Hildanus C. 1. obs. 75. atque Schenckius l. 4. obs. 6. de intest. rect. p. 383. aliique annotarunt, *fundo vesicæ* l. ejusdem *cervici* atque *urethræ urinariæ* in virili sexu inseri, vid. D. Henr. Vollgnadii obs. XI. D. I. ann. I. E. G. C. p. m. 34 in muliebri vero in *vulvam* implantari, testes oculati sunt supra laudatus D. Hartmann D. II. ann. X. obs. 159. p. m. 249. & D. Zaccharias Fürst D. II. ann. III. obs. 112. p. m. 225, quanquam sine insertione invesicam sed immediate ad vulvam tendens. Denique illud, quod rarissimæ observationis est, mediante quodam *canali* sese in vesicæ *cervicem* terminat, quem præsens insinuavit observatio.

(*Missæ Berolino per Magnif. Dn. D. Menzelium Norimbergam die 14. Mensis Julii. 1703.*)

OBSERVATIO CXCV.

Dn. D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI.

De

Portentosa avenæ in agro Uxoricidæ cruentatione.

ANno 1703. sub finem mensis Julii, Acta quædam Inquisitionalia Homicidium concernentia, Amplissimæ Facultati juridicæ Gissenæ, ex Comitatu Erpacensi transmittebantur, quæ seq. Facti Speciem continebant. Eodem nempe anno, mense junio in horreo Rustici alicujus, retro equorum Stationem, mulier occisa reperiebatur, quam Maritus dubio procul ab equis recalcitrantibus interem tam esse perhibebat. Quoniam verò perpetua huiccum Conjuge demortuâlis interceſſit, ita ut eandem sæpissimè verberibus exceperit: Mulier etiam, dum viveret, Confessionario suo conqueſta est, se certam esse, quòd à Marito suo adhuc occidenda sit: Adhæc alter equorum annosus: alter verò pullus adhuc & ferris equinis nondum munitus fuerunt: Vulnus in fronte exiguum & angustum: Collum ex parte obtortum: Lectus occisæ, ab equorum statione longè distans, sanguine conspurcatus, sub hoc verò malleus Fabri murarii inventus fuit; hinc Maritus in suspicionem Uxoricidii incidebat. Cum verò sufficientia ad torturam indicia desiderarentur, acta unà cùm malleo, Facultati Juridicæ in Acad. nostra Gissena transmittebantur, ut quid porrò agendum esset, decerneret. Paulò post à Magistratu Erpacensi manipulus avenæ stramini adhuc inhærentis ex agro inquisiti simul offerebatur, qui undique maculis quasi sanguineis conspersus videbatur, additâ asseverationc, quòd in solo agro inquisiti frumentum ita se haberet, cæteris agris, undique circumjacentibus, prorsus intemeratis; adeoque simul quæsium fuit, annon & hoc pro indicio quodam sit habendum. Quamvis autem Amplissima Facultas Juridica hoc non sine causâ pro lusu quodam Naturæ habuerit, adeoque portentum hoc eodem cum decantata cadaverum cruentatione loco habendum videatur: nihilominus inficiari nequit, DEI T. O. M. vindictam variis sæpe, iisque prorsus insolitis & portentosis; θαυμασίας clancularia sicariorum stratagemata detegere,

gere, cujus omniscientiæ res omninò committenda, donec dies, diem docuerit & horrenda Satanæ nequitia in apricùm venerit.

SCHOLIUM.

NOn minores Uxoricidarum, quàm Infanticidarum fraudes sunt, quibus ex instinctu Diaboli turpissima & nefanda sua facinora dolosè palliare solent, ut deplorandæ aliquot exempla, in Confiniis nostris observata, attestantur. Fuit enim eô, quô hæc scribo mense, qui uxorem à se probabiliter interemtam in puteum abjecit, postquam ad hujus ostium par sandaliorum deposuerat, ut seipsam in fontem præcipitasse & aqua suffocata videretur: licet, & is nunc Processum Crimilalem sustineat, quum sub Inspectione legali nulla in cadavere aqua reperta fuerit, quod *Pareus* pro certô indicio habet hominem jamdum occisum in aquas præcipitatum fuisse. Fuit alibi, qui uxorem à se occisam, in situ inverso ad limina scalarum deposuit, ut per casum ab alto & summitate præcipitata videretur. Fuit qui tres successivè Conjuges, in puerperio callidissimè interemit, dum subula subtilissimâ sub mammæ sinistrâ in cordis thalamos adacta easdem uno ictu enecavit & superinductis mammis vulnusculum occultando easdem apoplexia aut syncope periisse simulavit: & quis omnes sicariorum strophas, è Scholâ Satanæ derivatas, hic pertexeret? quibus detegendis vix omnes Academiarum Facultates sufficiunt! de quibus pluribus in *Novellis* nostris *Medico-Legalibus*, propediem D. B. edendis quas si Alia, eaque. Celeberrima, Collegii Cæsareo-Leopoldini Nomina observatis suis & Responsis illustrare voluerint, erit, de quô & Publico & Scriptis meis gratulari potero.

(*Gissâ Augustam Vind. d. 14. Sept. An. 1703. missæ.*)

OBSERVATIO CXCVI.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Pediculis post Tertianam.

ADolescens Scorbuticus, tenerioris texturæ, investabatur gravissimè tertiana intermittente cum consuetis symptomatibus. Parentes

entes viso tertio paroxysmo insolito modo furente, me consulebant, ideò cum China Chinæ, Deo secundante, felicissimè intra octiduum pristinæ dabam sanitati. Hoc facto, tantam vidit pediculorum copiam in capite, ut vix per aliquot dies potuerit liberari à myriade horum inimicorum. Tale quid per omnem meam Praxin non observavi. Obiter hoc addo, quod Chinam Chinæ in pauca exhibeo dosi vix ad ℈ß. & duabus tantum aut tribus vicibus per diem. Imo fateor nuper me tria tantum grana dedisse in forma Pilulari, febricitanti cuidam 45. annorum, è Societate Jesu, quem, durante paraxysmo, tanta excrutiabat compressio pectoris, ut ob impeditam respirationem jam jam videretur suffocandus. Aperta mediana & applicato enemate, compressio hæcce desiit, dataque China Chinæ febris abiit. Nam quod potest fieri per pauca, non debet fieri per plura. Majorem Chinæ dosin vidi rejectam in aliquibus: alii dolorem gravativum ventriculi senserunt: ideò minuo dosin, & muto formam medicamenti, modo dans ut pulverem, ut pilulas, ut Electuarium, ut essentiam &c. idque usque huc cum utilitate. Obviam tamen eo aliis Medicamentis, symptomatibus occurrentibus, & corpore à nimia saburra pravorum humorum decenter exonerato, facillimè febris chinæ cedit. Unusquisque curat pro suo modulo, ego ita: Necesse tamen est ut omnia fiant ordine & decenter nec temerè nec timidè.

OBSERVATIO CXCVII.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De Febre ardente à Contagio erucarum.

ANnus 1703. in nostris vineis plerasque arbores infrugiferas monstravit, ob erucarum omnia depascentium catervam. Juvenis vir ut has internecioni daret, indies per tres septimanas, vineas frequentabat, & turbam hancce voracem, partim comprimendo, non manibus sed ligno, conculcando Pedibus, partim igne cremando, extirpare conabatur. Nauseam inde concipiebat, cum horrore febrili, & subsequo calore intolerabili. Ob dolorem capitis & vigilias, venas sibi curabat aperire sublinguales malo non cedente. Consultus porrigebam remedia calorem temperantia malignitatem ebullientem extinguentia, spiritus confortantia. Hæc dum assumit præscripto modo, medicamina-

na, en ? quotidie intercurrit hæmorrhagia narium largissima, cum aliquali symptomatum remissione. Hoc animadvertens, nolebam naturæ motum interturbare, aut huic crisi laudabili remoram injicere, sed datis bezoardicis & Confortantibus omnia committebam Deo & Naturæ ; Sic à quarto usque ad nonum diem nares interpolatè, copiosissimè stillabant sanguinem, cum leni quidem debilitate, evanescentia tamen omnium symptomatum. Vires sensim sensimq; se recolligebant, & pristinus vigor redibat.

OBSERVATIO CXCVIII.

Dn. D. SAMUELIS LEDELII.

De venæsectione in decrepitis proficua.

MUltoties, ut veteranus Practicus, obstupesco, quando non tantum in Neotericorum scriptis lego, sed & à junioribus Practicis, qui ab incude Academica adhuc calent, audire cogor ; nullam venæsectionem esse utilem, sit etiam in quocunque morbo. Regessi autem decies è schola nostra Medica, illud: quod una experientia plus valeat, quam centum, imo mille rationes. Quod sectio venæ sit Universale remedium apud omnes ægrotos, in omnibus morbis, nemo sanæ mentis tam audacter affirmabit: judicio enim hic, ut & ubique in foro medico, opus est accurato. Nolo litem hanc meam facere, sed ad experientiam provocare quæ pro me rem decidet, & venæsectionem tùm huic, tùm illi profuisse confirmabit. Ego hac vice fulciam titulum Observationis hujus exemplis. Vetula Grünbergensis 80. annorum annuatim, tempore maiali medianæ sectionem admittebat, idque continua serie per viginti annos. Ægritudine hoc Anno correpta, me consulebat, dabam remedia affectui accomodata, ullo absque auxilio, & quia anxiè consuetum remedium Venæsectionem desiderabat, & instanter urgebat, licet omni nisu id dissuaderem, adstantes, me inscio, Chirurgum, advocabant. Vena aperta, statim alleviata videbatur, & de hora in horam melius spirabat, intra paucos dies penitus restituta, adhuc benevalet. Alia ejusdem ætatis consueverat annuatim per pedum venas, Saphænas dictas, (die Frauen oder Rosen-Adern hic vocant) sanguinem emittere. Suadebam, ob ætatem senilem, intermissionem, at cardialgia, cephalalgia, aggravatio artuum, tensio venarum omnia,

niaex spuebant remedia, id. ò concessa sectione venarum statim omnia erant sopita, & quæ per aliquot dies jacuerat, jam surgere tentabat. Barbitonsor meus inter discursus de hacce materia, referebat, quod in sua peregrinatione Graudentii in Polonia, sartori centum & quinque annorum, vegeto tamen adhuc, medianam cum levamine, secuerit & ejus Dominum Chirurgum, studio ipsi hoc concessisse, quo gloriari posset, in Germaniam reversus, de hocce singulari & raro facinore. Plura adsunt in residuo exempla, quæ brevitatis studio jam non attingo. Adi sis Observat. 222. Dec. I. Anni 2. Ephemeridum nostrarum Curiosarum.

[*Noribergam Grünbergâ Silesiorum d. 26. Sept. Anno 1703. missæ.*)

OBSERVATIO CXCIX.

Dn. D. MARCI GERBEZII.

De

Liene Citra sanitatis læsionem excisо.

DE genuino lienis usu etiamnum sub judice lis est. Communiter tamen, & probabiliter videtur is esse sanguini à Crassioribus, vulgò tartareis dictis, acidis, & atrabiliariis particulis depurando dicatus. Quæ alias ex quocunque hujus visceris defectu in corpore relicta evaderent plurimarum gravissimarum indispositionum causa: imprimis obstructionum, magnorum lienum, scirrhorum, melancholiæ, scorbuti, arthritidis vagæ, febrium quartanarum &c. Id quod quidem si ita est, libenter videbo, si benignum Numen eò usque mihi vitam prorogarit, quinam se habitura sit triennis puellula elapso mense Julio in nostra hac Labacensi Urbe à propria sua matre Liene fortuitò privata? Infecerat verò paulò post, cum vespertina quieti sese dederat lectum puellula, interdiu cerasis nimium pasta Hinc in iram concitata Mater eam forte obuio cerasi ramusculo in crassiore sui parte alium ramunculũ instar unci retortum sibi adnatum habente non solum acerrimè verberaverat, verum eodem in sinistrum hypochondrium adacto eatenus vulnerarat, ut cum retracto ramusculo extraxerit totum quantum lienem.

Advocaverat propterea in subsidium citra moram Chirurgum Joh. Bapt.

Bapt. Fantan rei gestæ unà mecum etiamnum superstitem testem. Hic primum reponendum censurat esse lienem, & desuper vulnus more solito consolitandum: ast negotium non successit. Hinc mutato consilio potius deligandum, & postquam nonnihil emarcescceret abscindendum esse unà mecum concluserat. Dictum factum. Lien proximè ad radicem filo bombicino ligatus fuit; post quatriduum abscissus, & extremitas ejus unâ cum filo ad interiora retrusa, extremitate fili tamen ad extrà, usque dum sponte abscessisset, propendente. Et tractato more solito vulnere puellula eatenus pristinæ sanitati restituta est, ut etiamnum vegetissima vivat.

Dixi autem me libenter visurum, quînam se cum tempore puellula hæc habitura sit. Suppositio siquidem allegato lienis usu, inevitabile videtur puellulam successu temporis gravissimis morbis fore obnoxiam non obstante, quòd spleneticam mulierem exemplo 32. lib. scirrhoso liene meliori sanitati restituisse legatur *Fiorovantus*: neque obfuisse ejus abscissionem certo lanio, & Rustico testentur *in Ephem. Nat. Cur. Clarkius, & Hannæus*: *Lentilius* autem Sutorem Crailshemensem in pueritia liene orbatum planè in velocissimum cursorem evasisse. *Si lien* siquidem, uti in *Tract. suo de scorbuto Cap. 3.* ait *Mœllenbrocius*, *officii obliviscatur* (magis autem, si planè absit) *partes tartareæ. atque salia sylvestria in sanguine non separantur & excernuntur, sed ceu grave pondus in hypochondriis commorantur, obstructiones augent, & accedentibus postmodum aliis cruditatibus peculiari modo corrumpuntur: unde corrosivam, & aerem cum peculiari quadam malignitate conjunctam, & quasi venenatam acquirunt naturam, atque scorbutum, variosque ex eo oriundos in corpore nostro inducunt affectus.*

OBSERVATIO CC.

Dn. D. MARCI GERBEZII.

De Epilepsia ex Erysipelate perfrigerato.

Erysipelas foris intrò converti, malum: intus verò foras, bonum. Hipp. 6. Aph. 25. primarius Carnioliæ Medicus Erysipelati alias obnoxius, elapso Augusto, aura existente potissimum pluviâ & boreali, occipite dolere inceperat, & cum aliquali rubedine intumescere: quòd dolor tamen non esset adeò intensus; eum neglexerat jugiter circumiens, & suæ curæ commissos visitans: usque dum febris certa quidem, sed

tamen præsertim noctu molesta, & corporis lassitudo eum domi manere coëgisset. Ex hæmorrhoidibus propterea unicas IV. languinis educi curaverat, corpus purgârat Aquâ laxativa Magistrali & pro sudore acceperat aliquoties *pulver. pannon. rub. cum antim. diaphor.* permistum, externè interea iteratò perspersâ parte affectâ *pulvere ad Erysipelas Mynſ.* quibus quidem discussus fuit dolor ille, & tumor; febris verò tamen eadem perstitit. Hinc corpus ulterius perpurgatum, iterata sanguinis imminutio per incisionem basilicæ brachii dextri, & diversa de obstruentia alterantiaque, in specie *Syrup. cichor. Riverii*, in usum ducta: quibus verò omnibus non obstantibus malum eo progressum erat, ut circa 40. morbi diem æger planè in epilepticas convulsiones cum totius corporis per quinque dies continuante tremore incidisset: demum quidem rursus quotidianâ assumptione *spec. diacinnab. Mynſ* ℈j & *sal. volat. succin. gr. ij* vesicatoriis brachiis, femoribusque admotis, & capiti raso applicatis jam pipionibus rec. mactatis, jam *ung. alabastrino* chartæ emporeticæ illito, liberatus, cum singulari tamen nobis relictâ admonitione, ut etiam leviora non spernamus.

Sero siquidem Medicina paratur,
dum mala per longas invaluere moras.

Si aliâs in tempore præmisso saltem clystere ægro sanguis fuisset missus, & tumor fortioribus, volatilioribusve (quia Oedematodes erat) diaphoreticis discussus: malum meo judicio nunquam eò periculi deveniſſet.

(*Labaco Augustam Vind. d. 30. Novembr. A. 1703. missæ.*)

OBSERVATIO CCI.

Dn. D. GEORGII SIGISMUNDI POGATSCHNIGK.

De Lapidibus Conchylii figurâ signatis.

LApides imagine Conchylii, Italicè *Capessanta* dicti Signatos in Vinea meæ Vineæ vicina & Ecclesiæ S. Jacobo Majori dicta in Parochia Riezensi Labacensis Diœceseos, locô sex Labacô milliariis dissitô,

tò, jam ab aliquo tempore hujus prodigii conscius, nuper oculatus testis inveni. In his, non satiatus externa Icone, quæsivi disruptis lapidibus per internam quoque eorum substantiam simulacra. Et ecce lapis unius libræ ponderis in duo fragmenta per medium divulsus communi utriusque sectione concham una convexam, altera parte concavam ista exhibuit, ut plicæ conicæ è semiperipheria basis in unum angulum tendentes aoncavos ejusdem figuræ conos in altera disrupti lapidis parte incisos, exacta & omnigena possessione occupassent, nec ullam communis sectionis lineam in superficie notabilem reliquissent. Tametsi verò ejusmodi naturæ artificia per internam obviorum lapidum glebarumque compagem ulterius quærere institissem, tam perfectam tamen conchæ figuram nullibi invenire licuit, præterquam in alia gleba exiles admodum conulos, eosque transversim abruptos referente. Cæterum verò lapides, qui in superfice vel convexa, eaque majora; minoravè gesserunt conchylii insignia, ad libitum licebat aufferre, tantumque jam ex ista Vinea collectum fuisse numerum una cum Syndicis Ecclesiæ, ad quam hæc Vinea pertinet, Patruelis quoque meus asseruit, ut dimidium Turris, quæ tunc ad Domini sui, id est, S. Jacobi templum è muris surrexerat, à similibus signatis hac ex Vinea erutis ædificata ascendisset. Hærebam attonitus raritate spectaculi, quam Rusticorum unus, qui lapidem hîc casu repetum dono porrexerat adauxit. Hic magnitudine vix fabam adæquarat, rudis & formâ totius inæqualis, in superficie tamen tam tenerô conchæ sigillô superbiebat, ut subtilissimô scalpellô id delicatius incidi posse non videretur.

Pii loci illius incolæ more innocentis plebeculæ hoc præcipiti responso ad Sacras causas referebant, & naturæ artificii ignari hunc præcæteris à S. Jacobo electum & sigillô Conchylii, quod in terris quondam peregrinus continuata pariter in hunc diem imitatione gestavit in pectore, peculium veluti signatum voluisse narrabant. Ast ordinarius hic simplicitatis error est, ad quosvis insolitæ rei effectus superstitiose Deos in Scenam advocare, dum similia miracula, quamvis à causis adhuc nobis haud benè perspectis indies in natura fieri occurrit. Sic Enchrinos lapis à se invicem divulsus quinis utraque parte foliis impressam lilii effigiem ostendit quondam Jonstono *Thaumatographiæ Class. 4 C. 18.* Sic Romanum Pontificem triplici Corona redimitum, & vastâ barbâ venerabilem in Pyrite delineatum scribit Agricola *lib. 10. de Fossilibus.* In Achate perfectum crucifixum me vi-

disse memini, inquit P. Athanasius Kircherus *in arte magna luc. & Umb. lib. 10. part. 1.* In silicibus verò ex Tolfensi lapidicina extractis integrum alphabetum litteris vario Venarum ductu formatis idem se vidisse testatur. In Marmore nihil ferè est, quod natura non pingat, Urbes, Montes, sylvas, flumina, animalia, conflictus, incendia, omnisque generis fortunas. Quæ miranda naturæ opera longè altius suspiciuntur iis, quæ à petrificante principio indies incrustati cernimus, dicimusque proprio nomine Glossopetras. Hæc siquidem corpora petrifici cujusdam è terræ spiraculis afflantis Spiritus halitu (nisi Virtute Archæali contraria eidem generosè, resistant,) primùm rigida facta, mox sine ullius dissolutionis, aut præviæ in materiam (ut vocant,) primam conversionis interventu reservatâ figurâ, & priori decore tota per totum insaxantur: Ast illa non destructo Essentiæ affectionum, congenitæque formæ apparatu certas tantum rerum Icones, velut occultas publicorum operum graphides in secreto Archivo à natura servatas ostendunt. Formales similium causas scrutari arduum est atque difficile, verosimilius tamen est, eas fortuitis materiæ in generatione rerum secundùm inditam sibi seminis normam progredientis à quocunque tandem obvio corpore modificantis recessibus adnumerare. Nam quemadmodum infinitæ propemodum sunt modificationes motuum, ita diversissimos ex illarum compositione subjectæ materiæ ductus evenire necessum est, inter quos tandem talis quandoque (quamvis rarò,) intercedit Harmonia, ut imaginem objecti cujusdam extra se reverà existentis repræsentent. Licet non rarò ejusmodi simulacra ab admixtis alterius naturæ succis,) dum iidem idæali motui velut inobedientes à generativo principio è subjectæ materiæ centro foras arcentus) vario accessu, varioque recessu inter se collatis suum ortum desumunt. Quod quò sæpiùs in uno præ cæteris loco accidat, ita causa similium corporum generativa obvii jam obicis paulatim assueta comitantibus succis primum indulget, postmodum verò majori propensione sibi adscitos formatâ anâ communi utriusque seminis idæâ in præfixam formandi corporis figuram secum adducit, unumque potius præ altero locum speciosis hisce productis fortunat.

Interim omnipotentem digitum Dei suspicientes cum Eccles. VIII. 17. asserimus: *Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole, & quantò plus laboraverit*

ad

ad quærendum, tantò minùs inveniat, etiamsi dixerit sapiens (sive Philosophus,) se nosse, non poterit tamen reperire.

(Labaco Augustam Vind. d. 4. Decembris Anno 1703. missa.)

OBSERVATIO CCII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Brachii dolore ex imaginatione.

CUriosam observationem circa imaginationis effectum refert *Clariss. D. P. Malebranche lib. 2. de inquir. verit. cap. 7.* de Ancilla quadam, quæ candelam admovebat dum ægro cuidam vena pedis incidebatur, & simulac illa scalpellum vidit infixum, tantus pavor ipsius invasit artus, ut per triduum, aut quatriduum, in eodem pedis loco, quem viderat incidi, senserit dolorem adeò acerbum, ut per illud tempus in lecto decumbere coacta fuerit; hujusque causam refert in spiritus in illas partes corporis sese violenter diffundentes; Similem casum in Adolescente quodam nostro Ferrarienſi hoc Anno notavi; Hic attentè cum conspexisset, Chirurgum phlebotomantem Brachio dextro Sacerdotem pleuritide correptum, post duas horas incidit in dolorem brachii dextri valdè molestum, & præsertim in loco, ubi vena brachii cephalica in Sacerdote prædicto secta fuerat; qui dolor spatio duorum dierum perseveravit, donec suborta ephemera evanuit; febris verò sudore terminavit feliciter.

OBSERVATIO CCIII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Variis in Anatome repertis.

NOnnulla collegit, quæ rarò in Anatome reperiuntur *Realdo Columbus Cremonen. de re Anat. lib. 15.* lectu dignissima, ac maximæ utilitatis; Pariter ego nonnulla inpræsentiarum notare volo, observata, in cadaveribus & hominum, & brutorum, cultro anatomico subjectis: Primò igitur in Cane venatico non duos renes, sed unum tantum offendi in dextra abdominis parte, molis tamen majoris ac

sunt

sunt renes ordinarii aliorum Canum. Secundò, Lapillos plures rubri coloris in jecore cujusdam pauperis febri maligna correpti ac extincti; Tertio, Vermem sat crassum, & longum in vesica alicujus Sacerdotis Romandioli; Quarto, Puellum imperforatum, id est, sinè aniforamine, tertia ab ortu die mortuum; Quinto, Duas linguas in Cane; Sexto, Tumorem in Corde cujusdam vetulæ annorum 63. Septimo, Duplicem vesicam in sue; quæ tamen vesicæ, una sub alia jacebant atque in unum tantum collum terminabant; Octavo, Testes non in scroto sed in abdomine absconditas, in tribus subjectis; Imo in Adolescenti Pleuritide mortuo tres testes inveni; Nono, In Thoracis cavitate magnam aquæ citrinæ quantitatem in cadavere fabri lignarii Ferrarien.S. febri continua & cardialgia denati Anno 1700. mense Novembris; Decimo, Tandem Pulmones in pluribus pleuræ partibus connexos, nunc in uno tantum latere, nunc in ambobus, in variis corporibus humanis animadverti meisque ostendi Auditoribus.

ORSERVATIO CCIV.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Chirurgia infusoria in Canibus.

MUlta experimenta circà infusoriam Chirurgiam se feciſſe refert *Clariſſ. Georgius Baglivus Prof. Roman.* mihi Amiciſſimus; ego hic nonnulla notabo circà idem opus à me ope infusoriæ, obſervata.

I. Catulo ligato ad tabulam, venam aperui jugularem ſiniſtram, & exiguam aquæ fortis quantitatem injeci, & vix terminato opere, adhuc ligatus catulus mortuus eſt; aperto cadavere ſanguinem in jugulari omninò coagulatum reperi; Viſcera verò ſana erant.

II. Per ſyringam injeci pariter in jugularem alterius Canis majoris ad tabulam, ut ſuprà benè ligati, uncias tres aquæ communis, poſtmodum ligato vulnere tremore correptum fuit Animal, duarum horarum ſpatio perdurante; Ceterum benè ſe habebat, & nunc ſanus vivit:

III. Cani fœminæ gravidæ cruralem dextram ſecui, atque injeci ſpiritum vini ad pondus unciæ unius boni ponderis; clauſo vulnere, paſſa eſt canis horrores univerſales, & abortum die ſequenti, attamen ſana evaſit.

IV. In

IV. In meo prædio, Asello alioquin sano, aperui cruralem sinistram & ope syringæ Aq. Cinamomi unciam injeci, Clauso exindè, & fasciato vulnere, per diem integrum non comedit, neque bibit; postea, commedere incepit, & nunc sanus vivit, solummodò color pilorum mutatur indies; Quin eodem die caprum ligavi alioquin sanum, eique cruralem pariter lævam aperui, atque injeci mediante infusoria, ℈j. boni ponderis Spiritus salis dulcis, statimque vulnus claudi curavi; Notavique, Caprum in gyrum rapi multo temporis spatio; indè humi stratus per diem integrum mansit absque cibo & potu, & urinam copiosè emisit; alia vero subsequente die comedere incepit, nunc sanus vivit, è domestico verò, qui antea fuerat, evasit sylvester, ita ut nunc non solum ab hominibus sed ab animalibus etiam fugiat.

OBSERVATIO CCV.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Scabie crescente Luna aucta.

CAlculi dolores luna crescente auctos notavit *Dn. D. Vitus Riedlinus* in suo Itinere Medico pag. 34. qui locus à me lectus in memoriam revocavit id, quod observavi Anno 1699. in quodam Milite scabie laborante per 17. Menses; quæ scabies crescente Luna ità crescebat, ut præternaturam intumescentes Manus, genua, & pedes, motum progressivum impedirent, adeò ut spatio trium, vel quatuor dierum in lecto decumbere miles cogeretur, quovis mense primo scilicet novæ Lunæ tempore; Pariter mihi narravit Vir fide dignus, se vidisse Clericum Regularem, qui in principio cujusvis Lunæ, sævo dentium dolore afficiebatur, spatio duorum dierum perdurante; dentes autem bonæ erant qualitatis.

OBSERVATIO CCVI.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Urina Frigida in Febre Maligna.

URinam frigidam emissam à Muliere febricitante observavit Excellentissimus Bernhardinus Tombinus, quemadmodum legi-

tur in Actis Philexoticorum Brixiæ num. 30. ego autem Anno 1703. testor, Militem quendam febri maligna correptum me vidisse, quæ eum ad deliria & convulsiones usque deduxit, is verò quod admirabile fuit, urinam frigidam emittebat, quô viso, subsequturæ mortis indicium pronuntiare non dubitavi; quod etiam evenit; nam die morbi septima æger extremo cessit Fato.

OBSERVATIO CCVII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De Diabete solo aquæ ferratæ usu curato.

PAuperculus quidam, ætatis annorum 41. temperiei biliosæ, urinæ detinebatur profluvio; ita ut uno tantum die triginta libras urinæ redderet; hinc sitis intolerabilis orta est, ità ut quavis nocte plusquam libras novem aquæ communis ebiberet; Ego in consilium vocatus, aquam ferratam potandam, pro remedio propono; alia n. pharmacevtica remedia potentiora paupertas Ægroti non permittebat; & hoc solo auxilio brevi convaluit; nuncque sanus vivit; Pariter recordor Anno 1701. Mense Julii ope aquæ ferratæ Religiosum quendam me curasse ab immani Dysenteria; ac mulierculam, Anno 1702. nimio mensium fluxu laborantem hoc eodem præsidio sanatam me vidisse memini, hanc aquam ferratam in Curatione Diabetis laudat Lazar. Riverius in Prax. Med.

OBSERVATIO CCVIII.

Dn. D. JOSEPHI LANZONI.

De
Febri tertiana simplici, cum surditate symptomatica.

ADolescens nobilis tertiana febri corripitur hoc Anno 1704. Mense Junii; & cum incipit rigor ac vomitus, surditas pariter aggreditur, crescente febri augetur ità, ut in paroxysmi febrilis augmento nec campanarum sonitum, nec tympanorum strepitum, neque tubarum clangores audiat; Ast declinante febre, paulatim cessat surditas, & sensim auditum recuperat; cessante autem omninò tertiana, omninò pariter surditas evanescit.

(*Ferrariâ Augustam Vind. d. 21. Junii Anno 1704. missæ*)

OB-

OBSERVATIO CCIX.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

De Insigni Tumore feliciter curato.

PUer Rusticus undecim annorum, Georgius Helm dictus, Filius Prætoris pagani Gammelsbacensis, ditionis Sereniſſimorum Comitum ab Erbach, tertio ſuæ Ætatis Anno tumore aliquo duriuſculo in regione colli, in latere ſiniſtro, inter muſculum ſplenium & ſcapulæ levatorem ſiniſtros, ſine præcedanea vi externa, jactu, contuſione, plagis, lapſu, contorſione &c. corripitur, ſed à parentibus ſpe futuræ evaneſcentiæ parum æſtimatur, aſt cum tractu temporis obſervaſſent, tumorem hunc vix nucem avellanam æquantem, non ſolum Luna creſcente augeri, ſed & indies permagnum ſumere incrementum, de filii ſalute anxii, hinc inde (licet fruſtra) quæſivere conſilium atque auxilium, aſt perſuaſionibus Empiricorum, & pſeudo-chirurgorum per multos annos lactati, quidam enim per diſcutientia, alter per emolientia & maturantia, tertius per cauſtica cum interveniente hæmorrhagia adeo enormi, ut deſiſtere neceſſe haberet, ſe viros præſtare conabantur. Aſt parentes quid jam faciendum in ancipiti hærentes, dum non ſolum hactenus ab adhibitis nullum levamen, è contrario horrendum tumoris incrementum indies cum aliis circumſtantiis toti machinæ interitum minantibus, animis tremuli obſervarent, DEI credo providentia, & interventu Sereniſſimæ cujusdam Perſonæ Principis & conſilio factum, ut hoc omni commiſeratione digniſſimum, ſceleto in plurimis ſimilimum corpus exſuccum, & portentoſo tumore deformatum ſubjectum curæ concrederetur viri ſicut in omnibus aliis ad probum chirurgum pertinentibus requiſitis, ſic inprimis in parte chirurgiæ ἀφαιρέσεως probe inſtructi & ſolertiſſimi viri, Domini Johannis Michaelis Sutorii, Chirurgi Norimbergenſis, Augusr. Imperatoris, ac Sereniſſ. Electoris Palatini Chir. Aulici, qui ſumma cura ac diligentia eô feliciter proceſſit, ut ſpatio 6. hebdomadum horrendum illum tumorem, cum non levi adſtantium admiratione exſtirparet, patiensque plane convaleſceret. Egò licet nondum trium luſtrorum tempus in facienda praxi medica conſumſerim, tamen ſine vana jactantia verificare auſim, me plurimis non ubivis obviis operationi-

bus chirurgicis, tum in castris Gallorum, tum Nosodochiis Palatinatus inferioris olim ut Physicum Electoralem Alzeyens.m interfuisse, hinc mirabar prælaudatum Sutorium periculosam & laboriosam hancce spartam in se suscepisse, præprimis solis corrosivis peragendam, magis vero quod belluam hanc spatio sex hebdomadum, sine incisionibus, inflammatione, doloribus enormibus, hæmorrhagia, animi deliquiis &c. domatam & plenarie eradicatam viderim. Considerandam autem propono 1. Tumoris quantitatem & magnitudinem, quæ pondus septem librarum civilium s. ℥CXII. superabat, non æstimatis multis diversæ magnitudinis particulis, in applicatione corrosivorum obstaculo inventis, nec ponderata substantia quæ indies in forma saniei moli tumoris decedebat. Incipiebat in ea occipitis regione, ubi futura sagittalis & lambdoidea coëunt, supra unam aurem ad alteram in linea semicirculari ferebatur, postmodum illius mole non solum cervicis partes, sed & tota ferme sinistra, cum dimidia dextra scapula tegebantur, quasi à duabus diversæ magnitudinis cucurbitis superius & in medio coalitis. Cute quoad peripheriam corrosivis jam dilacerata, (quæ antea tumori certos limites præscripserat,) nunc tumor in ea amplius contineri nescius, longe limites excurrendo & hinc inde horridas protuberantias formando, sese spectandum dabat, pericranium & dorsi integumentum commune, tum quoad partes superiores, tum inferiores, & laterales, erant concava, adeo, ut tractu temporis & affluxu majoris nutrimenti tumor in vastissimum montem microcosmicum excrescere potuisset. 2. Tumoris qualitatem, qui attactu quidem durus & indolens, sed quoad tum exteriorem tum interiorem substantiam multis hinc inde diffusis sanguiferis vasis diversæ magnitudinis intertextus, adeo ut haud absurdus fuisset, qui hæmorrhagiam letalem, præsertim in hocce subjecto emaciato & semianimi metuisset. 3. Locum huic operationi incongruum, cum vel levioribus in casibus ibidem tractandis sæpe nec summa dexteritas chirurgi ferme sufficiat; Quis nescit, vasorum tum venesorum, tum arteriosorum, cervicalium, vertebralium, & carotidum multivarios plexus, musculosque tum capitis sustentationi, tum ejusdem vario motui voluntario inservientes ibidem sitos esse, taceo exordium spinalis medullæ, & tot excurrentes nervos, cum tamen ut funditus tolleretur suprascripta moles, necessum fuerit, ut quidam musculi ipsi corroderentur ex profunditate, ut quatuor colli vertebræ, nempe secunda, tertia, quarta & quinta,

pro-

Fig. XXXIX. pag. 381.





processibus suis acutis tum temporis denudatis & cervicis partibus hoc modo enormiter sauciatis, tristi se offerrent spectaculo. 4. Tumoris profunditatem millenasque divaricationes & plexus innumerabilium fibrarum, quæ non solum decussatim sinistrorsum, dextrorsum &c. Sed inexplicabili & confuso tractu musculorum colli & tumoris substantiæ non saltem superficialiter aderant, sed & quibusdam in locis (præsertim ubi tertio ætatis anno fundamentum tumoris jactum fuerat) inter musculos tantos formarant cuniculos, ut quosdam processus vertebrarum colli transversales funiculi hi fibrosi non solum attingerent, sed & illis variis circumvolutionum modis firmissime adhærerent. Ipsum tumorem aciei cultri anatomici subjectum invenimus fuisse Steatoma adiposum, vaccinæ mammæ persimile, attactu durum, albicans, ex innumeris, sparsis hinc inde & confusis capillis & chordis quasi præditum, tanta duritie ut ferme aciem forficis Chirurgi sat acuti eluderent; inveniebantur porro in hujus tumoris quasi visceribus innumeræ, diversæ texturæ & tenacitatis cuticulæ, quæ involucra erant diversæ magnitudinis tuberculorum, & particulas partim ut glandulas conglomeratas, partim ut conglobatas continebant; quorum quidam ferme tophorum podagricorum, alii cartilagineam, nonnulli plane osseam substantiam ostendebant; & licet bene memor, succos evasatos diuturna stagnatione, avolantibus particulis spirituosioribus, & cessante particularum motu tum intestino tum progressivo, crassioribusque relictis, accedente pressione externa, pro reddenda tumoris materia compactiore &c. hanc vel illam faciem induere posse, genesin tamen ejusmodi ossium, & quid talis tumoris materia (licet diuturna stagnatione varie alterata) cum substantia ossea commune haberet, primo non satis capere potueram, donec examine accuratiore, tum separationibus multivariis, lotionibus &c. non errasse me cognoscerem, & quasdam particulas osseas non exiguas, digiti utplurimum latitudine, superius & inferius lamella ossea sat firma cultri dorsum æquante dotatas, intus verò porosas conspicerem.

(*Michelstadio Augustam Vind. d. 26. Septembris Anno 1704. missæ.*)

FIG. XXXIX.

OBSERVATIO CCX.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

De Granis Uvarum ac pomorum per umbilicum, p. n. pervium expressis.

PHysicus dum essem palatinus Alzeyensis, vocabar ad personam pagi vicini (Erbesbidesheim dicti) omni commiseratione dignissimam ac ultra annum graviter decumbentem triste certe spectaculo, vix enim cutis ossibus hærebat, umbilicus ècontra tumidus in medio foraminulo pervius adeò exiguo, ut difficulter apicem styli admittere videretur ; ex relatione parentum intelligebam, levi umbilici circumpressione præcedaneâ tum potulentorum tum esculentorum magis vel minus immutatorum imò sæpius cruore, pure &c. mixtorum, exire portiunculas, feci periculum reipsa talia videndi cupidus, mater ad tolerantiam ægræ circumpremebat, è regione siniſtra sursum umbilicum versus, ex cujus foraminulo quid aquosi sanie remixti & 5. grana uvarum ante bihorium deglutitarum & paulo post granum unum seminis pomi heri commesti me adhuc præsente prosilire, sed qua via nisi læsis vel intestinis vel ventriculo concipere poteram & mihi aliqualem læsionem præsumere volenti temporis obstabat diuturnitas &c. mali indies vires sumentis, nulla dolorum præsentia &c. Mater mihi intimius inquirenti referebat, id mali à philtro in nuptiis vicini ante annum propinato, reportasse, fuisse enim patientem tum temporis valdè formosam, vegetam, à juvene rustico illam amore ardente chorearum saltationibus ad uberrimum sudorem defatigatam fuisse, hic verò flectere cum nequisset, haustum succi pomorum fermentati propinasse (quod parentes philtrum nominabant) hinc illæ lachrymæ, defatigatæ aridas quidem irrigasse fauces, ast in melle fel hausisse, (at qui ni suffecissent æstuante corpore potus gelidè haustus fermentescebilis ac aliæ circumstantiæ) aliquot dies post defunctæ secui cadaver, umbilicum verè pervium aquosa ac sanioſa materia distentum, in intestino duodeno duo inveni ulcuscula sanie circumfusa (vel si mavis, effluxo ac corrupto chylo) omentum planè corruptum, reliqua flaccida, presso superiori loco intestino, hæcce materia effluebat cum fœtore ac leni pressione ad umbili-

bilicum factâ, huic emulſioni microcoſmicæ porta dabatur in detrimentum totius Oeconomiæ animalis.

OBSERVATIO CCXI.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

De

Ceraſorum lapillis alvi pertinaciſſimè obſtructæ & mox ſubſecutæ mortis cauſâ.

PRo dando conſilio, ac auxilio requirebar menſe Julio 1704. à fabri cujusdam ferrarii uxore, ex cujus relatione hauriebam, ipſius virum tantum & plus quantum duo pilei capere potuiſſent ceraſorum devoraſſe nigrorum dulcium una cum lapillis fermenteſcibilium, ſuper bibita lymphâ fontanâ, venter ingentem in modum intumuit cum pertinaciſſima alvi obſtructione, externe ſuaſi balnea, unguenta, fomentationes &c.: abdomen quidem aliquantiſper ſubſidebat, injecit Chirurgus clyſterem moniato, Vino Emetico Angel. Salæ acuatum quod aliàs, aliis ſtimulantibus Sale gemmæ Nitr. Antim. Sal prunellæ &c. irritis, reperi efficaciſſimum, aliàs ſine torminibus ſed cum euphoria blande alvum ſubducens, hic vero pura impoſſibilitas, inteſtinum rectum lapillis ſibi invicem incuneatis diſſectum erat, ut patiens brevi vitam cum morte commutaret, poſt obitum ejus multi lapilli qui antea inſtrumento erui renuebant, jam ſponte proſilierunt. Huc quadrat, quod nuper in vicino pago momert dicto in viro quodam carbonario obſervavi; qui vino inebriatus & cum uxore rixatus in ſylva exſtructa ſibi caſa dormituriens humi ac ſolo procubuit, mane mortuus, juſſu Sereniſſimi altero mane equo cum 2. Chirurgis advectus viſitationem inſtitui, ac denudato cadavere vidi excrementa ſucceſſive & cum fragore ac multis reſonantibus borborygmis non ſine adſtantium riſu excerni, quod interiori fermentationi adſcribere non dubitaram.

OBSER-

OBSERVATIO CCXII.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

Defectum uvulæ ab ortu vicinæ resarciunt partes sine ullo incommodo.

ANte annum vocabar ad personam Principem, quæ deglutiendi difficultate, raucedine & quadam re lingvæ incumbente &c. conquerebatur, isthmum faucium inspexi, nec vestigium, multo minus ipsam columellam inveni, inspectionem repetii, eloqui an silere deberem nescius, ast Sereniſſima Princeps pro more clementiſſimo gratiis præiit dubia aloqui volentem, assirmabat à primo ortu defectũ uvulæ ast sine incommodo eam habuisse, iterum inspexi, en! peculiarem naturæ providentiam, vicinæ partes, præprimis expansum illud pendulum laquear solitò tumidiores ac densiores pro foramine colli acutiori formando, hinc sat acutiori loquitur voce, acutiſſimè cantat, articulate verba promitur, ast ab inclementiore aëris externi injuria pulmones facilimè lædunt, hinc tempore pluvioso frigidohumido catarrhis ac tussi facile obnoxia. usu Olei scorpion. Matth. adgutt. XV. in lacte calido sumpti corrigibilibus; ut hinc uvulæ inter primarios usus & ille eluceſcat, obicem nempe ponere aëri frigidius hausto, ne summâ frigiditate suâ actuali pulmonibus bronchiis illabendo vesiculari huic parenchimati; noceat, sed prius concavo oris undisque evaporabili circumdatus altereur & uvula quasi discerptus, naturæ amicior reddatur.

OBSERVATIO CCXIII.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

De Colica spasmodica, convulsione manuum ac pedum tonica, terrore incendii subito curata.

EX colica spasmodica Vir quidam robustus ἔνσαρκος Matth. Haumüller, Consiliarius Electoralis Palatinus, diuturna & maxima patientia conflictabatur, & licet omni adhibita diligentia, malum indies accrescere videbatur, tandemque manus ac pedes ambo tensivo tumore adeo rigidi erant, ut ne digitum sine maximis cruciatibus ac

ac clamoribus movere posset, & quo volebat à robustis quibusdam circumportari opus haberet ; Sic per XV. hebdomata noctesque diesque duxit insomnes, qui fit? tandem defatigatus circa tempus somni in sella majore ad somnum se composuit, servo autem scribæ directionem Vulcani in fornace pro æquali hypocausti temperamento servando commisit, hic ut dulcissimo somno litare posset, simul ac semel magnam ligni quantitatem Vulcano pabulum fornaci ingerit, mox subsecuti incendii caussa ; hæcce videns ac audiens Dn. Patiens adhuc vigilans, qui aliâs ne digitum nisi maximis cum tormentis movere poterat, lecto exsiliit ac veloci pede pro extinguendo Vulcano sæviente accurrit, servum expergefaciendo inclamitat ; ô mi amicissime, meam salves litteraturam, ac vade quô poteris (ob admodiationem universi palatinatus tum temporis sub Gallorum ditione siti pro 4. centenis millibus solutæ pecuniæ schedulas Quittung dictas asservaverat) ast demulcebatur furor Vulcani brevi temporis intervallo ; æger ad se cum rediisset melius habuit omni ex parte, præter aliqualem hinc inde oberrantem dolorem, tolerabilem tamen, ibat quô volebat sine incommodo ; post sæpe jocando mihi dixit pro facienda compendiosa cura in arthritide pertinacissima ; sine adhibitis tum internis, tum externis, ædes saltim accende, peribo, nisi patiens ut lepus currere discat:

Ejusdem fermè farinæ exemplum casus esto sequens : Ante 2. annos Clementissimus meus Dn G. A. C. d'E. naturali quadam antipathias idiosynacrasia murium perferre præsentiam haud potens, podagra ac chiragra unius manus, ad cubitum usque afficiebatur cum summa inflammatione, ut nec membrum sine tormentis maximis movere posset, cui tempore somni vigilanti ac gementi Mus accurrit ac lectum insiliit, patiens Illustris pro averruncando hoc hospite inopinato summa vi sui ac dolorum nescius, murem fugando, manum affectum adeò vehementer allidit asseri ut eo momento sibi cœlum cum globo ter aqueo ad scapulas ruere videretur, ast remisit inflammatio, remisit dolor, & hæc manus hactenus tantos non amplius experta cruciatus.

OBSERVATIO CCXIV.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

De

Simia atrophia ex tumoribus steatomatosis mesenterii demortua.

NOstra simia aulica Nickel dicta, tumido abdomine pectoris vero ac extremorum atrophia per longum tempus laborabat, quærebat ex me quidam comes, quo morbo ejusmodi animalia & hic præsens laborent, hariolabar l. phthisi, l. hydrope ascite, l. glandulis mesenterii obstructis (quibus hoc animalium genus obnoxium ratione minutissimarum mesenterii glandularum ac tubulorum, vesicula verò biliariæ hominis adinstar magna) laborare, quâ demortua pro exstruendo sceleto mihi in museum una hebdomate duæ apportabantur simiæ, inter quas primæ mesenterium ac subjacentia viscera ultra ducentis fœda erant tuberculis diversæ magnitudinis steatomatosis (quædam pisarum, fabarum ac castanearum semicoctarum disjunctim ac conjunctim fragmentum marmoris repræsentabant,) ac si ibi ollam fabis hæmicoctis plenam in unum exoneraſſes cumulum, omnes glandulæ sebaceæ; impossibilis erat chyli protrusio ac pro partibus nutriendis ulterior dittributio:

Vesicula biliaris sicut grandissima sic balsamo illo vitali ad ruptionem plena;

Circa juncturam humeri & caput ossis bracchii tanta erat ossium caries, ut superius ossis capitulum in pulverem friabilem digitis teri potuisset.

OBSERVATIO CCXV.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

De Excandescentia hæmorrhagiæ Uteri fermè incurabilis causa, tandem sanguine excreto propinato curata.

ANNO 1697. die 8. Maji vocabar ad personam sexus sequioris Schälin, quæ ob excandescentiam nimiam uteri hæmorrhagiam patiebatur, per 3. dies ad lipothymias durantem. Ven. Sect. ligaturis ac aliis ischæmis frustra adhibitis, ex tormentilla, lap. hæmatit: Usnea, opio coralliis, sic dictis refrigerantibus nitrosis, aquis item de stillatis

latis &c. ut aceto, aq. spermat ranar. Cord. Herc. Saxon. Mixt. sylvii adstr. &c. profuit tandem ejusdem sanguinis portiuncula à me ex siccata & propinata : ast diversum effectum, nempe sanguinem primò menstruatæ felicissime menses movere non semel hic loci reperi, lintea eò maculata cerevisiæ intincta. Et propinatus sic ante mensium eruptionem sequenti mane florem monstrat.

OBSERVATIO CCXVI.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

De Viscerum dislocatione.

IN Morsheim Præceptoris pagani uxore Schmeltzerin dicta, systolen ac dyastolen exhibuit non loco naturali pectoris ; Sed sub osse sterni in fovea illa cartilaginis ensiformis ; certe dislocationem viscceris reputasses, nam ipsis meis vidi oculis haud semel pulsationem ; pariter cordis ac arteriæ credibiliter magnæ, sub sterno pulsationem ; pariter affirmabat & esculenta & potulenta sensibiliter & natura frigidiora descendere, ast non eum in locum ubi aliàs situs sit ventriculus, sed in partem sinistram sub splenis regione.

OBSERVATIO CCXVII.

Dn. D. ANDREÆ MIRRHEN.

De Simia menstruat.

HIc locorum Fürstenaviæ simiam vidi sexus sequioris Credel (Krethel) dicta, sicut forma externa structura machinæ, sic interna rationis scintilla ad hominem propius accedente, sic cum muliere homine hoc commune habebat, singulis mensibus per 2. ad 3. dies menstruis purgari, & quamvis singuli putarent sibi contusione l. alio violento modo posteriora læsisse, tacitus ego eò venire, postmodum multoties adhuc observans judicavi:

OBSERVATIO CCXIIX.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

De Atrophia lethali ex obstructione glandularum mesenterii ac viscerum coalitu.

DArmstadii Annæ Catharinæ Götzenleuchterin/ natæ Myrrhiæ, Sororis

meæ dilectæ filii cadaver 1694. die 17. Octobris secui, inveni glandulas mesenterii totaliter obstructas, tumentes, viscera interna mirabiliter concreta, ordine confuso concatinata ac conglutinata: puerulus dum viveret conquestus de phlogosibus, diarrhoea, tumente ventre flatus l. Vermes mentiente, atrophia chronicè affligente.

OBSERVATIO CCXIX.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

De Sympathia in distans agente.

DAri morbos Archeales & tales quidem, qui ab ideis vitiosis agant in archeum sive Spiritum huic vel illi parti, insitum vel universaliter influum (qui essentiæ ratione unus) suscitatos ab objecto externo magis vel minus jucundo, pro diversa conceptionis ac imaginationis modificatione animæ præsentatâ dijudicandæ statuo, & statuent mecum omnes philosophi saniores Sympathias ac antipathias longe diffusam doctrinam in explicandis phœnomenis plurimis physicis, morborum causis, imo in praxi Medica utilissimam in tractatulo sub calamo sudante, aliquo modo demonstravi, hic locorum sympathias in distans agentis exemplum allegabo:

Aliquot ante annos hic locorum degebat empiricus quidam & ut lubens audiebat Doctor Sympathiæ, qui gloriabat quanta ac qualia fecisset curationibus suis sympatheticis ab Italo furtim ablatis, suffultus variis etiam personarum Principum testimoniis, quædam inter alias fide dignas erat quædam Saxoniæ Ducissa. Hæc loquebatur proprio in semet ipsa facto periculo morbi alicujus desperati, aut ex hac curationis methodo, omnibus aliis frustra adhibitis, subitaneum se habuisse levamen: hic medicaster sibi concreditos patientes uno tractabat modo l. vomendo, purgando, vel, & quod potius, sudando sine assumptione atomi medicamentorum, sufficiebat patientis habere urinam, & qui his tribus viis magis universalibus sanari recusabat, illos incurabiles fore, jactitabat, tanto cum applausu ut quibusdam curationibus feliciter peractis pro Doctore mirabilia facente exclamaretur, & Vulgus quod decipi amat ex dissitis etiam locis ejus anhelarent auxilium. Inter alios patientes nobilis quidam (d. b.) in Wiselheim prope Fridbergam habitans, hic tot montium, collium ac viarum flexibus separatus, & missa urina, quando & quamdiu huic

huic empirico lubido erat, imbrepluebat sudorifero, cum excretione urinæ turbidæ arenulis ac lapillorum fragmentis saturatæ, (hic enim nobilis perfectus erat nephriticus,) mirabar, sed retulere mihi hanc esse felicissimam calculi curandi methodum, quando præsertim ant- nephritica mixta fuerint urinis nephriticorum, sic fieri ut calculus in atomos contritus per meatus urinarios promoveatur:

Hinc qui sciendi nunquam satiandus, & nec laboribus nec carbonibus parcens totum mysterium fato certè felici inveni; sed urgendo sudorem ut παρεργῳ non ut ἐργῳ hactenus usus, multa calamo circa hanc oparationem inveni digna, inter plurima paucis notasse sufficiat, successum sibi prosperum promittere posse utplurimum philosophum philosympatheticum in morbis à lymphæ visciditate, à vario acido coagulabili oriundis, scorbuto illo frigido Bontekœiano, radice, caudice, cortice, frontibus, foliis, flore ac fructibus sat fructifera, eheu morbifera arbore, in lymphæ itidem vappescentia, in lymphæ motu tum intestino tum progressivo tardiore, egregii esse usus ejusmodi tractandi methodum, credibile, sudationis tempore pulsum arteriarum ac cordis pressivum inveni citiorem, nec opus, ut ad suffocationem integumentis lectulorum oneres sudare volentem, lenis sufficiat hypocausti calor l. planè nullus, leve itidem integumentum, post sudorem prolectum non, ut post assumpta diaphoretica & hinc coactis sudoribus, ægros de virium prostratione conqueri audimus, è contrario artuum levitatem ac spirituum serenitatem extollunt, imò novi, qui per anni quadrantem & ultra de die in diem cum ἐυφωρίᾳ sudarint, nulli obtrudam meam sententiam, nec ulli salivam movebo, sufficiat commodum inde haberi in iis subjectis, qui naturalis idiosyncrasias statu ab omni abhorrent medicamento; de quo fusius in tractatulo de tumoribus, si DEUS volet proximis typis exscribendo.

Sed non indifferenter omnes huic curationis methodo subjiciendi, qualia vero pro admittenda ea requirantur phænomenta naturæ relinquitur prudentiæ medicæ, & si in ulla philosophiæ naturalis parte ruminanda, eruenda ac expolienda, supersunt, certe in sympathias ac antipathias studio haud satis ac intimius perspecto.

Totius rei cardinem in spiritibus, in humoribus à nostro corpore licet separatis hospitantibus, & iis adhuc in corpore humano sub animæ directorio degentibus, & in illo commercio ac sympathia texturæ l. alius rei æqualitate versari verò videtur simile. In memoriam perlegenti hæc, incurrit plus semel me febres curasse quartanas bo-

lo panis l. carnis urinæ patientis jam in paroxysmo excretæ immersæ & postmodum cani ad devorandum projecto, &c.

OBSERVATIO CCXX.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

De Noxa arsenici.

QUidam Consiliarius olim cameræ W. St. coryza sæpè vexatus cum emolumento hactenus usus aquâ majoranæ naribus attracta atque hinc peculiare vitrum ac asservandi habebat locum, clavis pedum insuper excruciatus, suasu cujusdam Empirici infusionem arsenici guttatim ut corrosivum, externè applicuit, sed nescio quo fato infelici errore ancillæ, Hero coryzâ noctu afflicto, loco aquæ majoranæ non debito positæ loco, infusionem porrigit arsenici naribus attrahendam, quo liquore attracto per diem unum & dimidium nares stillavere lymphâ acri, subsequente vertigine tenebricosâ, uno impetu ingruit noctu catarrhus suffocativus cum phœnomenis sequentibus: Noctu vocabar, nec vestigium rationis sensuum tum internorum, tum externorum, torvos horrendum in modum oculos inveniens, nec audiebat, nec videbat, multos in dies non loquebatur nec intelligebat, & si fortean voce stentoreâ auribus inclamaretur, quasi ebrius ac profundissimo è somno ex pergefactus nos adspiciebat, in summa bestiæ ad instar degebat, cum anxietatibus, lectulorum mutationibus &c. usu præprimis volatilium cephalicorum ac absorbentium, cinnabarinorum, succinatorum, castorinorum favente DEO, in tantum restitutus, ut de horâ in horam attendi poterit, quoad loquelam starum patientis meliorari, nam primo literas, mox syllabas, hisque junctis verba promebat, mox totum rei sensum lento licet gradu articulate exprimebat, remanente visus debilitate, memoriæ maxima læsione, & rationis debilitate; quod malum contra aliorum medicorum sententiam incurabile judicavi, credens, inordinatam dislocationem imo dilacerationem pororum cerebri à corrodente arsenico fuisse inductam; sic per 2. fermè annos aliis tum medicorum consiliis, tum Thermis usus Wisbadensibus sine, fructu licet, tandem supervenientibus convulsionibus per vices affligentibus obiit.

OB-

OBSERVATIO CCXXI.

Dn. D. ANDREÆ MYRRHEN.

De Morbo complicato.

B. L. Exemplum sine Exemplo sisto morbi complicatissimi, cui æquale vix continebunt medicarum observationum licet rarissimarum volumina, sed ordine, ac quoad singulas circumstantias casum si delineare vellem: nimium excresceret, hinc præcipuorum saltim meminisse juvabit:

Illustrissima quædam Imperii status Persona præterlapso seculo Anno 1683. alias sana ac jam utero concepisse credita, oculissimum ac Illustrissimum maritum Viennam tum temporis à Turcis graviter cinctam proficisci ac pro salute Imperii dimicare volentem cum comitaretur, loco quodam intervio ad prandium destinato & hospite liberaliore aurigæ servi mero inebriantur, hi autem cum per declivem ac præcipitem montem iter facere necesse haberent currum ac equos vino confusi amplius gubernare haud possunt, hinc fit ut currus propria mole montem cum maximo ac horribili insidentium terrore decurreret, insidentes verò anxietate fermè ecstatici hac confusione curru extracti adhuc fuerint.

Post hæc curru in cœno nimis profunde hærente, equi dilaceratis habenis, fune, ac loris cito ac confusa pede aufugere, Magister autem stabuli de equo lapsu præcipiti terrores dum tremulæ & anxiæ Illustrissimæ adauxit, hæc, hæc conquesta extempore de cephalalgia, tolerabili tamen, per tempus melancholica evasit, cujus causam plurimi discessui sereniissimi mariti adscripsere:

Ex improviso inter prandendum cucumerem aceto conditum cum porrecta manu arripere voluisset, subito ad latus proximæ comitissæ, post anteriora versus omnibus membris quasi soluta ac clonica delabitur, adeo gravi lapsu, ut os nasi cribri- forme in calicem argenteum præ se stantem ad Vulnus dolorificum usque allideret, nullo sensus tum externi tum interni ullo indicio, sequente autem post multas horas vomitu spontaneo sensim ad se ipsam rediens, manum sinistram involuntariè movit motu vario convulsivo per intervalla multoties redeunte; nescio quo suasore Vena secta, sed qua administrata ac hora saltim præter lapsa pejus habuit, insscia enim universum

sum caput non sine adstantium admiratione rotavit, variè ac tremulè movit, post hæc omnes omnino artus vario Protheiformi motu defatigati, paroxysmis, mox breviori spatio, persæpius autem per 2. dies ac noctes non sine adstantium anxio horrore ac tristi certe spectaculo durantibus, adeò ut tum temporis spatio 5. hebdomatum vix duarum horularum tempus sana consumserit, cum innumerabilibus repetitis semperque aliquid novi monstrantibus paroxysmis, mox deliriis, mox clamoribus acutissimis, mox terroribus subitò obortis, anxia mox tonitru horrendo, fulgure undique per totum conclave flammas diffundente, mox spectris putatitiis & præcipuè veste nitida induto, mox licet tenebris fermè palpabilibus diem tamen esse sibi ac aliis falsè ac imaginarie persuadere volens. Suasit quidam Medicus castigationem Virgis instituendam, hinc quærelarum lerna: approximationem etiam amicissimarum non sine maximo terrore, fuga, clamoribus, ferre potuit, varie varios articulos movendo, oculos contorquendo, ut canis mordendo, cum spuma circa os, linguam etiam cum ejusdem basi ac radice adpectus usque è faucibus protrudendo, brachia in dorsum distorta figura ponendo, postmodum lapsu graviore, ut omnes artus in centenas partes frangendas putasses, ruendo, collum ac pedes, variè contorquendo, flectendo, in lecto variè discurrendo, movendo, (adeò ut adstantes, patientis saltim prolapsum impedire haut sufficientes essent) & aliis innumeris Phœnomenis per iram utplurimum exasperatis adstantes confudit.

Hoc memoratu dignum, patientem paroxysmi terminum ac finem licet in multas adhuc horas protrusum imò varias phœnomenorum species præsciviisse, hinc adstantes intetrogati, utrum 10. 12. vel alia diei noctisque hora audita, scivere hinc, hac ipsissima hora quam patiens auditam interrogat) NB. sonante adhuc ultimo horulæ pulsu campanâ paroxysmum subito cessasse, remanente sudore syncoptico, artuum summa debilitate ad se viribus successivè recollectis sensim sensimque redeunte nullo pharmaco reperibili, hosti huic clam insidias sat astutas struenti, sufficienti:

Tandem variis medicorum consultationibus frustra tamen institutis unicum (sed nescio quod) medicamen inventum, quod Belluæ huic habenas injiciendo ac tranquillitatem internam aliqualem & levamen in ducendo, pro itinere necessario domum versus instituto adferre potuerat: Evectiore imprægnationis statu convulsis nervis uterinis

uterinis uterus cum fœtus mole de latere in latus tanta concussus vehementia, exterius sat visibili, adeò ut singuli adstantes impossibile fore fœtum excludi vitalem posse, judicassent, quamvis postmodum licet medios inter deliriorum ac paroxysmorum tumultus INSCIA tamen prolem puellam formosissimam adhuc, det DEUS diu superstitem! exluserit cum omnium admiratione incolumem:

Fluentibus lochiis benè, hisce verò vario modo sufflaminatis, etiam instantibus mensibus l. non ritè fluentibus hodienum adhuc licet tolerabilius, pessimè redeuntibus paroxysmis habuit; Obstructa interdum lochia postmodum uno impetu sanguis erupit tanta quantitate, ut tantum capere venulas humanas haud credidisses, junctis variis motuum convulsivorum speciebus horrendis, post continuavere quidem ac rediere morbi intricati hujus insultus, sed haud tanta sævitia, sed majori lenitate ac tardiore reditu, paulo post thermis usa Embsensibus suasore (B. jam) Horstio, pediluvio saltim pro faciendo periculo utrum ferre possit, usa, hinc maculæ pedum lividæ ac patiens totaliter clauda reddita est: per integrum mensem nec bibit nec quicquam commedit, puris sustentata medicamentis, post nil nisi aquam simplicem bibit, ac jusculum simplicissimum cum pane & aqua sine butyro & aromatibus paratum ferre potuit, è contra ex aliis analepticis esculentis eorundemque saltim odore sive concepta saltim idea pessime habuit, post enixum fœtum & postpositis diebus puerperio dicatis, melius habuit, licet non totali intermissione, remissione tamen tolerabili paroxysmorum superius nominatorum eousque donec iterum imprægnata superius enarrata phœnomena interdum atrociori, interdum benigniore apparuerint facie, durante paroxysmorum sævitate ad medium usque gestationis tempus, tractu temporis verò præter omnium expectationem malum indies vires sumendo ex motu cursus, ex cursibus alia horrenda secuta sunt, primo respirationis summa difficultas ad suffocationem apparenter (à convulsis musculorum pectoris, intercostalium, præprimis & diaphragmatis nervis) anxietates, adeo torva facie ac suffocabunda quasi profundissimis submersa undis cum variis spasmodicis motibus musculorũ colli, laryngis, pectoris advisum, ut & contractione imani abdominis sub costis spuriis, marsupii adinstar, post movebatur lente hic digitus manus vel pedis l. hic pes, brachium vel manus, caput vel aliud membrum lentè, mox parum citius, mox adhuc citius, mox citissimè hacce circumstantia, ut si in hoc motu licet inordinato, minimum

etiam digitum sufflaminare velis non solum crabrones irritares, sed tuæ vires valdè debiles forent cum quatuor nervosi rustici valentiores haud sufficerent ; stante sic tragœdiæ facie, inquiebat miserecula patiens : citò, citò perge, perge, me oportet currere, cave ne contradicas l. impedire studeas : primo lento incedebat gradu (duo enim Ancillæ illam continuo comitabantur ab utroque latere) post parum velocius, mox velocissime & quasi volaret, ex unò hypocausti angulo in alium devolvebatur, adeò, ut comitantes ancillæ illam ægrè sequi possent, hoc statu interdum sensibus externis tum internis sibi integra, interdum plane non, sed omnium nescia, interdum inter deambulandum quæcunque Scriniis superimposita invenerat, vel candelabra argentea, vel vitra purissima ac pretiosissima, vel fictilia Parc llonica &c. : ordine & cum maximo cachinno in pavimentum dejecit, jurasses certè id studio fieri, nec semper ad lachrymas, commiserationes adstantes, sed interdum ad risum pro varia circumstantiarum facie sunt commoti ; interdum muta, interdum ad quæsita quasi sibi reddita apte respondit, sibi hoc vel illud se agere velle præsumens ac meditabunda adspiciens vel sellam vel tabulam, l. fornacem, vel alium hypocausti locum ac diu in speciale objectum oculos figens tandem dicebat : statim me oportet eo salire, neque quidquam fecit, nisi prius prædixerit, hæc sibi jam facienda esse ; sic per inferiorem fornacis partem (spatium certe puerulo ægrè sufficiens) citissimè perrepsit, mox in sublimem fornacis partem aviculæ adinstar saliendo volavit, aliquandò fenestras, quarum superior pars pro admittendis Eteſiis aperta erat, meditabunda adspiciens eandem forsan, pessimo venetu, ob lapsum in fossam profundam aquis plenam subito advolat eandem forsan, pessimo eventu ob lapsum in sat profundam fossam transcensura, nisi impedita fuisset ; & hi oberrantes cursus uno paroxysmo sine intermissione duravere mox 2. 3. 5. mox 6. horæ & ultra, datis vero induciis octuplæ horulæ partis mox semi horulæ, mox hinc alius subsecutus paroxysmus rediitque labor actus in orbem, atrocitate vel majore l. minore noctesque diesque cum pauxillâ interposita quiete ægram excrucians, & sic ejusmodi paroxysmorum cursus ac recursus patientem crudelem in modum per aliquot annos, licet haud semper æquali vehementia fermè exanimavit ; circa finem cujuslibet paroxysmi in gyrum turbinis adinstar versata, ac subitò ferè exanimis in terram prolapsa, ubi plurimi Ministri aulici utriusque sexus lapsuram pulvinaribus sat mollibus excipiendam ex-

expectarunt ; Sic jacet quasi exstatica viribusque exhausta omni commiseratione dignissima patiens , mox lachrymis sat largo rivulo pluentibus , mox cachinnis & eapropter reprehensa repetitis ac continuatis , mox precibus ardenter fusis , mox dicti Biblici recitatione , recitati explicatione analytica , parallelorum allegatione , divini ministri adinstar circumstantes in maximas traxit admirationes. Redeunte altero paroxysmo motus quoque hujus vel illius membri rediit mox tardiore mox velociori concussionis motu , hæcque Phœnomena in gravida terni prolis tempore tristi certe adstantium facie apparuere ac trium liberorum mater dolorum partus planè insçia : Hæc dum versantur cataleptica & per tempus ac in conclavi statuæ similis existit, ubi vires adstantium , ne digitum , taceo totam machinam loco movere haud fuere sufficientes , suppositis pedum soleis funiculis ut rigidam hancce statuam ad terram prosternerent , ast frustra ; Mox contrario modo spasmus simultaneo momento utrumque pedem attollens choream saltore mentitus :

Clausis oculis varii generis sericum tractavit funiculos varii generis (ante ignara) præsertim artificiosissime contextos (Zweiffel-Strick) & eo contorsit , colores distinxit accuratissimè , adeoque ut dixerit hoc sericum E. G. virideſcentia est æmulum viridi maris , graminis , psittaci , æris &c. vel intensius vel remissius esse tinctum & sic de omnibus judicavit coloribus :

Clausis itidem oculis innumeros fermè (insçia) composuit versus Germanicos sale certè Poëtico conditos , quos inter sequentes chartæ paroxysmo propria manu scriptos , literis præter consuetudiente in paroxysmo propria manu scriptos , literis præter consuetudinem tersissimis ab amico obtinui :

Ich hoff umsonst die gute Zeit/
Da ich mein Creutz werd enden sehen/
Dann mein Unglück ist stets bereit/
Und wird mit mir ins Grabe gehen/
Der allerbeste Trost in aller meiner Noth/
Kan nichts seyn als der Tod :

Omni vi in nostrum templum ab ædibus Illustrissimis tamen dissitum , non obstante custodum renitentia pede calceato spatiare voluit , pro visendo suo sepulchro , mox machinam hancce fragilem sus-

suscepturo : Quodam tempore fidam ancillam porrecta huic manu SIBI quid promittere & promissis stare coëgit; promissum faciendum in eo consistebat, se mox & hodie adhuc morituram, & cum ancilla videat illam jam jam in mortis articulo versari, intonaret cantionem illam notam : Wann mein Stündlein vorhanden ist/ &c.: quid fit? familiam Illustrissimam convocatam ac circumstantem animo alloquitur heroico certe Theologico, Illustrissimo Domino Marito non sine omnium præsentium illacchrymatione gratias agendo pro fideli candore ac sincero amore, cura ac amica conversatione, divinamque apprecando protectionem, Liberis præstandum obsequium erga Dominum Parentem, Pietatem erga DEUM ac fugiendas mundi voluptates &c. : Ministris omnibus Aulicis fidelitatem homine Christiano dignam, curam ac Industrium laborem pro bono tum publico tum Domestico commendando &c. : Certè inter gemitus, suspiria, planctus & lachrymarum sat uberes rivulos Valedicit, cum subsequente loquelæ difficultate, sensuum externorum evanescentia, subsequentibus guttulis frigidis sudoris syncoptici, facie Hippocratica, aliisque morientium phœnomenis, adhibito ori speculo pro indaganda aliquali superstite respiratione, & manu Medici in arteriæ motu superstitem vitæ scintillulam explorante, is, cum omnibus adstantibus illam verè demortuam per dimidiam horam habet, ornamenta adportantur sepulchralia &c. &c.

Versus exteriora Spiritus ferias agendo, credibiliter interiora versus naturæ ac morbi acerrimum intestinum fuisse conflictum, naturâ tandem victrice sese evolvit, Medicus etiam ex micante pulsu harriolat scintillulam in cineribus quasi gliscentem superstitem esse, mox leniissima respirationis aura, mox pleniore insecuta, non plenariè demortuam esse affirmabant, post sensim sensimque, ad se rediit ab orci faucibus liberata & è Charontis cymba retracta patiens, quam DEUS servet:

Et quis tam fertilis memoriæ qui singula memoratu digna tot annorum serie quæ occurrerunt, in memoriam revocare possit, sed pauca hæc allegata potiora sunto.

Hæcce ab ipsissima Clementissima patiente omni fide superiore, aliisque tum temporis præsentibus uno ore loquentibus hausi. Jam redeunt quidem interdum per 2. 3. 4. 5. 6. menses sparsim tum anxietates, diaphragmatis contractiones, uteri (nervorum uteri dolorificæ crispationes) dolores immanes, motus arteriarum tremuli in-

volun-

voluntarii, somnia terrifica, putatitium fulgur totum illuminans conclave, (sunt Spiritus optici, nam Spiritus nil nisi ignis; radius, fulgur, sulphur, luxus) sed Deo Laus non tali frequentia & vehementia.

Cæterum observatione multivaria quoad usum medicamentorum applicandorum didici, Vomitoria bene cedere ast duplicata dosi, nam granis 3. Tartar. emet. Mynſ. quidem irritatur, movetur, sed non removetur materia peccans tam corrosivæ acredinis ut patinam orichalceam ac argenteam aquæ stygiæ adinstar corroserit, quoad reliqua etiam medicamenta, non ordinaria tum quoad quale, tum quoad dosin incedendum via: Sic olim quidem salivatione usa Mercuriali cum aliquali levamine, ast necesse habuit degere perflantibus ubique ventis, nec in cubiculo calefacto propter strangulatus metum ac dyspnoeam; Et quod ante aliquot menses juvamento & lavamini fuit, jam summo propinatur nocumento: externe non E. G. Sp. Sal. Armoniaci l. CC. vol. qui ipsi respirationem sufflaminat, ferre potuit, sed aquam hirundin c. Cast. naribus adhibitam benè tulit, ut & Clysteres ex lacte dulci & flor. Chamomill. Inter omnia à me adhibita interna hactenus cum levamine e. g. usa: ℞. Specif. cephal. gr. Viij. lapill. 69. crud. ℈j. succin. gr. Xij. castor. gr. Vij. In dolorum vehementia: laudan. opiat. gr. j. M. prodos. ℞. Elix. propr. dulc. Carm. Wed. ana ʒiiß. Ess. Castor. Anodyn. ana ℈iiij. Spirit. Sal. Ammoniac. gt. XXVij. Ol. destillat. Anis. fœnic. ad gt. X succini gt. iij. Misce ad Vitr. Wol umgerüttelt zu 50. Tropffen in Thee zu nehmen. Hisce, & similibus D. D. Herthii Archiatr. Darmstadini, aliorumq; celeberrimorum Medicorum usa consiliis, interdum cum levamine, ast quod hodie fuit pharmacon, cras igni quasi oleum ac affectus triste pabulum, hinc penes lectum melius, quam penes literas.

Utinam omnes qui dari morbos spirituum negant, iterante morbi talis, severitate præsentes essent! consistat nunc morbus in eorundem explosione sive elatere nimiis, ἀταξία orgasmo, confusione, vel quomodo nominare velint, revera dari morbos spirituum implicite & explicite consideratos libenter concessuros, crederem:

(*Michelstadio Augustam Vind. d. 5. April. Anno 1705. missæ.*)

OBSERVATIO CCXXII.

Dn. D. CONRADI BARTHOLTI BEHRENS.

De Lethali vomitus vehementia.

ILluſtriſſimus Quidam poſt prægreſſam per aliquot dies inſignem laſſitudinem ac crurum debilitatem die XIII. Septembr. circa meridiem paroxyſmo febrili cum præcordiorum anguſtiis ac Vomitionibus corripitur, quæ cum in conſuetum crudorum herbaceorum præcedentibus veſperis eſum referret, altero mane, me tamen propter tenerrimam ejus conſtitutionem acerrime id diſſvadente ac maxime invito, duo grana Tartari Emetici mynſichti cum ſcrupulo ſemis Eleoſacchari aniſi ſumſit, ex quo violentiſſime & cum maxima abdominis ſtomachique concuſſione ſupra ac infra multa viſcoſa, bilioſa ac ſeroſa purgavit, remanente ſumma debilitate & ſingultuoſo ſtomachi motu. Die XV. circa meridiem ſtato tempore rediit paroxyſmus cum phantaſia. Die XVII. mane tertius paroxyſmus adfuit, ac in ſtomachicis febrifugisque continuatum, & topica ſoporifera, propter vigilias nimias applicata. Die XIX. iterum paroxyſmus circa meridiem cepit, cum lipothymiis, frigori vero per duas horas duranti nullus calor in exterioribus ſucceſſit, ceu in inflammationibus interiorum accidere ſolet, ſed Illuſtriſſimus Æger cum frigore extremorum vigil ac inquietus ad XX. menſis diem perſtitit, nocteque ſubſequenti circa 12. obiit, ætatis ſuæ anno XXVIII.

Poſt aperturam corporis ſequentia notata. 1. Dextrum latus lividum à capite ad talum. 2. In abdomine pinguedo ad duos digitos craſſa, ſanguis extravaſatus nullus. 3. Omentum diſruptum ac corruptum in dextro tamen latere magis quam ſiniſtro. 4. Inteſtina inflammata, fuſca & bile quadantenus ſuffuſa. 5. Ventriculus, cor, lien, quoad ſubſtantiam bona. 6. Pulmones inflammati & hepar quoque ubi Inteſtina attingit. 7. Auricula cordis dextra amplior, quod forte motui ſanguinis inordinato quo frequenter propter ſubitaneos affectus laborabat adſcribendum arbitror, exemplo ſimili in *Actis Eruditorum Lipſienſibus Anno 703, p. 219.* occurrente.

Diſruptiones omenti ac interiorum inflammationes vehementi abdominis ab emetico concuſſioni adſcribere merito convenit, ceu cujus

cujus, quantum ad illas exemplum quoque in *Miscell. Cur. Dec. 2. Ann. 8. Obs. 125.* ab Excellentissimo Domino *Andrea Lövvio*, suppeditatum est, quodque notante Illustri quondam *Wefero in misc. Dec. 2, Ann. 10. Observ. 171. Schol.* etiam ipsum Intestinum Ileon à vomitus violentia in quodam ruptum fuerit. Inflammationes quoque à sanguinis extravasatione post violentam ejusmodi abdominis in vomitione concussionem orta non immerito quispiam deduxerit, ceu quam stagnatio ejusdem ac inflammatio in textura corporis ejusmodi rariori necessario subsequatur.

(Hildesio Augustam Vind. d. 20. Novembris An. 1704. missa.)

OBSERVATIO CCXXIII.

Dn. D. MARCII GERBEZII.

De Corde magno.

ANimositas, audaciave hominum communiter vel ab ipso vulgo cordi imputatur, adeò, ut qui Cæteris animosiores sunt, alio nomine etiam cordati nominentur. Num tamen Cordis potius majori moli vel alteri cuipiam ejusdem prærogativæ? ambiguum, reddidit Religiosus Cisterciensis nuperrimè à me in conspectu plurium Medicorum, Chirurgorum, & aliorum spectatorum anatomico Cultro subjectus: utpote cui tanta Cordis moles erat, ut id ad bilancem positum triginta uncias civiles ponderarit, absque eô, quod homo hîc unquam à quoquam eorum, quibus vel ab ipsis incunabulis convixit, fuerit singulariter animosus, audaxve observatus. Hinc potius videtur singularis animositas calori cativo copioso, spiritibusve vitalibus singulariter volatilibus, energeticisque esse imputanda, quàm cordis insolitæ amplitudini: vel certè, si cordis moli tunc potius minori, quàm majori, qualis sæpe pusillorum est, utpote in qua vis unita est tantò fortior.

Erat autem Vir hic ætate primò 31. anni, corpore obesus, viribus robustus, & vultu adeò floridus, ut à nemine non supremam ætatem supervicturus crederetur: plerumque etiam optatè sanus; nisi, quòd à juventute non nihil difficilius, præsertim in acclivium ascensu, respirasset. Id quod verò potiùs pulmonum solito majori, etsi

etsi de se naturali, moli imputabatur, quàm alii cuipiam defectui. A plùs quàm uno anno tamen respirationis illa difficultas augeri fuit animadversa, (quamvis citra tussim, aut aliam singularem pectoris indispositionem,) vires deficere, corpus æstuosius evadere, sitis intendi, nocturna quies turbari, & obesitas illa notabiliter extenuari. Hinc usurpata quidem plurima remedia: quibus vero tamen non obstantibus, supervenere ex nescio, quo errore, tanta interioris ventris tormina, ut optimum, Doctissimum, formosissimum, & admortem usque vultu rubicundissimum Virum intervenientibus ultimatim convulsionibus epilepticis, planè è medio sustulerint. Erat autem in eo omentum veluti in sartagine frixum, intestina præsertim tenuia inflammata, & jam veluti gangrænâ apprehensa, ventriculus internè similis, pulmones respectu corporis amplitudinis parui, extenuati, flaccidi, & corrupti, Cor denique, uti dictum, planè insolitè magnum, & probabiliter innatæ illius anhelitùs difficultatis, & successivè simul corruptionis pulmonum unica causa: quatenus eosdem mole suâ comprimebat, sanguinisque circulum per eosdem remorando ad eam extensionem cogebat, ut disruptis fibrillis, vesiculisque demum corruptio succedere necessario debuerit.

Nimium ne crede colori.
Frons, oculi, vultus, persæpe mentiuntur.

(*Labaco Augustam Vind. d. 15. Decembris A. 1704. missæ.*)

OBSERVATIO CCXXIIII.

D. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Borraginis Noxa.

MIrum, quantum Naturalia vires suas in corpora exerceant. Animalibus lethifera, hominibus salutifera ac proficua ne attingamus. Hominum diversas solùm dispositiones acquisitas æque ac congenitas, Inclinationes, Idiosyncrasias, Antipathias & sympathias, sic dictas, si aspiciamus, non in levem abripimur admirationem. Adver-

KÖNYVTÁR DEBRECEN ESZEKEMI

Aversantes res medicamentosas, alimentosas salutares monstrat *Sachsii Gammarologia curiosa* & nostra de *Medicamentorum Fastidio Dissertatio*, qui in maximas ab illis Lipothymias, Vomitus, Convulsiones, &c. præcipitantur. Afferunt & Exterioribus solum corporis partibus applicata, ingentia damna, tumores, pustulas, &c. qualia Borrago in casu jamjam recensendo Nobili cuidam Matronæ, in utero gerenti intulit. Hæc alias à Borragine nunquam abhorruit, sed illam in deliciis habuit; Decerpsit nimirum ipsius flosculos suavissimos, rore adhuc madidos, nihil mali, vel nauseæ inde passa: Sed ecce! Inopinatò manuum tumores cum pruritu ad carpum usque inclusivè, eam videlicet manuum partem, ad quam ordinariè induvia ac vestimenta pertingunt, animadvertens, perterrefacta, nescia verò in quodnam hujus originem rejiceret, aliquoties ante flosculorum horum avulsionem peregit: Lavat manus Aqua Borraginis, tumores hos statim perituros esse autumans, sed igni oleum addidit, pruritus ac tumores cum pustulis aquosis incrementum sumserunt: Indicans id mihi formidinis plena, consilium petiit. Remotionem ilicò Aquæ modò dictæ injunxi, ejusque loco linteorum siccorum appositionem, cum interna Mixtura diaphoretica ipsi suasi; Morem gerens, sequenti die tumorem dissipatum, pustularumque subsidentium, non tamen totalem ablationem vidit, quas cum maculis relictis, Pulvere ex Furfure Amygdalorum, Floribus Sulphuris & Radicibus Iridis Flor. brevi tempore dissipavi.

OBSERVATIO CCXXV.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Vulnere Thoracis gravi cum insigni Pectoris contusione feliciter sanato.

QUamvis ex Thoracis ac Pectoris Vulneribus Curatorum apud Medicorum Antistites, ut *Tulpium*, *Schenkium*, *Pechlinum* Illustresque *Nat. Cur. Collectores*, imò cum Pulmonum non tantùm læsione, sed & eorum amputatione, absque tamen Vulneratorum Vitæ dispendio, prostent historiæ: Cùm verò ii Casus aliis semper circumstantiis, Symptomatibus, Personis, alia curandi methodo sint con-

comitati, quibus semper major additur lucula ; Eruditorumque nec minus animis afferuntur deliciæ & voluptates, hinc & hanc nostram senis septuagenarii historiam, cum suis circumstantiis aliis adhuc subnectimus. Vir hic asthma leve, tussimque siccam, senibus familiarem, si excipaas, Vegetus, laboribus suis rusticis diligenter intentus, cerasum, per Scalam sedecim pedum altam, pro cerasorum collectione, ascendit, ramo sed debili, valde sese committit, qui ponderi huic impar, frangitur ; Senex in delapsu ad baculum obvium obtusum, satis tamen crassum, thoracis sinistrum latus ad palmæ longitudinem irruit, qui inter septimam ac octavam costam cavum ejus intravit, sed hic terræ firmiter infixus disrumpitur, ut rupta ejus pars thoracem inter dictas costas obsederit ; In ulteriore delapsu pectus seu sternum lapidi graviter allisit, ut horum ossium fractura ac profunda impressio fuerit procreata : Miser quo se vertat nesciens, n imum tamen recolligit, pasum extrahit, manum cum indusio vulneri adhibet, Domum suam, quamvis longè hinc distantem incurvato corpore petit ; Chirurgum accersi curat, qui indusio remoto, unam vel alteram sanguinis guttam animadverit, sed aërem, unà cum magna pulmonis quantitate cum impetu prodeuntem observat ; Pulmonis portionem priùs spongiâ vino calido madidâ asperşit, ac ægrè quamvis, cavitati suæ reposuit, Vulnus longum ac dehiscens Emplastris agglutinatoriis conjunxit, Vulnerariis postea obtexit & obligavit. Nunquam Lipothymia, vel alicuius debilitatis signum Ægrotum nostrum corripuit, sed animo intrepido omnia sustinuit ; Dolorem majorem à pectoris fractura percipiebat, tumor insignis hic à sanguine suggillato exortus est, ac totum pectus syderatum apparuit : Chirurgus anceps ac dubius, quid in statu hoc periculoso ulteriùs peragendum sit, hæsitabat, imò incisionem ac aperturam hujus tumoris instituere, sibi proposuit, Vulneratus verò renuit, me advocaruntut, coadjutrices ei afferrem manus. Patientem, impatientem potiùs deprehendi debilem valde, stertorem vehementem, tussim siccam habentem ac anhelantem, febricitantem, siti intensa ardentem, somnum nullum, vigilias continuas, summosque pectoris ac vulneris dolores accusantem ; Alvus erat adstricta : Phlebotomiam statim imperavi, pectori dolenti ac syderato, fotus Vino rubro incoctos ex herbis discutientibus, resolventibus, &c. imponi jussi ; Vulnus bene sese habebat ; Internè Sperma Ceti cum jusculo ei propinavi, Mixturam insuper roborantem, sanguinis grumos resol-

solventem cochleatim hausit ; Noctem subsequentem non planè insomnem transegit , Tumor pectoris à fotibus applicatis subsedit, ejusque dolor ex parte remisit , hujus continuationem suasi , successit sputi sanguine tincti excretio, stertor imminutus est , alvum suppositorio , ob Clysterum defectum , cum levamine proritavi : Medicamentorum superiorum , ut & decoctorum traumaticorum usum aliquandiu continuandum Ei commendavi , cui & paruit , & de die in diem melius iterum sese habuit, absque ulteriore subsequente symptomate , ac intra octo dies , lecto graviter firmèque affixus , per cubiculum deambulavit , summa cum aviditate cibos assumsit: Notandum tamen, Urinam ad aliquot dies sanguiolentam ac purulentam apparuisse , per quam viam sanguinis extravasati & in pectore collecti materia excreta fuisse videbatur. Mirum sanè decrepitum talem intra quatuordecim dierum spatium sanitatem imò vitam suam ferè amissam recuperare potuisse.

OBSERVATIO CCXXVI.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Catameniorum fluxu in Muliere Octoginta trium annorum.

NAtura solers semper quid molitur , quod quibusdam miraculum videtur , cùm tamen ex ejus fonte & bonitate descendat. Eadem Mulierculis ordinariè Quadragesimum Octavum , vel ad summum Quinquagesimum annum pro termino constituit , quem rarò nec sine magnis incommodis transgreditur , ipsisque impletis à tributo hoc lunari liberas demittit ; Quibusdam tamen quid peculiare est , quæ ad Sexagesimum , Septuagesimum , imò Octogesimum usque in eo detinentur. Nec minus , quod admirationem magis adauget , justo quidem tempore ex eo evadunt , sed in decrepita ætate ipsis iterum solvendum natura stimulat ac imperat. Quale notabile exemplum *Kerkringius Observat. 88.* nobis porrigit. Mulieri Quadragesimo tertio anno substitisse , Octogesimo primo verò post febrem tertianam rediisse ; Cui & nos Honestam aliquam Matronam Octogesimum secundum annum jam excedentem , liberorum ali-

quot matrem associamus ; Quam menstrua hæc purgatio anno Quadragesimo sexto reliquit, ad Octogesimum pertraxit annum ab que ullo incommodo vitam, secus quàm quod variis pro senum more affectibus catarrhosis fuerit detenta, dictoque anno insultum apoplecticum percepit, quo tamen feliciter superato, elapsis aliquot post mensibus, fluxum sanguinis uterini experta, à quo quidem haud parum in admirationem abrepta est, non tamen multùm eum curavit, tribus peractis hebdomadibus idem recurrit, & quidem cum maxima εὐφορίᾳ, sanitatisque emolumento, qui & nunc repetitis dicto temporis intervallo vicibus copiosè satis sese manifestavit, lætèque prospera fruitur valetudine : Quam diu autem hic fluxus continuaturus sit, tempus docebit.

OBSERVATIO CCXXVII.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Ulceribus pedum per spontaneam Gonorrhœam curatis.

MIra sæpiùs in Praxi Medica accidunt, quæ ipsa ratio assequi nequit. Metastases morborum, Criticæ variæ excretiones ac corporis à Sarcina sua exonerationes tot & tantæ, imò nonnunquam ferè imperscrutabiles annotantur : Empyematum, exempli loco, per Urinam vel alvum evacuationes, &c. Ejusmodi Metastaseos satis curiosæ specimen Vir Quadraginta annorum nobis porriget : Is ab annis aliquot in brachio, præcipue verò pedibus, eorumque Tarsis ulcera cacoëthea & exedentia gestavit ; Plurimorum Chirurgorum, Medicastrorum etiam diversorum opera, absque tamen ullo optato successu usus est : Omnia tentarunt, quæcunque acredinem istam corrigere, ulcera mundificare, mundificata consolidare valerent ; Sed omnium etiam expertissimorum manus eluserunt, Vix enim uno consolidato, mox aliud tuberculum cum subsequente exulceratione prodiit ; Imò haud omninò vanus erat ossium Tarsi cariosorum metus, dum ægrè & non nisi baculo ac claudicans incedebat, quem metum pus fœtidum, fluidum & serosum adaugebat. Externis nihil proficientibus, suasu meo ad interna, sanguinem & lympham acrem corrigentia, depurantia ac edulcorantia confugit, à qui-

quibus levamen statim percepit. Supervenit mox materiæ albicantis, ac ferè purulentæ per virgam fluxus, seu Gonorrhæa cum membri erectione & dysuria, ad quem inopinatum ac sibi ignotum fluorem maximè perterritus erat, nesciens quid hîc portendat: Ad aliquot dies præ nimio pudore eum reticuit, neminique revelavit, animadvertens puris ex ulceribus egressum esse imminutum, nihilominus tamen rem hanc ipsi secretissimam mihi patefecit, consilium auxiliumque imploravit; Fluxum hunc, ob acceptum levamen, materiæ purulentæ exulceribus prodeuntis decrementum, non statim sistendum, sed potiùs promovendum, materiamque per hanc viam expurgandam esse, suasor eram: Sed impatiens tædiosi hujus ac obscæni affectus pertæsus, ut ulterius profluvium inhiberem & sisterem, petitionibus instabat; Quare me id proxime facturum esse, spe eum lactavi: Quieto hinc animo promissi impletionem ac curam exspectavit, quæ intra quatuor hebdomadas subsecuta est, qua temporis intercapedine omnia ulcera perfectè consolidata sunt, absque ullo relicto incommodo, ac cum omnium ipsius etiam Ægroti stupore ac gaudio quasi exaruerunt, ut ne gutta quidem puris ampliùs prodiret, imò & pedes œdematosi subsidebant. Liber hinc ultra annum ab ejusmodi ulceribus permansit. Cùm verò diætam minùs strictam observasset, frenaque nimis in Bacchum relaxasset, massa ejus sanguinea, pluribus acribus, salsis, acidisque particulis referta existeret, tubercula de novo hinc inde propulularunt, quæ verò internis solùm sanguinem depurantibus, præcipuè decocto Tritolii Fibrini mox curata & abacta erant, quibus nunc, rariùs quamvis sese manifestantibus, iisdem remediis optato cum successu obviam imus.

OBSERVATIO CCXXVIII.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI,

De Diarrhæa Colliquativa, Diabethe notha soluta.

PUerulus sesqui anni, Scorbuticis ac Hypochondriacis Parentibus natus, integrum anni curriculum secunda valetudine fruebatur, omniumque admiratione adolevit; Cachexiam postea mentitus, rosea facies in pallidam mutata est omnem infanti aliàs familiarem

suaveolentiam & amœnitatem ademit. Intestini Recti mox subsecutus est prolapsus, quod quamvis repositum, locum suum naturalem statim mutavit, ei postmodum sese diarrhæa cum virium imminutione, carnis absumtione &c. adjunxit, quæ quidem semel iterumq; sedata erat, sed majori impetu recurrit fortioribus hinc adstrigentibus eam superavimus, quo verò successu afferre haud piget: Substitit planè alvus, Urina suppressa est, sudor nullus prodiit, totumque corpusculum mirum in modum intumuit, ita ut meritò ex Scylla in Charybdim inciderimus, pristinamve diarrhæam anxiè iterum exoptaverimus; Diaphoretica diureticis ac resolventibus mixta, optimam spem & solatium nobis spondebant, neque effectus hinc ortus spem nostram frustrata erat, sed post urinæ adventum, intumescentia paulatim subsedit, non tamen planè evanuit, antequam pristina diarrhæa rediret. Corpusculum tenellum & emaciatum magis magisque enervabatur, ita ut non ampliùs simplex adfuerit diarrhæa, sed cum vera Lienteria conjuncta; Quibus omnis generis remediis roborantibus, adstringentibus, acrimoniam demulcentibus, &c.: Sed incassum nos opposuimus: Stratagemate insuper hostes hosce rebelles Pulvere Rhabarbari pro humiditate superflua priùs evacuanda, roborando & adstringendo postmodum ventriculo, aggressi sumus: Desiit hinc paululum fluxus, sed Infans ab amaricante hoc medicamento in brodio propinato, (cùm nullum aliud convenientius fuerit vehiculum) contra omnia liquida, juscula, horrorem & fastidium contraxit, ut cuncta remedia rejecerit, nec dulcia, quæ infantum quidem palatis arrident, minùs tamen eorum corpusculis conveniunt, admiserit: Fame tamen stimulatus, quæ semper pro re nata vigebat, sensim iterum cibos assumpsit, quibus anticacheticum ac adstringentem pulverem admiscuimus; Nihil tamen & hæc profecerunt, in tantùm enim Malum actum est, ut cibi ad tres vel quatuor horas in ventriculo remanserint, sed postmodum cum tanto susurro ac murmure ex Eo omnia, Intestina pertransierint, tantoque impetu tandem uno ictu expulsi sunt, ac si ex Syringa, vel sclopeto pnevmatico fuerint ejecti: Fortioribus internis & externis Fotibus, scutis stomachalibus, Oleis, Unguentis, &c.: institimus, eodem ferè semper successu; Mox ad decem, imò duodecim horas remorabantur, sed ter vel quater intra horæ spatium majori cum violentia impetus hi redibant. Fluxus ad octo septimanas duravit, interea temporis maximè à Novilunio & Plenilunio, aërisque mutationibus movebatur, cia-

majoraque symptomata animadvertebantur. Miser parvulus emaciatus, sola cute ossibus superinducta, vires absumtæ, ac vera erat mortis imago. Satis tamen bene dormiebat, comedebat, quæ non omnem reconvalescentiæ spem decolabant: Cùm morbus hic ἐν ἀκμῇ quasi, anceps valde ac dubius versaretur, una nocte repentè administrantibus non observantibus, totum corpusculum una cum facie, purpura quasi, seu maculis rubicundis diversis majoribus, minoribusve conspersum, mentula præter ruborem insuper intumefacta videbatur, quod adstantes benè mane anxii referebant, quid hoc portenderet nescii. Crisin adesse statim suspicatus, nec in prognosi vel opinione mea falsus sum, integra enim ista die optimè sese habebat, violentæ istæ alvinarum fæcum expulsiones cessabant, nocte appropinquante omnes iterum evanuerunt, non tantùm Malum hinc recurtrebat, sed haud parum ipse terrore perculsus sum symptomaticam potiùs quàm salutarem Crisin fuisse metuens: Sequenti die tantum urinæ profluvium subsecutum est, ut verè Diabeten notham dixeris, vix lintea madida remota, mox sicca substrata urinoso hoc latice humida reddebantur, absque ulla siti aut molestia, nisi quod urina, ob suam acredinem cutim ferè excoriaverit, sonus hinc & mugitus isti intestinorum, expulsiones violentæ quieverunt, urinæque istæ nimiæ ad quintum diem protractæ erant, ut propinqui novum morbi genus subesse autumaverint, quem scrupulum statim exemi, salutaremve diuturni ac Chronici antecedentis mali solutionem esse, ipsis asseveravi, intraque quatuordecim dies, ad omnium miraculum, mortis hic candidatus, vires deperditas, mediantibus analepticis aliisque appropriatis remediis, recuperavit, pristinæque sanitati restitutus optimè vivit.

OBSERVATIO CCXXIX.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De Barba ab Odontalgia præservatrice.

VArii Barbæ usus à Variis adscribuntur, Ejusque proventus diversæ proponuntur causæ, quas tamen mittimus, adjungentes solùm faciem & mentum fovere, ab irrunte frigore os præmunire, doloresvè hinc oriundos arcere, ut sequens indicabit exemplum. Vir hone-

honestus torturam dentium al quandiu expertus est, quam plurimis præsidiis fugare, sed incassum tentavit, barbam aliàs pro more hebdomadatim radi curavit: Nescio autem an ex negligentia, vel ob dolores gravissimos pertæsus, tres hebdomadas nullam admisit novaculam, percepit hinc insigne antea passæ vexationis levamen, & placidam requiem, quam tamen minùs consuetam perferre nescivit, ceu quæ sibi molestiam creabat, ac dedecori duxit, abradi iterum jussit, sed dolores recruduerunt, propullulantes in posterum menti capillos non amplius abscindi permisit, doloresve cessarunt, Barbæ, id adscribens, tonsuram omninò intermittit, ac eam sat longam alit, ex quo nunc tempore, ore ita præmunito, hostem hunc non amplius animadvertit.

OBSERVATIO CCXXX.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

Ex Anatome Juvenis, Ulceribus Thoracis in pectus penetrantibus, defuncti.

JUvenis Vigesimum septimum annum agens, à duobus annis ab ulceribus scrophulosis in capite, circa collum, ac in pectore exercebatur, Medicastris, Carnificibus Corpus suum ita malè dispositum commisit, qui de ipsius restitutione & curatione, pro more horum nauci ac fœcum hominum, spem ipsius semper lactarunt, non subsequente autem fœtidarum harum prolium sanatione, sed aliorum malorum acceleratione, dolorumque provocatione: Miser homo, quo se vertat nesciens, Magistratus imploravit opem, quam Clementissimus nulli hoc modo egeno denegat, sed curam ipsius Chirurgo satis experto credidit, qui omnem lapidem saltem pro dolorum graviorum mitigatione, si non ulcerum persanatione admovit. Nonnunquam reconvalescentiæ spes quædam affulsit, sed mox iterum in auras abiit: Variis remediis internis massam sanguineam purificantibus, consolidantibus, balsamicis curam promovere studui, sed superiori effectu, ulcera in uno loco sanata, in altero majori impetu repullularunt. Materia purulenta copiosè sub sinistro brachio se collegit, ac exitum sibi paravit, succedebat tussis ferina, absque ullius

ullius materiæ, vel sputi excretione, huic sese associabat diarrhæa impetuosissima, contra quæ feliciter armis, remediis convenientibus puto, oppugnavi: Æger sanitatem nunc aliquam sibi promittens, diætam neglexit, appetitum se stimulantem, variis fructibus horæis, Uvis, crudis rapis, &c. : Sedari, sed suo cum damno credidit; Febris lenta hectica accessit, sitim fallere nescivit, tussis aucta est. materia purulenta ex ulceribus præsertim sub axilla ex Thorace, Venti maximo cum sibillo ac impetu egressi sunt, ut adstantes, imò extra cubiculum degentes, eum facillimè perceperint, Appetitus ad ultimum usque halitum integer permansit: Dolorum ac Vitæ satur, tandem Diem suum obiit. Cadaveris ita emaciati sectionem postea suscepimus: Abdominis integumentis tam communibus, quàm propriis remotis & sepositis, Intestina omnia flatibus repleta eminebant, aquæ in abdomine contentæ ad Mensuras duas effluebant: In omentum inquirens, parvum putredine ferè consumum ac scirrhosum, inter intestina reconditum reperi; Mesenterium plurimis scirrhosis ac scrophulosis quasi vomicis conspurcatum observavi; In Hepate præter exteriorem aliquam rigiditatem, & colorem pallescentem nihil desideravi; Vesicula bilaria non multum dilutæ flavescentis bilis condebat; Pancreas nil mali indicabat; Renes nec sanis cedebant; Lien, Lienem sanum vice simplici superabat, sinistro hypochondrio firmiter adnatus, totus quantus quantus putredine, ulceribus fœtidissimis obsessus, compressus copiosum pus stillabat. In Thorace pulmonum Lobus dexter sincerus, nonnihil tamen pleuræ accretus erat. Sed ecce; alter sinister, ex quo flatus & venti, per ulcus exiverunt, putredine planè absumtus, scirrhosus, absque pleuræ dilaceratione à Costis avelli nequibat; Costæ ab humore hoc corrosivo cariosæ redditæ animadvertebantur, ex Cavitatibus & sinubus pus albicans copiosè prodibat: Cor involucro suo inclusum magnæ quantitati liquoris innatabat, nihil præter naturale, nisi duos polypos, alterum in dextro ventriculo venæ cavæ introitu, alterum sinistro venæ pulmonalis ingressu fovebat. Diutius inspectioni huic immorari fœtor cadaverosus, temporisque circumscriptum angustum spatium prohibebant.

OBSERVATIO CCXXXI.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De

Cadaveris Fœminini Omphalocele prægrandi defuncti dissectione.

MUlier triginta sex annos nata, à matrimonio contracto pluribus infestata erat morbis, Febrim acutam, Pleuritis vera altero subsequente anno excipiebat, quas tamen feliciter superabat. Puerperium primum, in eoque partum laboriosissimum presso, ut ajunt pede, Umbilici ad pomi majoris magnitudinem procidentia sequebatur; Paupercula, tam ob rem angustam quàm etiam malum haud adeò incommodum reticuit ac neglexit. Alterum puerperium nec minus laboriosum ac diu renitens, quod annis ab hinc duobus erat, protuberantiam mirum in modum auxit, ut globum majoris molis superaret, seu si diametrum ipsius considerasses, pedem vel ultra adæquasset: Reddita hinc ad omnia officia peragendà inidonea, emaciata, anhelosa ac hectica; Sumtibus ulteriùs parcere studens, ex linteis, sed minùs dextrè confecit subligaculum, non tamen intestina in locum suum naturalem reprimere valuit, Anno plus hoc contenta, symptomata modo recensita magis increbuerunt, appetitum amisit, sitis accessit, calidos cibos rejecit, frigidos autem in deliciis habuit; Statu hoc miserrimo constituta, malo quotidie magis ingravescente, Opem Chirurgi alicujus experti, efflagitare coacta est: Subvenit ipsi statim Emplastro ac subligaculo accommodato, intestina reducere diu, sed frustra laboravit: Levamen hinc haud leve se percipere, ob pondus non ampliùs ita grave dependens, asseruit: Ob diætam verò minùs convenientem, (cùm enim Lacti & Lacticiniis frigidis nimis indulsisset, frigidam pro siti fallenda copiosè ingurgitasset, &c.) omnia in pejus ruebant, lancinationibus ac torminibus abdominis vexabatur, clinica & lecto affixa per duorum mensium decursum permanebat, tandem à doloribus exercitata nostra è vita discessit. Subsequente die defunctæ cadaver perlustravimus, tumorem aliquo modo subsidentem deprehendimus, Cutim cruciatim pro more incisam separavimus, Aponeceroses Musculorum obliquo

lique descendentium crassas valde extensas, ipsos verò Musculos planè depressos & in Hypochondriis residentes observavimus : Recti verò mirum ! ita expansi & totum abdomen obducentes, duas ferè palmas latitudine utrique superabant, separati verò ordinarios non mentiebantur ; Cæteri Musculi Abdominis, ut obliqui descendentes, corrugati, minusve conspicui in Hypochondriis degebant. Peritoneum cutis externæ crassitiem & densitatem æmulans secatu difficile, apertum, internè intestina firmiter adnexa tenebat, livescebat, grandinibus copiosissimis, quasi glandulis duris scirrhosis pisum adæquantibus conspersum apparebat : Omenti nulla ampliùs vestigia aderant: Omnia intestina tenuia æque ac crassa abdominis parietibus adnexa erant. Ventriculus, Hepar, Lien ac Renes similibus grandinosis prolibus circumdata conspiciebatur : Cæterum in Hepatis, Lienis, Renumque parenchymatibus, interiorem ipsorum substantiam concernentibus, nihil desideravimus. Uterum, qui humoris caseosi quasi micam condebat, valde parvum & corrugatum, ovaria in utroque latere ipsi appensa putrilaginosa, bis eum superabant ; Vesica urinaria corrugata, omni lotio depauperata erat, ceu quæ aliquot ante ipsius obitum dies, urinam absque ulla perceptione de se misit : In Thorace, veteris Pleuritidis umbram invenimus, Pulmones puto, sinistro lateri accretos, pleuramque materia quædam cartilagini haud absimilis vestiebat, ejusdemque lateris lobus in putredinem incurrebat ; Alter ab aliqua etiam labe infectus, à priore tamen discrepabat. Pericardium potiùs corium durum, quàm membranam tenuem credidisses, pulmonibus agglutinatum, uti & cordi affixum hærebat, ac carceri quasi angusto ita arctè Cor detinebatur, ut ab eo scalpello manu suspensa cautè quamvis absque ipsius substantiæ læsione separari ac avelli nequiverit, neve guttam quidem liquoris continebat. Cor flaccidum planè molle, ac vel solis digitis facile discerpi potuisset, in utroque ventriculo moleculas polyposas recondebat.

OBSERVATIO CCXXXII.

Dn. D. JOH. HENRICI HOTTINGERI.

De Nephritide Calculum mentiente.

VIr honestus, magnum Climactericum agens annum, Urinæ incontinentiam non absque molestia sustinuit, qua quidem pacata in

gravius incidit malum, cachexiæ indubitatum signum, pedum nimirum intumescentiam, imminentis Hydropis prodromum, qua superata, satis secunda valetudine, non tamen firma, usus est, levissimos quippe diætæ excessus respuit, contumax malum sese præstitit, ita ut tandem gravissimum lumborum ac renum contraxerit dolorem, cum quo per tres septimanas conflictabatur, non tamen dolore semper in Renum regione fixo remanente, sed per Ureteres, ad Vesicam delato, de die in diem magis ingravescente, ut dicto temporis spatio maximo ejulatu, sincerisque lachrymis βασανόν seu torturam suam summo cum adstantium mœrore expresserit: Urina supprimebatur, mox insensibiliter pauca ejus quantitas lactei coloris excernebatur, appetitus erat prostratus, vel à levi aliqua re assumpta, summos perpessus est vomitus, sitis invalescebat, absque tamen ulla febri; Perineum, anusque intumescebant, pedes stupore quasi perculsi erant; Primò cum dolores Vesicam peterent, ad orificium Urethræ, postea in medio virgæ, ac tandem in ipsa glande accusavit, ita ut omnia præsentis calculi signa adfuerint, de cujus existentia nullum nobis remansit dubium: Hinc & remedia scopo huic satisfacientia, aperientia, incidentia, demulcentia, moderatè diuretica tam interna, quàm externa, balnnea, fotus, inunctiones, &c. adhibita fuere: Explorationem cum cathetere non admisit, ad ultimum usque halitum torquebatur, mente tamen integra semper permanente, usque dum tandem mortalitatem ac simul dolores deposuerit. Ut autem veram dolorum causam & originem investigaremus, cadaver defuncti anatomico cultro subjecimus, in cujus apertura statim in renes inquisivimus, (intestinis sanorum simillimis remotis, omento tamen omnimodè absumpto,) quorum sinister naturalem duplo superabat, tunica communi ob ejus crassitiem & densitatem corio haud absimili, qua aperta parenchyma renis exesum quasi, sponte sese ab ea separabat, ipso rene dissecto copiosa purulenta ac serosa materia promanabat, in tubulis renis, ejusdem pelvi ita stagnans, ut iis digiti facilè intrudi valuerint, rene planè corroso: Ren dexter simili modo constitutus, non tamen ita magnus ac sinister: Ureteres ampli satis, eadem materia infarcti; Vesica urinaria undique pelvi agglutinata, digiti minoris transversi crassitiem æquabat, fibræ ejusdem chordarum majorum magnitudine conspicuæ erant, materia in ea contenta, seu Urina cum ea Renum correspondebat lactea ferè, sed ita corrosiva, ut manuum pruritum valde molestum excitaverit, nec

nec ullum alicujus calculi vestigium deprehendimus. Mesenterii glandulæ mirum quantum tumebant, ut juglandes multò superarint; Hepatis moles nihil infecti ac labefactati monstrabat; Lien verò externè grandinibus copiosis cartilagineam duritiem habentibus obtegebatur, internè planè putrefactus & fœtidus erat. Cor ac Pulmones naturales limites non transgressi sunt, nisi quod hi costis aliqualiter fuerint affixi. Cæteras minutias, ulterioremque inquisitionem ob temporis penuriam, fœtorisque graveolentiam prætervimus.

OBSERVATIO CCXXXIII.

Dn. D. JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI.

De

Monstruo humano absque Sexu, pedibus, &c. in Excrescentiam caudiformem desinente.

FOemina viginti sex annorum, primo in utero concepit, gestationis tempus satis tranquillè transegit; Ad quinti mensis finem Mendicus in platea Eleymosynam petens, os denudatum ab amputatione pedis relictum, pro visceribus magis commovendis prætereuntibus ostendit: Gravida hæc ab ejus intuitu, ita terrore perculsa ac commota est, ut aliquandiu eum oculis quasi infixum tenuerit, memoriaque absentis quanquam oculis inerraverit; Exactis aliquot diebus nihil ampliùs id curavit, benè sese habuit, justoque tempore partus ad noni mensis finem, sine multo nisu ac parturientium doloribus, infantem mortuum in lucem protulit, partibus superioribus à Vertice ad umbilicum ritè ac egregiè dispositis, pulcherrima mascula facie ornatum; Deformitatem & monstrositatem in inferioribus ab Umbilico nimirum ad extremum corpusculi præ se ferebat; Quod loco pedum sensim acuminatum caudæ vervecinæ instar superius tres digitos transversos latam ac crassam, inferius verò in apicem terminantem, dimidii pedis longitudine ad Umbilicum excrescentiam carnosam reflexam ossibus imprægnatam gerebat: Haud absimili modo ut Pictores Sirenes delineant, sed ordine inverso, hæ enim caudam versus posteriora demittunt, nostra verò moles umbilicum respiciebat: Nullius sexus vestigia conspiciebantur, nec urinæ

& alvi viæ patulæ vel delineatæ observabantur : Intestini Recti egressum clausum caruncula quædam globosa mollis, fungi vel cristæ galli instar obsidebat. Pro morbis autem, aliisve corporis internis dispositionibus eruendis ac detegendis, nullus magis fidus interpres Anatomiâ, halucinantibus veritatem manifestat, diversarum opinionum conciliator & Judex est, cujus testimonium sit corpusculi & infantis partim monstrosi dissectio. In Funiculo umbilicali unicam solum arteriam umbilicalem, in Aortam descendentem statim sub Renibus insertam vidimus : Pinguedo cute separata, ubique copiosè dispersa prodibat ; Musculi abdominis statum naturalem servabant ; his remotis omentum intestina involvens valde tenue, à tela aranearum haud multùm discrepabat : Ventriculus materiam mucoso-chylosam asservabat : Intestina tenuiora naturaliter constituta erant : Cœcum valdè & præter morem exiguum ac breve, ab omni materia vel excrementis vacuum, ita & colon : In Rectum ejusque exitum cum inquisiviſſemus, rudimenta, vel potiùs canaliculum corrugatum ac fere imperceptibilem deprehendimus, quatuor digitorum longum ac supra planè abruptum, per os innominatum & sacrum peranguſtum, ut infra plura dicentur, exporrigebatur, in excrescentiam fungiformem superiùs indigitatam finiebatur : Non longè hinc versus Ventriculum retractum verum Rectum, quod materia nigricante, seu Meconio turgebat, ita ut excrementis nulla patuerit via : In Hepate & Liene nihil desideravimus : Cistis cholidocha materiam dilutè flavescentem viscidam à flatibus immissis spumosam continebat. Renes utrique plani & depressi, naturalem figuram mentiebantur, dexter in diaphragmate capsulam quandam quasi sibi efformabat, in qua delitescebat, vasa, Venas, Arterias emulgentes, nervos maximè numerosos, & conspicuos recipiebat, sed nullum uretherem de se mittebat, nec hisce aliâs vesicam urinariam appensam, vel ejus vestigia solum deprehendimus ? Renes succenturiati, in Embryonibus valde apparentes, defecerunt. Defectum sexus alterutrius superiùs externè recensuimus, sed in interiore investigatione summa cum admiratione vasa deferentia mirè intorta, ut cornua uterina Brutorum supra Aortam descendentem repentia deteximus, quæ sese in Corpus aliquod callosum longum, teres, ni fallor, vesicæ rudera terminabant, & prodibant ex testiculis mirè parvis, fabiformibus ac egregiis, in utraque parte ad os pubis separatim sitis & absconditis, peculiaribus involucris ac membranis in-

lu-

clusis ; Hisce sese associabat materia quædam viscosa folliculo proprio inclusa, quam Parastatas esse conjecimus, ipsis vasa sua ordinaria spermatica, venæ & arteriæ à locis suis naturalibus porrigebantur. Testiculi hi duo nullam inter se communionem habebant; Nec Penis umbra aderat. Nuspiam Musculos Psoas carnosos, robustos ac amplos in tenellis istis, quàm in hoc animadvertimus. Pectoris contenta non multùm in admirationem nos abripuerunt, cùm naturæ cancellos non prætergressa fuerint, nisi Cor, cujus ventriculi erant simillimi, quos linea quædam externa divisit, mucronem non sinistrorsum porrexit, sed versus interiora, nec tactu majorem in dextro percepimus mollitiem quàm in sinistro, imò sinister flaccidior magis videbatur : Foramen ovale cum sua valvula & canaliculus arteriosus optimè sese manifestabant. Arteriæ & Venæ Iliacæ sese supra pelvim in duos ramos diviserunt, & in caudam superius annotatam intrabant ; Ipsa cauda ex pluribus musculis, densis, compactis, valde carnosis, robustis & rectis, qui ab osse pubis initium traxerunt, constabant, & in junctura vel finem ossis unici at extremi desinebant : Ex processu aliquo præternaturali ejusdem ossis, prodibat ligamentum, vel potiùs chorda quædam, quæ valde hoc os retrahebat ; Extremum os sola cute, absque ullis musculis, vel fibris amictum conspeximus. Corpusculum ita perlustratum ac examinatum ex eo, pro caudæ præprimis monstrositate magis detegenda, sceleton adornavimus. A Capite ad os Innominatum dictum usque omnia membra, vertebras, costas, manus, &c. naturalibus conformia, ut in corpusculo adhuc integro cute circumdato reperimus. Cartilaginem Xiphoidem sterno adhærentem bifurcam dixeris, cùm in duas partes fuerit divisa. Os Sacrum non naturæ ductu Pelvim respiciebat, sed sursum reflexum, ac exactè caruncula superiùs memorata ei insidebat. Os Innominatum planè monstrosum, ac tria ipsum constituentia ossa haud facilè à se invicem distingui valuerunt. Pelvis nulla apparebat. Ilium planum & depressum ; In Ischio nulla vestigia acetabulorum femoris ossa recipientium videbantur : Pubis verò sursum valde elatum, caput ferè avis cum rostro suo depingens, duo exigua foramina fovebat, ex rostro seu processu chorda ista, vel ligamentum forte ad junctura sese extendens exivit. In inferiore dicti pubis ossis parte, acetabulum sive cavitas insignis conspiciebatur, ex qua legitima enarthrosi, os femoris unicum, sed naturali duplo majus inversum egrediebatur, quod caudam istam putatitiam

titiam efformabat, supernè processu satis conspicuo ornatum, cui ligamentum & musculi infigebantur, in inferiore parte solitò latius & depressius, cui & appensæ duæ patellæ distinctæ in ordinaria, sed magna articulatione observabantur. quæ non extrorsum, sed introrsum respiciebant: Os hoc Femoris Tibiæ solius, absque Fibula, frustum quasi ab amputatione relictum, duorum digitorum transversorum longitudine, excipiebat; Ex quo vis & virtus matris in utero habentis à terrore à Mendico superiùs allegato, perculsæ eluceſcit, caudam istam putatitiam nihil aliud, quàm femur amputatum Embryonique impressum fuisse; Quæ per hanc perlustrationem anatomicam ab omni infamiæ labe ac mali & protentosi ominis conjectura liberâ redditur.

Quo verò Monstri hujus descriptio clarior reddatur, accuratiùsque cognoscatur, Figuram heic apponere lubuit.

Figura XL.

A. A. A. Infantis Superior pars naturaliter constituta.
B. Funiculus Umbilicalis.
C. Caruncula fungiformis.
D. D. D. Excrescentia Inferior monstrosa instar caudæ.

Figura XLI.

A. Portio ossis Sacri reflexi.
B. Os Ileum planum.
C. Os Pubis elatum & prominens.
D. Os Femoris.
E. E. Duæ patellæ.
F. Vestigium Tibiæ relictæ.

(*Tiguro Augustam Vind. d. 9. Aprilis An. 1705. missæ.*)

OBSERVATIO CCXXXIIII.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.

De Morte ex Vulnere Intestini Recti.

GEorgius Hermanni, miles gregarius Legionis Vellingianæ, Anno 1702. die 23. Aprilis, extra Civitatem nostram Stadensem, in Diversorio, quod ad ultimum Obulum vocatur, inter pocula Cerevisiæ Bremensis, quæ inter alias hujus regionis pro generosissima habetur,

Fig XL. pag. 216.



Fig. XLI.



EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

betur, & lusus Corporum, à verbis ad verbera & tandem gladios veniebat, in quo tumultu vulnerabatur, & 25. ejusdem mensis, cum febre & singultu moriebatur. Inspectum Cadaver, inveniebatur hinc inde lividum & Sanguine suffusum, scrotum gangrænosum, abdomenque distentum. Aperto Abdomine, Vulnus quod inter Costam veram ultimam, & spuriam primam, lateris sinistri, punctim cum Gladio lato acceperat, longitudinem pollicis habebat, penetraveratque per Diaphragma, propè Costas descendens ad Intestina, illæsis Ventriculo & Liene. Statim post aperturam Abdominis, fœtor gravis Nares feriebat, & Intestina flatibus distenta ac excrementis conspurcata in conspectum veniebant. Sedulò quidem Chirurgus vulnus intestinorum, quærebat, sed invenire hactenus non poterat. Tandem jubebam ut stomachum cum reliquis Intestinis & Mesenterio cultro aufferret, atque ablueret, prosequendo à Pyloro usque ad Intestinum rectum, manupressione illud quod scybalorum adhuc in Intestinis restaret. Hoc facto, Vulnera duo, per exitum excrementorum se prodebant in Intestino recto. Hæc quidem non penetraverant per transversum totum Intestinum, sed illud ab uno latere, sinistro scilicet, læserant, distabant à se invicem dimidio Pollice, unum superius, alterum depressius, fibras transversim secando, quorum labia jamtum gangrænam perpessa fuerant. Quamvis vero nec Arteria magna, nec Vena cava, aliaque vasa sanguifera grandiora læsa fuerunt, attamen non contemnenda Sanguinis extravasati pars cum excrementis mixta inveniebatur in abdomine, quæ invicem fermentata, Gangrænam partibus induxerant, atque Symptomata, mortis prodromos, induxerant, quia neque Vulnus Diaphragmatis & Intestini, ut decebat, legitimo modo deligari, nec iis Medicamenta idonea adhiberi potuerunt.

OBSERVATIO CCXXXV.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.

De Mensium Fluxus Immodiei Remedio.

AD hanc Observationem recensendam, ansam mihi præbuit Observatio 182. Decadis III. Anni VII. & VIII, ubi agitur, de Lochiorum, sive Sanguinis immodici profluvii remedio domestico pro-

batissimo. Novimus, quod Dies diem doceat, & Praxis semper, ut quondam Africa, aliquid novi afferat, nec semper ea remedia contemnenda esse, quæ ortum à Vetula, vel Circumforaneo ducunt, quandoquidem etiam illi sua remedia de progenie in progeniem ex Medicis hausérunt. Ante viginti, & quod excurrit, annos, Verbi Divini Præconis Uxor, propè Hamburgum, in Vico Nienstädensi, plurium Liberorum mater, incidit, nescio ex quo fato, in hæmorrhagiam Uteri, per multos annos plurimorum Medicorum remedia eludentem, unde adeò emaciata, ut continuè Lectum premere cogeretur, ex quo etiam Filiæ nuptiis prospiciebat. Tandem consilium dabatur, ut caperet Serici, Cocco tinctorio infecti fila (quæ Gallis Carmocsii audiunt,) eaque forsicula in minutissimum pulverem conscinderet, hujusque pulveris Scrupuli ferè quantitatem manè & vesperi cum Cerevisia calida hauriret. Hoc medicamento aliquanto tempore continuato indies melius habere cepit, & si bene novi, adhuc hodie, Vidua quamvis, benè valet. Cum etiam ante duos annos mihi idem Symptoma occurreret, in Civis hujus loci Uxore, cujus Maritus Tabaci Folia in filum ducebat, & plurima Medicamenta frustra à me tentata essent, etiam superius allatum levamen ad manus sumebam, & cum tempore sanabat eam Dominus. In quo autem hujus remedii vis consistat, dicere audacter non possum. Adscribunt quidem Botanici Cocco tinctorio & Granis Chermes, quibus inficitur Sericum, vim adstringentem & Cordialem, nihilominus etiam nonnullis Medicis in quibusdam compositis suis intermiscere Sericum crudum placuit, utri autem ex his vera adstringendi hunc fluxum causa adscribi possit, Clarissimis Viris acutioris ingenii dijudicandum relinquo.

OBSERVATIO CCXXXVI.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.

Ex Anatome Crapula defuncti.

ANNO 1703. Artis Pyrobolicæ præfectus, inter præsidiarios hujus Civitatis, in consuetudinem induxerat, ut assiduè Cereri & Bacho litaret, insuper propter denegatam à Tutoribus Dotem, Uxo-

Uxorem malè haberet. Hic cum Uxoris Soror germana morbo epidemico moriebatur, & 29. Novembris sepeliebatur, lætus sub spe largæ hæreditatis funus comitabatur, domum reversus, Mero, Vino canariensi, & ustulato in seram usque noctem strenuè se perfundebat. Postero mane 30. Novembris, hora nona, filum quo disruperat, rursus annectebat. In Pharmacopolio duas Aquæ vitæ cyathos hauriebat; Inde discedens, intrabat popinam, quæ à Bilance nomen sortita erat, quia ibidem merces ponderantur, ibidem cum aliis Sociis Sextarios sedecim Vini Canariensis haurit, cum Vini ustulati Cyathis quibusdam. Socii Vino onusti, & fermè sui non compotes, unus post alium, nostrum Helluonem deserunt, & clam se subducunt, hic autem jugiter cantans & propter mortem Sororis exhilarans animum, in frigido conclavi Scamno insidens, tandem profundè obdormiscit. Hospes interim cum suis prandebat, cum vero postea res domesticas curaret, audit secundam circa pomeridianam, cadentem molem. Investigat & invenit ebrium suum hospitem in terra jacentem. Fit è vestigio rumor, domestici accurrunt, revocillare cupiunt, sed nullus aderat Spiritus, qui cum Vini spiritibus, nescio quò, discesserat. Veniunt cum Patre Mater & Uxor, quævis tentantes, sed frustra. Mater injuriosis verbis Hospitem aggreditur, occisorem Filii increpans; Fama volubilis per totam Civitatem semihoræ spatio pervagatur, imò etiam ad Vice Regem pervenit, qui extemplò mecum Chirurgum Civitatis Seniorem, Dominum Henricum Platen, qui curæ præerat Bombardaricæ rei præfectis hominibus, mittit, ut corpus inspiceremus, quod vespertina hora quartâ factum. Nos audientes verba injuriosa Matris, memores moniti quod Dn. D. Welschius in tractatu suo, quem de inspectione Vulnerum lethalium inscribit, Capite is habet, non superficialiter rem agendam esse rati, aperturam Cadaveris, quamvis acriter renuente Matre defuncti, concludimus. Facta igitur denudatione, nullam usquam inveniebamus plagam inflictam, præter suffusionem leviusculam circa Clavículas in superiori parte sterni. Aperto Abdomine, ingens pinguedinis vis in corpore Athletico se detegebat, non solum sub cute, verum etiam in ipso Omento. Hoc sublato Hepar maximi ponderis se prodebat, utrumque Hypochondrium implens, tegens Stomachum, & Lienem parvum ferè abscondens. Ventriculus flaccidus erat, & pauca cochlearia mucosi (nescio utrum Chyli dicam) vinosi acriter nares ferientis l quoris con-

tinebat Forma non erat solitô Lunata vel falcata, verum recta, sacculi colatorii propendentis instar, versus Pylorum & Duodenum pedetentim se contrahentis. Intestina Vinoso liquore referta. Reliquæ hujus regionis partes omnes sanæ erant. In Thorace Pulmones non coalitæ Pleuræ, nulloque ulcere affectæ, verum non adeò vividi coloris erant, propter Sanguinis coagulati copiam, à quo distendebantur. Cor magnitudinem solitam excedebat, musculosum, pinguedine obductum, in Pericardio ut decet, occlusum. Ventriculi Sanguinis copia repleti erant, qui post aperturam adhuc diffluebat. In Cranio pariter omnes partes sanæ, & intemeratæ inveniebantur, ita ut si hic homo sobriè, modicè & Medicè vixisset, Methusalæ annos attingere potuisse credidisses. Causa igitur improvisæ hujus mortis, non alia, ut videtur, dari facilè potest, quam quod Spiritus exiterato immodico Vini & adusti vini usu, Sanguini per circulationem communicati, massam illam solitô rariorem & fluidiorem per suam fermentationem reddiderunt, quæ per pulsum Cordis ac Arteriarum in minutissima & capillaria vasa propulsa, propter angustiam osculorum venularum, non adeo citô absorberi & reduci potuerat, ambiens, etiam externum frigus sensim ac sensim stagnationem juvabat, somnus etiam circulationem aliquo modo tardiorem reddens pedetentim Pulmones & ipsos Cordis ventriculos nimio Sanguine replebat, & sic suffocationem & mortem homini inducebat. Quam lubrica igitur via vitæ nostræ in Mundo hoc immundo est? quoties cogitant Homines in diem viventes, cum divite illo Helluone apud Sanctum Lucam: Anima mea, habes multa bona reposita in annos multos, requiesce, commede, bibe, oblectare. Sed quid respondet Dominus? Demens, hac nocte Animam repetam à te, quæ vero parasti, cujus erunt? Justa etiam semper fuerunt judicia Domini qui non in momento punit delinquentes, verum pœnam ad tempus differt, ut tarditatem gravitate compenset. Hic enim defunctus ante non nullos Annos Author fuerat occisi alicujus Scholaris in hac Civitate, Juvenis bonæ spei, & matris Viduæ filii, qui exanimis in ædes Matris deferebatur. Nunc hujus Mater parem patitur fortunam, & quod adhuc magis dolendum, à Magistratu sepultura honesta denegatur.

(*Missæ Stadâ Chilonium ad Excellentissimum Dn. D. Schelhammerum & ab hoc Norimbergam d. 25. Maji 1705.*)

OBSER-

OBSERVATIO CCXXXVII.

Dn. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI BAUTZMANNI.

De

Morte ex Nimia Panis Ingurgitatione, Subitanea.

IN præcedenti observatione de morte ex nimio potu egi, nunc de nimio Cibo etiam exemplum afferre constitui. Gregariorum Militum non semper lautam esse conditionem, illi norunt, qui in Castris, aut extra Castra, cum his hominibus commercium habent. Quamvis illi, qui Stipendio suo contenti, sobrii vivere cupiunt, conqueri non opus habeant. Anno 1704. quarto Januarii, Miles gregarius, Andreas Teutsch, natione Polonus, ex Legione Guldensterniana, qui alias Vino ustulato assuetus, & stipendium suum hoc potu ferè consumens, Pane aliquando egens, hunc cibarium domesticum, qui hic loci bene acidus & furfure repletus coquitur, ex hospite mutuo petebat, & hujus bene magnam quantitatem famelicus pro Cœna ingurgitabat siccum, extollens gratum illius saporem, præ alio, qui à Pistoribus ordinarie venditur, cæterum sobrius Lectum hora usitata petit. Mane in Lecto pronus jacens mortuus, & facie reddito per vomitum Panè, cujus portio Os adhuc replebat immersus reperitur. Præfecti Legionis mortis subitaneæ causam avide scire cupientes, Cadaveris aperturam postulabant, quæ etiam quinto Januarii per me & Chirurgum Legionis primarium, Thomam Bencken fiebat. Inveniebamus autem Viscera omnia intaminata, & Ventriculum cibo vacuum. Causam subitaneæ mortis non aliam dare potuimus, quam quod Panis hic siccus, Cereviſia super hausta secundaria, adjuvante calore Lecti, in fermentationem pulsus, Ventriculum præter capacitatem repleverit, qui ita distensus & in altum sublatus Diaphragma presserat, & per compressionem magis ac magis Oesophagum coarctaverat, ructibusque exitum præclusterat, unde Cardialgia, nervorumque Ventriculi & Diaphragmatis convulsiones epilepticæ, in quo Paroxysmo dum pronus jacuerat, & hinc inde fortassis se volutaverat, subsecutus Vomitus, & cum juvare se,

aut aliorum opem implorare non potuerit, præclusò Spiritu hominem misere suffocavit.

(*Stadâ Augustam Vind. d. 8. Junii Anno 1705. missa.*

OBSERVATIO CCXXXIIX.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De Catalepsi biduana, cum Palpitatione Cordis horrenda in moribundo.

ILLustrissimus Comes ac Dominus, Dn. Johannes, Comes in Nassau / Saarbrücken & Saarwerden / Dominus in Lahr / Mißbaden & Ysenstein / Dominus meus gratiosissimus (utpote, cujus Illustrissimæ personæ, atque Familiæ Medicus t. t. eram,) jam Septuagenariô major, à longo tempore calculi ac podagræ doloribus assiduis misere excruciatur, jamque semestri spatiô lectulo continuè affixus ac tandem spasmô cruris alterius, marasmô senili & gangrænâ intestinali planè confectus & exhaustus biduô ante obitum *Catalepsi* stupenda corripitur ita, ut veluti somno profundo detentus, patentibus tamen oculis, fixus quasi ac immobilis jaceret, inque isthoc statu ad mortem usque permaneret: Quam demum horrenda *cordis palpitatio* (pectore palmi altitudine aliquoties subsiliente, ita, ut ipsius cordis crepaturam metueremus adstantes) præcedens vitæ pariter ac dolorum finem faciebat, ætatis Anno 74. die 23. Maji, 1677.

ORSERVATIO CCXXXIX.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De Anatome pueri ascitici.

ANNO sequente 1678. mense Aprili *Clarissim. Dn. M. Ayreri*, t. t. adhuc Præceptoris Classici in Illustri Gymnasio patrio Darmstatino (eô namque Superiori Anno post obitum Illustrissimi mei Comitis ac Domini præmemorati glorioss. memor. Idsteniô redieram, civibus ac popularibus meis deinceps medicinam facturus,) filiolus qua-

quadrimulus hydropicus curæ meæ aliquamdiu commissus, malo arte docta plus valente, moritur. Cujus corpusculum seq. die sectioni subjectum seqq. nobis exhibuit spectanda:

1.) Omentum & pinguedinem renalem omnem corrupta & ferè colliquata.
2.) Hepar & Lienem scirrhosum & utrumque justô grandius.
3.) Abdomen, ventriculum atque thoracem ferò multo repleta.
4.) Hydatides S. vesiculas in mesenterio plurimas aquâ plenas.
5.) Renes decolores, exsangues & flaccidos.
6.) Testiculorum alterum corruptum; alterum intùs (ἀνόρχης enim erat,) in abdomine latentem, & sanum.

OBSERVATIO CCXL.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

Ex Puelli rhachitici anatome.

CUm Anno 1681. mense Martio Darmstadii Domini N. N. *Schlerfii*, Scholæ oppidanæ Collaboratoris filioli ferè bimuli, rhachitici, ac jam tabe fermè consumti, & emaciati curam paucis diebus agerem, isque post crebras convulsiones & lumbricum longum ἄνω excretum repentè obiisset, corpusculum defuncti, Parentum permissu, à Chirurgo *Tilemanno*, me præsente apertum seqq. visa reperta dedit:

1.) Hepar inusitatæ magnitudinis, ultra scil. ℥xj. pendens.
2.) Ventriculum extenuatum & vix septem pollices transversos longum.
3.) Pulmones itidem satis vastos & ex parte liventes ac nigricantes.
4.) Lumbricum vivum adhuc, sex horis ab obitu in tenui intestino repertum.

OBSERVATIO CCXLI.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De Anatome Cachectici pleuripneumonici.

ANNÔ 1682. die 4. Novembr. decubitus autem sextâ pleuritide exquisita in peripneumoniam degeneratâ obiit Darmstadii *Franciscus*

ciscus *Fridericus Slütter*, *Corbacô-Waldecceus*, aurifaber eximius, ætatis Anno 39. Cujus corpus paucis ab obitu horis, *Viro Nobilissimo Amplissimo & Experientissimo* Dn. *Johanni Bartholomæo Schleiermachero*, *Consilario & Archiatro Darmstatinò* b. m. ac Me, qui ambo ægroto medicinam feceramus, præsentibus, à prædicto Chirurgo *Tilemanno* incisum seqq. spectanda præbuit:

1.) Abdomen (quod grande satis atque vastum vivo fuerat,) intra panniculum adipocarnosum ac peritonæum lymphâ plurimâ scatebat, quæ cute incisa ubertim exiliebat.

2.) Omentum ferè putrilaginosum ac friabile partimque scirrhosum erat.

3.) Jecur incredibilis ferè magnitudinis, XII. videl. librarum cum dimidia, totum ferè scirrhosum, grandinosum & sanguine grumoso refertum, ipsique diaphragmati, costis firmissimè adnatum erat; hinc universam penè abdominis regionem occupans ventriculum juxta cum intestinis ad latus sinistrum, lienis regionem versus detruserat.

4.) Bilis cum suo sibi folliculo planè deficiebat, & quâ parte porus choledochus intestino duodeno inseri debuerat, gangræna deprehendebatur.

5.) Lien itidem scirrhosus libras III. cum dimidia pendebat, firmiter & ipsi diaphragmati adnatus.

6.) Pulmones & ipsi scirrhosi ac sanguinis thrombis referti, ac dextra parte sive lobo gangrænosi conspiciebantur.

SCHOLIUM.

ÆGer iste ætate prægressa, suasu Magni cujusdam Practici, Acidulis Schwalbacensibus, insigni cum alleviatione, velut ipse fatebatur, usus fuerat verùm eheu! brevi subsequente tristi hacce catastrophe.

OB-

OBSERVATIO CCXLII.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De

Calculo vesicæ ℥j. pondere citra sectionem excreto.

SUb initium Anni 1683. Uxor Jean N. N. natione Galli, barbitonsoris Darmstatini., calculum mihi ostendit magnitudine castaneæ grandioris & ℥j. pondere, quem citra sectionem, solo usu balnei ἐυκρασίας & paucorum remediorum internorum, à semetipsa exclusum fuisse ajebat ante V. & amplius annos.

OBSERVATIO CCXLIII.

Dn. D. JUSTI GRIDERICI DILLENII.

Ex Anatome Phthisici.

EXuviæ Illustris Domini à W. ab & in E. sub autumnum Anni ejusdem 1683. hæmoptysi repentina, lethali, ex phthisi chronica piè defuncti, & à B. *Dn. Schleiermachero*, *Archiatro Darmstatino*, & B. D. D. *Elvvertho*, *Physico*. *Bentzheimensi* & *Archiatro Moguntino* (Qui duo mecum juxta & cum B. D. D. *Geilfusio*, *Seniore*, *diversorum* S. R. I. *Principum ac Statuum*, & *paulò ante quoque Serenissimæ*, *Landgraviæ Hassо Darmstatinæ*, *Viduæ*, *Regentis ac Tutricis Consiliario* & *Archiatro felicissimo* & *longè latèque famigeratissimo* Illustri Ægro bene diu medicinam fecerant,) exenterati sequentia intus dedere spectanda, manu prælaudati *Dn. Schleiermacheri* consignata mecumque communicata:

1.) Omentum planè putridum atque corruptum.
2.) Intestina in naturali situ locata: Illei verò portio in dextra regione livida & succo quodam glutinoso ac fusco intus in cavitate obducta. In principio coli locô intestini cœci tuberculum quoddam pure crasso ac cineritio repletum visebatur.
3.) Pancreas extenuatum & membranas tantùm referens.
4.) Mesenterium tuberculis carnosis succum quendam crassum purisæmulum foventibus refertum,

5.) Ventriculus sat amplus, at justô tenuior amurcam furvam continebat, ejusque parietes muco ejusdem coloris inviscati erant.

6.) Hepar coloris & substantiæ laudabilis, exceptâ inferiori dextræ partis extremitate, quæ colore nigricante, sed superficietenus tantùm tincta erat, libras IV. cum dimidia pendens.

7.) Cystis fellea vitio carens mediocrem bilis portionem continebat.

8.) Lien etiam quoad colorem, parenchyma & magnitudinem inculpabilis erat.

9.) Ex Renibus sinister dextro minor erat, octo calculis minoribus & uno majore rostrato caput columbinum figurâ & magnitudine exprimente, rostroque ad ureterem pertingente ac ʒß. minùs octo granis pendente in pelvi repletus. Dexter labis expers.

10.) Diaphragma in sinistra regione coloris subflavi, non adeò firmum quâ parte pulmones ei adnati erant.

11.) Pulmones magni in parte convexa anteriori sternum versùs cineritii coloris maculisque nigris interspersi, steatomatibus innumeris & hinc indè vomicis amurcam putridam & congelatam quasi recondentibus infarcti, & non solùm diaphragmati, ceu dictum, sed & pleuræ sinistræ ac tergo adnati erant, in quo latere sinistro, cochleæ instar, in inferiori extremitate contorti apparebant, haud secus ac si cavitas thoracis liberæ eorum expansioni eo loco non sufficisset.

12.) Pericardium mediocrem lymphæ quantitatem continebat.

13.) Cor decentis magnitudinis colorisque naturalis, dextra verò ejus auricula & ventriculus sanguine atro & concreto (qualis etiam in vasis majoribus continebatur) infarcti & turgentes; sinistra v. regio inanis & exsanguis erat.

14. Cranio denique resecto cerebrum grande coloris naturalis, meningesque decenter constitutæ, vasa verò sanguine turgida se conspectui dabant. In fundo duplicaturæ matris duræ S. falcis, paulò infra principium futuræ lambdoideæ duritiem quædam solidâ digito meo investiganti se offerebat, quam, novitate rei accensus, moræque impatientior æquò, non eâ, quâ par erat, sedulitate perlustrabam, sed nimiùm properans, ut particulâ illâ durâ ac solidâ potirer, osticulum aliforme aliquali vi, ac si à membrana divelleretur, eduxi: Cujus longitudo digitum transversum, latitudo verò dimidium, & crassities dorsum cultri mediocris circiter æquant: Una superficies nonnihil convexa rimis

rimis profundioribus nuclei juglandis instar ; alter vero planior, protuberantiis nonnullis minutissimis insignitæ apparerent ; In extremitate altera particulam filamenti membranosi, nunc, post exsiccationem vix conspicuam quâ meningi adnatum fuisse existimo, ostendens.

OBSERVATIO CCXLIIII.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De

Mammæ Sinistræ exulceratione in cancrum apertum Facessente curatâ.

CUm vertente Anno 1685. Werthemiæ cum familia appulissem, ab Illustrissimis & Excellentissimis utriusque lineæ Comitibus regentibus ac Dominis à Löwenstein / Wertheim / Virneburg, &c. Comitibus ac Dominis meis gratiosissimis ad Archiatri simul ac Physici ordinarii spartam obeundam Darmstadio evocatus, inter alios ægros imprimis oblata & à D. D. *Allmachero*, *Prædecessore meo b. m.* curæ fideique meæ commendata fuit Conjux *Viri plurimùm Reverendi atque Clarissimi*, Dn. N. N. *Firnbaberi*, *Pastoris & Ecclesiastæ Wertheimensis*, è puerperio vix tum egressa, quæ mammæ sinistræ erysipelate jam ante puerperium correpta fuerat : Quod cum à barbitonsore Wertheimensi minùs ritè curatum in ulcus apertum transiisset, parum aberat quin in cancrum exulceratum degenerasset: Quicquid tamen, divina benedictione præstite, multisque generosis auxiliis ac remediis magno studio ac labore diu multumque adhibitis, quæ inter palmam ducebant, præter *universalia*, *VS.* scil. iteratam & *purgantia adpropriata* bene diu continuata, nec non *diaphoretica varia*, *decoctum* nempe *lignorum primum* atque *secundum* cum *mixtura simplici* & *tinctura bezoardica salibusque volatilibus* longo item tempore usurpata, *Cerevisia medicata Timæi à* Güldenklee / *l. 4. Cas. Medic. 39. Succus millepedarum cum vino expressus* ; Et *externè*, ab initio quidem *Emplastrum ex vernice*, *medulla crurum vituli*, *œsypo*, *croco & cumino* tritis è *Jonstono*, item *Emplastrum de sperm. ceti Mynsi. Oleum momordicæ. balsamum Sulphuris terebinthin. balsi. Peruvian. Empl. diasulph. Rul. & Saturnin. Mynsi.* &c. præcautus atque præventus est ; ita, ut abhinc bene habuerit, & sequenti Anno 1687. cum Marito reverendo Hamburg-

burgum, ad Ecclesiastæ munus ibi obeundum Werthemiâ evocato salva & incolumis abierit.

OBSERVATIO CCXLV.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De

Venæsectione puerulis bimulis, trimulis, quinquennibus, septennibus &c. utiliter adhibita.

ANNO 1686. sub finem Aprilis ad initium Maji mensium *Johan. Haasii*, Scriniarii aulici Wertheimensis filiolus ferè septennis *hepatite* S. *inflammatione hepatis* periculosè corripiebatur, indiesque in pejus ruebat, alterantibus, deobstruentibus, diaphoreticis, & hepaticis vulgò dictis, formâ emulsionum, Mixturarum, liquidarum & spissiorum, apozematum, Juleporum, unà cum enematis, glandibus, epithematis &c. jam triduô frustra adhibitis; ita ut æger anhelans & æstuans jamque delirio proximus de vita periclitaretur. Supererat unicum remedium *Venæsectio*, quam verò pertinacissimè ob ætatis teneritudinem, parentes filioli renuebant. Donec à Pastore loci ac me seriò persuasi, quarto demum die morbi hanc admitterent. Quâ proindè in basilica dextri cubiti institutâ sanguinis fervidi & quasi fumantis, penitusque corrupti & purulenti (adeò ut statim à VS. peracta ne circulum quidem extimum sanguinis veri ac rubicundi retinuerit) ℥ij. circiter eductæ fuere, insigni cum alleviatione pueri parentumque gaudio. Hinc ægrotulus die seq. iterationem VS. instanter urgere, ac sine ea sese ad sanitatem nunquam perventurum seriô affirmare. Cum ergo calor p. n. vix tantillum imminutus esset, pulsusque celerrimè adhuc micaret, altero die ad petitionem pueruli medianam sinistri cubiti similiter incidi, sanguinemque ad ℥ij. denuò emitti curavi, qui priori vix tantillum melior, sed ita uti ovo ovum similis illicò deprehensus est; ægrotulo interim, indies meliusculè degente, tandemque *alterantibus & confortantibus anticachecticis* aliquamdiu adhuc exhibitis, ac demum, *eccoprotico lenitivo* propinato, circa 14. morbi diem plenè convalescente. Cujus fraterculus natu minor & quinquennis adhuc quum sub finem anni hujusce eodem malo corriperetur, & Parentes, me sorte

te absente, Pharmacopolæ cujusdam ad incitas redacti & seplasiarium agentis consilium requisivissent, ille, sanguinis eductione prohibita, imò damnatâ, puellum, nescio quibus *repellentibus* atque *purgantibus* imprudenter adhibitis, brevi tempore pessum dedit inque hecticam lethalem conjecit. Contra puellus Turcicus quinquennis adhuc (quem Bassæ cujusdam filiolum à milite Cæsareo captum affirmabant; quippe liberali facie præditum & à Sereniſſimo Principe ac Domino, Dn. *Wilhelmo*, *Hassiæ Landgravio*, Rotenburgi Hassorum t. t. residente Illustrissimæ Socrui suæ, Dominæ Comitissæ Viduæ à Löwenstein &c. natæ Fürstenbergiæ dono datum,) eodem Anno sub initium Novembris febre continua, cum cephalalgia insigni & vigiliis deliriisque per intervalla correptus, omnia medicamenta respuens & aversans, solâ *Mixtura simplici* dictâ in potum ordinarium, qui *decoctum C. C. citratum* erat, instillatâ, & VS. largiusculè administratâ (ipso Sereniſſimo Principe *Wilhelmo*, & approbante & jubente) exhibito tandem *purgante lenitivo*, restitutus est. Eodem modo & anteà Darmstadii ac Küsselshemii pueruli aliquot bimuli, trimuli catarrhô suffocativô correpti, & posteà hoc Giſſæ duo filioli mei t. t. quinquennes adhuc, aliique plures febribus continuis graviter laborantes, antifebrilibus ac bezoardicis optimis per aliquot dies frustrà exhibitis, febrique continua jam in ardentem vel malignam degeneraturâ, sanguine ad ℥ß. ℥j. ℥ij. emisso, diaphoreticisque ac bezoardicis iteratò propinatis, per DEI gratiam integrè convaluere, hodieque adhuc superstites ac sani degunt. Ut proinde Scriptores Medici, quâ veteres, quâ Neoterici, Venæsectionem in pueris æquè ac senibus (nam & octogenariô majoribus in cephalæa clavoque capitis &c. utiliter adhibitam memini) promiscuè damnantes non sint audiendi: Bene verò *Guilh. Fabricius Hild. Cent. 6. Observat. 47. fin. Leonhard. Bottallus, l. de Curat per sanguinis mission. C. 2. Joh. Theod. Schenck. Dissertat. Academ de Venesectione, Dec. 2. Probl. 6. p. 53. seq. Volckamer. Observat. CCXXII Dec. I. Ann. II. Ephemer. German. Natur. Curios. Bruno, in* Notis ad *Jessen. judic. de Sang. VS. dimiss. pag. 75. Bohn. de Officio Medici, C. 1. p. 16. aliique.*

OBSERVATIO CCXLVI.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De Ictero & doloribus colico-nephriticis è Calculis cystidis felleæ.

EOdem Anno 1686. Uxor *Domini Michaëlis Hotzii, Senatoris & Cauponis Wertheimensis ad insigne Catenæ* doloribus colico-nephriticis aliquamdiu torta, indeque ictero correpta, tandem post usum variorum anticolico-nephriticorum, internorum pariter ac externorum, anodynorum, eccoproticorum, linimentorum, epithematum, enematum, insessuum &c. lapillos plusculos, fulvos omninò, ac si felle tincti essent, in trullam sedili nocturno superpositam non sine stridore per alvum excrevit, quos è cystide fellea per porum choledochum in intestina descendisse & color flavus, & dolores in hypochondrio dextro ab ægra bene diu perpessi verisimile faciebant: Prout calculorum istiusmodi in vesicula biliaria collectorum passim mentionem faciunt observationes Medicorum.

OBSERVATIO CCXLVII.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De

Paralysi digitorum quorundam particulari, ob sectionem venæ basilicæ malè peractam.

EOdem Annô cerdo juvenis Wertheimii serviens me accessit, medium & annularem dextræ manus digitos paralysi affectos ostendens, qui, post sectam sibi ante annum, ni fallor, à barbitonsore basilicam in cubito venam id mali contigisse conquestus remedium, si quod daretur, expetebat. Cui ego, vel tendinem musculi bicipitis,) quem in VS. cubiti caveri debere *Thom. Bartholinus Anat. Reform. l. 4. C. 8. p. m. 571.* cum *Jo. van Horne, Microtechn. p. m. 149.* monet) vel ramulum nervi spinalis quartæ vel quintæ conjugationis ab imperito aut improvido barbitonsore læsum procul dubio esse respondens, facto prognostico de difficili, si non impossibili restitutione in integrum,

grum, *fomentum* atque *balneum* ex herbis ac floribus *nervinis* & *specificis antiparalyticis* cum *linimento simili* præscripsi, jubens, ut remedia hæcce topica non tam digitis malè multatis, quàm ultimi colli primisque thoracis vertebris, unde nervi digitos istos musculorum ope flectentes prodeunt, adplicaret, exemplo *Galeni*, *l. 3. de locis affect. C.* X. laudante *Rolfincio laudatissimo* in elegantissimo ac eruditissimo *Dissertation. Anatomicar.* opere *l. c. i. p. 10.* Cæterùm an adhibuerit hæc remedia cerdo iste, & quidem cum εὐφορίᾳ, nec ne, me latet hactenus; Neque enim exindè ad me rediit, verùm aliò non mulò post sese contulit.

OBSERVATIO CCXLIIX.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

Ex Hydropicæ Anatome.

ANNO seq. 1687. feriâ II. Pentecostes, quæ fuit 16. mensis Maji st. v. *Georg-Ulrici Weinmari*, Vietoris Wertheimensis Uxor 42. annorum ex hydrope ascite obiit, cum jam de mola, jam de nescio quo animalculo vel monstro in abdomine suo abscondito ipsi pariter & mulierculis aliis ægram subindè invisentibus suspicio fuisset. Hujus cadaver, ad instantiam ipsius defunctæ, cum in vivis adhuc esset, æquè ac mariti postridiè me præsente à barbitonsore apertum sequentia nobis exhibuit spectanda:

1.) Abdomen universum aquâ vel serô subflavo repletum, ita ut ad amphoram dimidiam Wertheimensem excisione facta, tanquam è dolio serum exsiliverit.
2.) Omentum putrilaginosum ac penè friabile.
3.) Intestina admodùm inflata & serò oppleta.
4.) Hepar contortum, exile, fracidum atque scirrhosum.
5.) Lienem justô latiorem, sed breviculum, cæterà verò sanum, uti & renes ac reliqua.
6.) Pulmones lividos, nigricantes, gangrænosos, intusque pure oppletos.
7.) Cor semiflaccidum ac ferè exsangue.
8.) Uterum (quem ipsæ mulierculæ adstantes videre gestiebant eô magis, quò minùs barbitonsor ineptus eum statim invenire poterat,)

terat,) satis exilem & planè corrugatum ita ut mulierculæ præsentes vix uterum esse adseveranti mihi crederent, existimantes scil. ob molem in gravidis aliàs conspicuam, esse debere.

Monstrum horrendum, informe, ingens istud autem omninò ridiculum erat, & grassam balneatoris ignorantiam manifestò arguebat, quando is ingentem abdominis molem ac ventriculi præsertim sero itidem pleni tumorem ante corporis incisionem conspicatus in hæc verba erumpebat: Bone DEUS! quàm grandes ac inflatos habuit pulmones hæc mulier! quo scil. in ventre latere persuasum habebat inepturiens; adeò versatus in anatome ac hospes aliquis in aliena regione; Hæc mulier primo matrimonii Anno puerum, enixa erat, indè verò per sex annos & ultra ad vitæ finem usque permansit ἄτεκνος.

OBSERVATIO CCXLIX.

Dn. D. JUSTI FRIDERICI DILLENII.

De

Febre lenta ἐφημερώδει, antiscorbuticis inprimis & martialibus Subacidis tandem expugnatâ.

EOdem Anno 1687. circa medium Octobris Illustrissimæ Dominæ Comitissæ Viduæ à Löwenstein / Wertheim &c. lineæ Evangelicæ filiola septennis privigna, febre lenta continua cum repentina, virium prostratione ventrisque torminibus ac insequente diarrhæâ colliquativâ; βαρυκοιΐᾳ, ὠλαλγίᾳ & scotomate vertiginoso, syncope item, tussiculâ siccâ & successivâ totius consumtione, ita, ut vix tandem cutis ossibus hæreret & sceleto vivo ferè similis esset Illustrissima puella; præter ordinaria febrium symptomaticarum symptomata, calidam scil. totius intemperiem, sitim p. n. delirium per intervalla &c. corripiebatur. Accersitus exhibeo primùm universalia, abstergentia, lenitiva, alterantia, præcipitantia, carminativa, adstringentia & stomachica temperatiora, interna pariter & externa; tum quoque bezoardica, cordialia, cephalica, pectoralia, antihectica & antiphthisica, instaurantia & analeptica exquisitissima, sed frustra omnia; malô indies incrementum capiente, ac Illustrissima puella tantùm non extremam maciem & vivum σκέλεθος redactâ. Donec tandem

tandem à *Barbette* monitus l. *Prax. lib. 3. cap. 2 de Phthisi §. 8.* mutatis mutandis, & pectoralibus becchicis dulcioribus omissis, aperientibus verò Martialibus, subacidis, & antiscorbuticis temperatioribus illorum vicem adhibitis perfectæ sanitati restituta fuit ægra illustrissima, non sine insigni honore meo sostroque non contemnendo.

(Missæ Gissa Norimbergam d. 26. Junii 1705.)

OBSERVATIO CCL.

Dn. Lic. JOHANNIS MELCHIORIS VERDRIS.

De Febre Maligna loco Petechiarum aurugine Critica Corpus deturpante, non sine successu felici.

ANNo 1703. cum Febris Maligna Petechialis hic locorum grassaretur, Vir 40. circiter annos natus, Temperamenti Cholerici, habitus gracilioris, eadem correptus, arcessi me jubet. Accedo atque omnia malignitatis signa, maximam cumprimis virium imbecillitatem atque æstum cum intensissima siti, in ægro deprehendo. Universalibus non amplius locus erat, jamdum enim per tres dies decubuerat, unde statim Bezoardica fixiora cum Nitro atque Camphoræ momento exhibeo, quorum usu per tres dies continuato, effectum quidem est ut æstus atque sitis remitterent aliquo modo, impedire tamen non licuit quin leve subinde delirium noctu cumprimis accederet. Octavo ab invasione die ob nimium languorem confortantia cum Tinct. Bezoard. M. aliisque expulsivis exhiberi curo, atque num maculæ in corpore appareant subinde ab adstantibus requiro, simulque ipse corpus inspicio easdemque vestigo, sed ne ullam quidem observare poteram, cutis vero superficies subflavo colore tincta videbatur, quod ego umbræ loci, ubi decumbebat, luminisque defectui nec non immunditiei sudoris adscribens insuper habebam. Postero mane eundem visitans, omnia antiquum obtinere nec quicquam vel in melius, vel in pejus mutatum invenio, nondum tamen aliquot horæ à discessu meo elapsæ erant cum cognati ad extrema ventum esse nuntiant, & ut properanter adessem rogant. Protinus adsum:

Æger extra lectum strato stramineo, eidemque impositis lectis, quod, ad ingens ipsius desiderium adstantes ita paraverant, incumbebat, dentibus stridebat & maximo horrore atque tremore, longè vehementius, quam sub initium Paroxysmi in Febribus Intermittentibus fieri solet, concutiebatur & quod maximè notam merebatur universus corporis habitus, colorem intensè flavum subnigricantem, qualis esse solet, qui Ictero Nigro afflictorum corpora deturpat, induebat sensus omnes defecerant, nisi quod ad lenem soleæ contactum pedem quodammodo retraheret, & ad repetitam sæpius Mixturæ confortantis infusionem oculos aperiret. Hoc in statu ultra horam permanebat, donec tandem omnes sensus redirent, ita ut rursus in lectum transferri posset. Vix deinde morbi remissio aliquid spei ostenderat, cum singultus inopinato superveniens omne id, quicquid erat, rescinderet. Necdum tamen animum despondebam, sed statim regioni circa ventriculum, Empl. Stom. Craton. cum Ther. Andr. anatica portione mixtum, tanto cum successu imponebam, ut non solum remitteret, ingens periculum ostendens hoc symptoma, sed & sub vesperam illius diei plane cessaret. Ita tandem oborta post aliquot dies Diarrhæa Critica, colore flavo etiam sua sponte evanescente, in gratiam cum valetudine rediit æger, adhuc salvus vivens & Incolumis. Exinde verò intelligere est, quam varia sub larva, pro diversitate constitutionis corporis, insidias sanitati atque vitæ struant Febres Malignæ, sicuti hinc etiam patet: Non semper nec absolutè ethale signum esse singultum in Febribus Malignis.

OBSERVATIO CCLI.

Dn. Lic. JOHANNIS MELCHIORIS VERDRIES.

De

Medulla in Ossibus Femoris Gallinæ Lapidea.

NUllam reperiri in corpore humano non minus ac brutorum cavitatem, in qua non aliquando calculi generentur aut generari possint, jamdudum sagatiores Naturæ scrutatores innumeris exemplis demonstrare fategerunt. Et mirum profecto, non solum in cavaminibus corporis lapides reperiri, sed & ipsas partes corporis ma-

marias continentes pariter ac contentas, teste observationum fide, sæpe in lapideam substantiam indurari. Curiosissimum est exemplum de Bovis Cerebro petrefacto, quod *Misc. Illustr. Academ. Dec. I. A. I. p.* 80. sistunt. Sinistrum Cordis ventriculum in Lapidem mutatum, ex *Eduard. Maj.* & *Mœb.* memorat, *Illustr. Argus Lapicid. Microcos. in Thorac. §.* 24. Idem Mammas petrefactas ex *Heurn.* refert. *ibid. §.* 17. Renes Lapideos aliquoties exhibent *Illustr. Acad. Misc.* sicuti Glandulæ pinealis aliarumque partium petrefactarum innumera ferè prostant exempla. Nemo tamen, quantum ego quidem memini, medullæ in ossibus lapidescentis, mentionem fecit, atque hinc eò magis sua curiositate se mihi commendabat, quod Amicus haud ita pridem offerebat, dimidium ossis Femoris Gallinæ annosæ, quod medullam, (ipsius ossis substantia nil quicquam mutata,) continebat in durissimum lapidem versam, sicuti id adhuc cuivis demonstrare possum. Referebat simul in Cœna apud Concionatorem Aulicum Illustr. sui Comitis, appositam inter alia fercula Gallinam annosam id curiositatis exhibuisse, & quidem tantùm in ossibus duobus femoris, in aliis enim ossiculis, etsi inquisiverint, nihil potuisse illos hujus rei deprehendere.

OBSERVATIO CCLII.

Dn. Lic. JOHANNIS MELCHIORIS VERDRIES.

De Agno Hermaphrodito.

IN Agno Hermaphrodito, quod hisce diebus secui, præter vulvam atque ductum glandulis obsitum vaginæ æmulum, qui tamen non ad uterum quo carebat, sed vesicam ducebat, nil quicquam sexus fœminei observare potui. Cæterum omnes partes viriles generationi destinatæ distinctè cernebantur. Testiculi, vasa deferentia per duo peculiaria foramina, distincta ab iis, per quæ materia seminalis è vesiculis seminalibus excidit in urethram, sese exonerantia, Vesiculæ seminales Prostatæ, Penis, sed is imperforatus. Hinc Natura defectum hunc emendatura, ad urinæ eductionem vulvam in subsidium formavit. Ita enim provida industria unius rei defectum alio compendio compensare solet. Sicuti in agna, quam ante annum secui, ob ani

ani clausuram, intestinum rectum ad liberam secum exclusionem, in vulvam deduxerat. Id quod simili ratione in puella aliquando observasse Experientissimum quondam Æolum, ex *Observat. CXII. Dec. II. Ann. III. Misc. Illustr. Acad didici.*

(*Giessâ Hass. Augustam Vind. d. 4. Sept. An. 1705. missæ.*)

OBSERVATIO CCLIII.

Dn. D. GOTTLOB SCHOBERI.

De

Tumore Cranii Cephalalgiæ, Guttæ Serenæ & tandem Apoplexiæ Causa lethali.

SCriniarius Revaliensis August Fridrich Hanson propter conspectum honestarum Personarum, sub dio, maximo dum gelu omia rigerent, civilitatis gratia nudato utplurimum capite edolans, in magnas incidit cephalalgias, quas postmodum subsequebatur visus debilitas.

Hoc autem malum ab initio neglectum magis magisque augebatur, adeò, ut non solum Amavrosis seu Gutta serena, sed etiam motus epileptici quotidie ferè ægrotum invaderent, maximeque enervarent. Et quanquam post generosissima tam ex fonte pharmaceutico, quàm chirurgico remedia incassum adhibita, salivatio mercurialis & trepanatio cranii quoque institutæ fuerint, effectus tamevoto non respondit, quin Apoplexia & tandem mors exoptata vitæ hasce miserias cum requie commutaverit tranquillissima.

Aperto post obitum Cranio, vidimus in bregmatis osse sinistro tumorem osseum spongiosum infernè conspicuum, in ejusque cellulis substantia medullaris maxima ex Parte in gummeam duritiem mutata cernebatur, hujus magnitudo ultra pollicis crassitiem & trium digitorum transversorum latitudinem æquabat. Membranæ cerebri carnis luxuriantis faciem gerebant, & ferè digiti transversi spatium metiebantur.

In altero bregmate contrarium erat phænomenon; cranium enim adeò tenue erat, ut cultri mediocris crassitiem excedens aëri luci-

lucido expositum radiorum solarium transgressum instar cornu pellucidi aut vitri haud difficulter admitteret.

Causa hujus morbi occasionalis fuit dubio sine frigus nimium, quod per cutis substantiam penetravit in tubulos cranii osseos & celhulosam substantiam, quæ diploè vocatur, succumque medullarem & sanguineum congelando eosdem obstruit: turbato hinc motu circulatorio affluens stagnavit sanguis, hicque in majori sensim copiâ collectus, cellulas & poros non tantùm adimplevit, sed etiam tenerrimos ossium canaliculos in arcus qs. & fornices compressit atque contorsit, adeò, ut accrescens hæc materia in tophaceam tandem duritiem & magnitudinem sit conversa & mutata. Membranas cerebri quod attinet tumidas, earum æthiologiam in hoc consistere mihi persuadeo: Scilicet dum sensibilissimæ hæ cerebri membranæ nerveæ, forsitan à frigore ob tenue cranium simul affectæ à tumido cranio premebantur continuò, fieri aliter haud potuit, quin dolorem contraxerint acerbissimum, hinc cephalalgiæ causa proxima derivanda est; à dolorosâ postmodum fibrillarum crispaturâ sanguinis stagnatio, unde illis alteratis & læsis caro luxurians ortum suum traxit. Affectis sic præternaturaliter membranis, nervisq; compressis interruptus & nimis impetuosus spirituum motus in partes externas factus est, hinc epilepsia; speciatim verò obstructus à spasmo nervus opticus Amavrosin excitavit, non aliter ac alii nervi ad eundem ferè modum læsi & Apoplexiam & mortem ipsam.

OBSERVATIO CCLIV.

Dn. D. GOTTLOB SCHOBERI.

De Essentiæ Ambræ vi hypnoticâ.

IN ambrâ præter virtutem analepticam, hypnoticam quoque residere in Praxi Medicâ quàm notissimum existit. Evolve hac de re, si placet Henric. ab Heer Observ. 2. & 5. p. 44. & 49. B. Ettmüll. In Schroed. p. 993. & Ejusdem Prax. Med. p. 777. Edit. Westph. Cl. Wedel. Opiol. p. 38. Unde non mirum notatuque dignum est, in quibusdam subjectis, ubi Spirituum defectus & inquies noctura sive ob melancholiam, sive ob studia nimia & abusum veneris, evacuationes enormes &c. deprehenditur, plus utilitatis præstare, quàm Cro-

cus ipsumque Opium &c. hujus asserti probationem & confirmationem ab experientiâ bina produco exempla:

I. Secretarius Revalienſis Regiæ Reductionis, nomine Volstein annorum 24. febre ardente acutâ laborans, curatur ab eâdem feliciter, ita, ut æstus cum capitis doloribus & aliis accidentibus ex voto remiserint, somnum tamen capere non poterat æger, potiùs per 8. & plures dies jacuit insomnis. Medicus Ordinarius omnis generis narcotica & opiata præscripserat & inter ea Tinctur. Opii in dosi satis auctâ, sed absque omni effectu, potius vigilias hisce magis auxerat:

Tandem vocatus, subjectum à morbo præcedenti vigiliisque jam enervatum deprehendi; rejiciendo Opiata, præscripsi Essentiam Ambræ cum rosarum succo per fermentationem paratam ad gut. LX. in vino Rhenano optimo & ecce! quies exoptata cum refocillatione omnium virium felicissimè successit.

II. Paulo post contigit ut Secretarius Supremi Esthoniæ Gubernatoris Comitis Axel de la Guardie nomine Johannis Georgius Hoffmann. ætatis 26. annorum, constitutione Cholerico-Sanguineâ, nescio ex quâ causa per multos dies, noctes viderit insomnes & ex superiùs nominati Domini Medici consilio venæsectione, purgantibus, sudoriferis &c. & Laudan. Opiat. ad gran. iij. frustra usus est; à me verò cum eâdem Ambræ Essentia in vino Rhenano assumpta restituebatur feliciter.

(Lipsiâ Augustam Vind. d. 15. Octobris An. 1705. missæ.)

OBSERVATIO CCLV.

D. JOHANNIS PAULI WURFFBAINII.

De

Pollice pedis dextri gangrænoso, feliciter separato, in Viro septuagenario majore pancratice jam vivente.

Hieronymus Schedel, ob formæ pulchritudinem in juventute, Hieronymus formosus dictus, ex eo Textorum genere, qui ex stamine lineo trama vero vel sericea vel bombycina tela conficiunt, & quod

quod circa annum 1488. è Suevia familias suas transtulerint Norimbergam, hodienum Textores suevi, die Schwabenweber vocantur, Anno 1700. in pedis pollice dextro, insignem percipit dolorem, nullo tamen sive tumore sive rubore conspicuo, quem Arthritidem credidit eo facilius, quo Frater Podagricus constanter hoc affirmavit, remedii tamen nihil applicavit, nisi quod propria saliva jejunus adhuc, pollicem non sine levamine, ut putavit, quotidie inunxerit:

Elapso quadriennio rediit dolor, priorem tamen atrocia longe superans, & clavum fortiter adactum, simulans, cum tumore & inflammatione insigni, cui vicinorum suasu Linteamina lacte caprillo calido madefacta, non sine tumoris decremento, mox pessimo consilio, Terebinthinam ovi albumine mixtam, applicuit, exsudante deinceps materia purulenta, quæ mox copiosius abbreviatô à Balneatore ungue, affluebat, guttulis aliquot sanguineis mixta, sequebatur elapsis aliquot diebus sanguis grumosus, putridus, nec sine fœtore, augebatur dolor indies, ita ut insomnes plane æger consumeret noctes, non sine virium notabili imminutione, & quod maximum, livescebat pollex, & sphacelum minabatur præsentissimum; conterritus hac rerum facie, Balneatoris ad insigne Rosæ beatè defuncti, Minister Godofredus Paul, Lissa prope Görlicium oriundus, Medici consilium summe necessarium, & absque ulla mora implorandum esse ajebat: Vocatus ab Ægri filio, d. 22. Maji Anno 1704. accuratè omnia inspicio, & tam ex pollicis nigredine, quam striis rubris à pollice ad suram usque jam ascendentibus, gangrænam cum summo Vitæ periculo adesse, Conjugi & adstantibus denuncio, & interne Confortantibus sic dictis, fractas resuscitare vires, Gangrænæ verò putredini resistentibus, admixtis simul antiscorbuticis obviam ire intendo, externè verò spiritum Vini Camphoratum myrrhatum tum plumaceolis ulceri imponere, quam linteaminibus totum pedem cum Tibia, quousque nempe se extendebant striæ, involvere jubeo, non sine effectu laudabili, brevi enim striæ modo dictæ imminentis sphacelî prodromi, dispar bant, pollex magis quidem nigrescebat & corrugabatur, gangrænosis tamen partibus à sanis rubicundo apparente circulo optimo sane præsagio se separantibus ac discedentibus; erexi ergo ægrum nostrum senem solatio, decurtandum tamen esse pollicem si prolongare velit vitam suam, dixi, annuit senex, animo fortissimo, & d. 26. Maji Anno 1704. ætatis verò suæ septuagesimo quinto, (natus enim est Anno 1630. d. 6. Maji,) sustinet

net intrepidus, sed deliteſcebant adhuc bina appendicis Metapedii fragmenta, quæ poſt aliquot ſeptimanarum effluxum à benigniſſima Matre natura, non ſine admiratione ſeparabantur, & foras protrudebantur, (quæ una cum pollice inter varia curioſa ſervo,) lympha hactenus emanante, ſenſim emanente, carne ſana cavitates replente, cutemque omnia debito rurſus modo inveſtiente, ſenemque noſtrum in tantum ſanitatis ſtatum reducente, ut ædes pro lubitu perambulare, templa frequentare & proſenii ſatis alias vegeti ratione, vivere queat pancratice.

SCHOLIUM.

NAturam in ſenibus tantarum eſſe Virium, ut oſſium fracturas conſolidare, fiſſarum lamellas & ſquamulas ſeparare, ulcera mundificare, carnem ſanam regenerare, cutemque ſuperinducere queat, dubitare omnino licet, cum hæc omnia ſuccum requirant nutritium copioſum & gelatinoſum, in ſenibus verò cutis rugeſcat, muſculi langueſcant, membra incurventur, non alia certè ratione, quam quod pleraque Viſcera ſucci hujus nutritii elabarationi dicata, langueſcant, ut ſenſim deficiat, vel non ſatis ſit glutinoſus, unde non poteſt non fieri, quin fibræ exſiccentur, vaſa contrahantur, pori ductuumque meatus immutentur, corpusque noſtrum ſtirpium inſtar exareſcat: Merito hinc Vegetum adhuc Textoris hujus ſenium, ſuccique nutritii & copiam & bonitatem, quem ex effectu hoc ſatis raro, probamus, miramur, ſimulque concludimus, Gangræno ſos affectus à cauſa externa, extirpatione Membri vix curari melius, ab interna verò ortos, nec igne curari, nec ferro, ſed mortem, ut plurimum & hîc lineam eſſe rerum ultimam.

OB-

OBSERVATIO CCLVI.

D. JOHANNIS PAULI WURFFBAINII,

De Mercurii Vivi usu interno non lethali, & de Judiciis in Casibus Criminalibus cautè dandis.

ANna Petri Hasens junioris, subditi Præfecturæ Engelthalensis uxor, in pago Breitenbrunn habitans, Mense Augusto An. 1704. Marito, nescio ex quo in eum concepto odio, toxicum paratura, placentulas ex farina, butyro eliquato & cerevisiæ fecibus concinnaverat, quas nostrates Hessen-Küchlein vulgo vocant, quibus Mercurium vivum admiscuit, eoque butyro frixas, Marito comedendas præbuit, quo mox male se habente, dicta uxor ob conjugium discors in suspicionem propinati Veneni incidit, inque carcerem conjecta, rem totam statim fassa est. Magistratus itaque curatius factum hoc dijudicaturus, una alteraque tali placentula Medicis suis transmissa, ex his quæsivit: Num Usus Mercurii Vivi sit lethalis? sive ut ipsissima propositæ quæstionis verba habent, ob durch das Queckſilber der Tod zu wegen gebracht werden könne? Quæ rectissime responderunt Negativè, additis breviter rationibus (1) quod in passione Iliaca aliisque morbis sæpissimè assumatur Mercurius vivus absque ulla noxa, imo cum εὐφορίᾳ. (2.) Metallifossoribus in fodinis hydrargyro prægnantibus laborantibus, interdictum sit, ne illud malitiosè deglutiant, perque alvum iterum ejectum, furtim divendant, & (3.) à pinguedine placentulis admixta periculosus (si forte talis metuendus videatur,) Mercurii effectus nonnihil fuerit impeditus.

Quare Rea capitis poena absoluta quidem, sed prægressa fustigatione publica, in perpetuum relegata est.

SCHOLIUM.

VOcabulum lethale in casibus Criminalibus respicit ut plurimum vel Vulnera & læsiones externas, vel internè assumta: de Vulneribus externis Quæritur: an simpliciter (ad evitandam prolixitatem de Vulneribus Accidentaliter lethalibus) & perse sint lethales? Vocantur verò Vulnera simpliciter lethalia quæ vel Nobiliorum & ad vitam simpliciter necessariorum Viscerum fabricam & structuram violenter destruunt, vel Ramos Arteriarum & Venarum majores lædunt, quibus ob abditum nimis situm, applicare remedia nequimus, exclusis è contra illis vulneribus, quibus læsus una vel altera parte privatur, dummodo vivus adhuc supereſſe queat; habenda etiam omnino ratio, num viscris talis læsio semper vel interdum saltim, vel ut plurimum sit lethalis? cum differentiæ hæ magnam Judici fœnerentur lucem.

Eadem ratione, si de intus assumtis vel propinatis Quæstio instituitur Criminalis, non statim dicenda sunt lethalia, quæ Oeconomiam corporis nostri turbant, vel quocunque modo vel interdum saltim lædunt, hoc enim modo Antimonium, Opium, Crocus, Amygdalæ amaræ, &c. quæ Venenis unius alteriusve sæculi Medici præter meritum annumerarunt; imo & omnia purgantia, pleraque alterantia dicenda forent lethalia, cum tamen saluberrima hodie nobis sint remedia: sed rectius lethalia propriè & perse dicuntur ea, quæ nulla ratione nobis prosunt, sed si non semper, ut plurimum tamen interimunt, imo toto genere non autem sola quantitate aut ex accidenti nocent, quare etiam Venena in θανάσιμα & δηλητήρια suo jam tempore distinxit Galenus: Si jam hydrargyrum seu Mercurium vivum currentem considerabimus, quis quæso dicere ausit, eum toto genere nocere, ac interno usu interimere posse semper vel utplurimum, cum variis etiam in morbis saluberrimum sit remedium? Sic, si Ephemerides saltim nostras consulimus, legimus Mercurio crudo Iliacam Passionem feliciter curatam Dec. II. Ann. VII. Obs. 119. Dec. III. Ann. II. Observat. 153. & Dec. III. Ann. IX. & X. præsenti Obs. 79. Usum Mercurii vivi in Colica spasmodica salutarem Dec II. Ann. VI. Obs. 281, & in eodem homine eodemque morbo secunda vice exoptatum Dec. III. Anno V. & VI. Observ. 147. nec non in hocipso Dec. III. Ann. IX. & X. Obs. 78. Passionem colicam cum cruciatibus intensissimis Mercurii vivi beneficio ex Voto sublatam, Certissimum ac in fallibile esse Plicæ remedium salivationem Mercurio vulgari excitatam Dec. I. Ann. II. Obs. 52. Mercurium & Mercurialia in morbis â materia insipida, viscida, obstruente dependentibus, ob vim suam summe penetrantem egregiæ utilitatis, deprehensum, tumorum etiam ferè omnium ac callositatum universale quasi menstruum esse. Dec. III. Anno II. Obs. 148. Imo & diu satis Mercurium currentem absque lethalitate in corpore humano delituisse, testantur laudat. Ephemerid. Dec. II. Ann. IV. Obs. 98. & Anni VI. Obs. 231. Taceo Mercurii vivi ab Opificibus multum circa eum occupatis, aliisque Mercuriali inunctione curatis, tantam attractam & collectam fuisse copiam, ut iis adhuc vivis, è corpore effluxerit, letho propterea non subsequente Vide Dec. III. Ann. V. VI. Obs. 172. Capitaneum Helveticum, Mercurium vivum post Luis Venereæ curam Mercurialem, per integrum septennium in Cerebro gestasse, nec propterea mortuum esse, propriæ Militis hujus testantur Literæ ad Excell. Dn. D. Emanuel König exaratæ, quæ styli Latini elegantia cerebrum propterea in fungum mutatum non fuisse, satis testantur, Vide Joh. de Muralto Chirurgische Schrifften Hist. 208. Imo, quis negabit Mercurium Sublimatum summum esse corrosivum, per additionem tamen Mercurii Vivi novæ sublimationis ope in tantum corrigi, ut omnis ejus corro-

siva

siva venenositas pereat, dulcescat, subque Mercurii dulcis nomine multorum morborum Domitor, innoxiè assumatur, Medicisque in usu sit quotidiano & salutari: quod minime certe fieret, si Mercurius vivus tam lethale esset venenum, quin rectius ex Mercurii Vivi Analysi discimus, ab admixtione acidi potentioris, saliumque acerrimorum, Mercurii Vivi superficiem globulorum politam, rigidam prius fieri debere, ut spiculis suis fibris partium adhærere, easque graviter erodere queant, antequam lethalia producere queat symptomata, quale tamen acidum potens, saliaque acerrima in corpore humano latitare posse meritò dubitatur, imò, si aliquando periculosa symptomata tragico eventu contingant, prout in Ephem. nostris Dec. II. Ann. IV. Obs. 20. occurrit, non tam Mercurio, quam incautæ ejus applicationi adscribenda sunt, alias in aliis subjectis hoc ipso morbo laborantibus, Mercurii vivi usus ex Rolfinkii & Wedelii testimonio (Vide annexum Observationis modo allegatæ Scholium) non successisset felliciter. Imo quis nescit, innocentissimorum remediorum incautam assumtionem & applicationem sæpius acceleratse mortem, sed quis ea propterea pronunciabit lethalia? At verò cum corrosivis medicamentis quale est Arsenicum, Mercurius sublimatus, Aquafortis &c. communiterè Medicorum consensu saluberrimè opponantur pinguia, docente hoc etiam Illustri Wedelio tot Celeberrimorum in & extra Germaniam Medicorum fidissimo olim Præceptore & Manuductore, Amœnitat. Mat. Med. Lib. I. Sect. II. Cap. I. *de Venenis in genere, Venena Mineralia, Mercurius Sublimatus & Arsenicum, ejusque species agunt sola potissimum corrosivitate, Hæc ipsa* νέκρωσιν, νέκρωσις *sanguinis & seri destructionem inducit, secundario quoque fermentatione peregrina & spirituum turbatione consequente, Hinc si statim revomantur, delicatiore Archæi sensu & robore non nocent. Hinc in Ventriculum plenum vel pinguibus præsumtis ingesta, minus nocent, faciliori Vomitu consequente, acrimonia obtusa. Hinc qui mortui sunt ab horum usu, sive incauto sive malitioso, ventriculum & intestina sphacelata & erosa exhibuerunt. Par ratio est Aquæfortis, Butyri Antimonii &c. &c. Patet id ipsum quoque ex analysi Mercurii sublimati, neque enim Mercurius Vivus, nec Sal, nec Nitrum, nec Vitriolum, quibus cum sublimatur, est Venenum, sed sola textura inde emergens, quâ iterum immutata, per additionem Mercurii Vivi & Sublimationem, in Mercurio dulci, eadem quoque Venenositas emoritur:* Proinde non male Philosophabitur, qui sequentem in modum argumentatur: si Arsenici vis corrosiva à pinguibus obtunditur, obtunditur etiam, vel adminimum nonnihil impeditur ab illis effectus Mercurii vivi, ne reddatur corrosivus: nec obstat Paradoxon illud, remorari pinguia Mercurium, ne particulæ ejus ab invicem divelli & quaqua versum in humores dispergi queant, cum experientia quoti-

diana obloquatur, & tam barbitonsoribus quam balneatoribus etiam paganis quotidiano ex usu notissimum sit, Mercurium Vivum pinguedine mixtum, etiam pedum pollicibus, aliisque extremis corporis partibus solum inunctum, nihilominus angustissimos Nervos & remotissima etiam vasa lymphatica citissimè permeare & salutari effectu salivationem excitare, imo Mercurium Vivum piaguibus mixtum, alvum etiam laxare Dec. II. Ann. IX. Ephemerid. nostr. Observ. 32. testatur, ubi Alvi obstructio dolorosa, Oleosis & Mercurio soluta fuit, & Passionem Colicam cum intensissimis cruciatibus â Mercurii Vivi Oleo amygdalarum dulcium mixti, usu, ex voto sublatam Obs. 186. præsentis hujus Anni Dec. III. Num. IX. & X.

Rectius itaque periculosus quam lethalis dicitur Mercurii Vivi usus incaute præprimis si vel externè applicatus vel internè propinatus fuerit, quod tamen nemo, quod scio Medicorum unquam negavit, & Judex etiam in casu præsenti probè agnovit, hinc non an periculosus sit Mercurii vivi usus? quæsivit, sed num lethalis sit? ad quod etiam Medici interrogati recte respenderunt negativè, in Casibus enim Criminalibus judicia caute danda sunt, & Monita hæc probe observanda:

I. Ut ad Quæstionem propositam quantum fieri potest, respondeatur Categorice, ne necesse sit novam proponere Quæstionem, vel responsi jam dati petere elucidationem.

II. Absque præjudicio & affectu, ne quod de Dracone dici solet, quod Leges suas non atramento sed sanguine scripserit, de tali judicio dici possit.

III. In casibus dubiis, de quibus inter Eruditos controvertitur, mitiorem semper eligendo sententiam; ne rigor præferatur lenitati.

IV. Collegarum, vel indefectu horum, Medicorum Vicinorum Judicium expetatur, ne Medici novelli sibi nimium sapientes, famam conscientiamque lædant, & temere de sanguine humano ludentes, Magistratui ob male suppeditatum judicium, & rei consanguineis de fama & Vita Carnificis manu abbreviata, reddere cogantur rationem, pœnamque severam meritò incurrant.

(o)

Appen-

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
H146/1951 példányszám

APPENDIX

ad

ANNUM IX. & X.

Decuriæ III.

EPHEMERIDUM ACADEMIÆ CÆSAREO-LEOPOLDINÆ NATURÆ CURIOSORUM IN GERMANIA.

NORIMBERGÆ,
Literis Christiani Sigismundi Frobergii.
Anno 1706.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

Contenta Appendicis.

I. Historia Epidemica Germaniæ Annorum MDCXCIX. usque ad MDCCV.

II. Dn. D. Johannis Henrici Hottingeri Poliatri Tigurini Academici Curiosi Descriptio Montium Glacialium Helveticorum.

III. Anatomia Cerebri, Mechanicam ejus atque Physiologiam comprehendens, una cum novis inventis atque Veterum & modernorum Authorum circa idem subjectum emendationibus, Anglico Idiomate exhibita ab H. Ridley Colleg. Med. Londin. Socio Latinitate donata, à Michaele Ernesto Ettmüllero, M. F. Philosophiæ & Medic. Doctore, hujusque Professore Publico Extraordinario, in Academia Lipsiensi & Academiæ Naturæ Curiosorum Collega dicto Alexia.

IV. Dn. M. Martini Grünewaldi Catechetæ Zittaviensis, sistens Epilepsiam secundi gradus à fascino, in Catalepsi admiranda Zittavia Delitium Dn. Valentinum Ernestum Löscherum, S.S. Theol. Doctorem, Pastorem Delitiensem, hujusque Diæceseos Superintendentem, die 7. Novembr. Anno 1702. missa, qui Observationem hanc. d. 10. Decembris in Vernacula lingua communicavit

D. Johanni Caſparo Weſtphalo, ut Ephemeridibus Medico-Phyſicis inſereretur, Hic ergo in gratiam exterorum linguæ Germanicæ ignarorum, in Latinum transtulit & Scholio illuſtravit.

V. Dn. Georgii Friderici Franci de Franckenau, Med. D. & Prof. P. Regii Hafnienſis, nec non Acad. Nat. Curioſor. Collegæ Brevis ac Vera Magni illius & famoſi Fluvus Maris Vorticoſi Arctandris Moskoë-Strôm, aliis Vulgo Maal-Strom dicti, ejusdem Qualitatum, variorumque ibidem admirandorum deſcriptio.

VI. Dn. D. Johannis Baptiſtæ Scaramuccii Epiſtola ad Illuſtriſſ. Dominum Antonium Magliabechium de Hydrophobia, ex vehementi indignatione oborta, Anno 1703. Maceratæ impreſſa & nunc ex lingua Italica in Latinam Verſa.

VII. Memoria Reiſeliana.

VIII. Memoria Merckliniana.



CON-

CONSTITUTIO EPIDEMICA URATISLAVIENSIS,

Anni MDCXCIX. MDCC. & MDCCI.

EXcellentissimi Domini Uratislavienses uti hactenus inter Naturæ Curiosos solertiæ & curiositatis palmam non paucis aliis dubiam reddere allaborarunt, ita laudabili instituto, circa conscribendam morborum in Germania epidemicorum historiam, & ipsi favere, ac Patriæ suæ celeberrimæ similem statum delineare decreverunt; Cujus priores tres Anni de Morbis qui Anno 1699. 1700. & 1701. Uratislaviæ grassati sunt, publicis typis jam exscripti legantur, & pro hoc nostro Volumine paulo prolixiores sint, synopsin eorum hic dare libuit! omissis iis morbis, qui epidemicorum censum haud ingrediuntur.

Cum Anni millesimi, sexcentesimi, nonagesimi noni Januarium horridum Uratislavienſibus reddidissent Nebulæ & Venti, variis vicissitudinibus, potissimùm intercurrente pluviâ, subinde tamen & frigore, quamvis remissiore graves; initium quoque, imò majorem ferè partem Februarii sub eadem cœli inconstantia transegerunt,

runt, nisi quòd alterna frigoris vis majori impetu corpora concuteret, & aër circa plenilunium serenus languentes animos excitaret; quæ cœli inclementia ineunte mense Martio continuavit, non rarò tamen effusis ad plenilunium usque, quæ illicò tabescebant, nivibus, & terrâ pruinis horrente; cum econtra mollior aër, vergente ad finem mense, ac sudum, tellurem foveret. Primus ergo hic anni quadrans toto ferè decursu excessit in humida constitutione, quam etiam adcuratæ tam barometricæ, quàm thermometricæ observationes confirmarunt. Quo tempore, cumprimis sub Januarii principium, Dolores spasmodici sanguineo-cholericos, & melancholico-phlegmaticos affligebant, frequens erat Arthritis, prædominabatur tamen in subjectis iracundiæ obnoxiis & diætæ aromaticæ ac vinosæ deditis, præcipuè liberaliori vini Hungarici, à solo calce vivâ ferè penitus substrato infecti, potui inhiantibus. Plures intempestivo frigidi & humidi aëris accursu admisso, Pleuritis notha occupabat, temperatioribus diureticis magis, quàm diaphoreticis cedens. Multi de dolore lumbos infestante conquesti, pro nephriticis promiscuè à Medicis non satis exercitatis, & vulgo habiti fuerunt, cum tamen non semper renes, sed plurimas etiam alias partes in illa corporis regione latentes, adfici posse, sagaciores Medicos fugere nequeat.

Sub finem ejusdem mensis in scenam prodibat Febris petechialis, quæ licet post 14. Aprilis diem conticesceret, mense tamen Majo iterum ferocire, & quidem cum catarrho suffocativo, præprimis in ætate teneriori incipiebat, ac non æquè in infantes, pueros & senes, sed in feminas, & frequentiùs in mares sanguineos & sanguineo-phlegmaticos sæviit, ac præprimis iis gravis ac infesta incubuit, qui vino atque spiritu vini se obruerant, ac corpus cacochymicum pravâ victus ratione contraxerant; cæterùm prævio horrore, cum quadam gravedine, tussi, imò & faucium inflammatione & tumore invadebat, aderat præceps subita virium prostratio, pulsus exilior & imbecillior, frequens tamen & inæqualis; calor qui horrorem sequebatur, in sanguineis intensior totum corpus occupabat, maximè verò caput, undè in fluidioris habitûs corporibus, cephalalgia acutior, rubor faciei, oculi scintillantes, vigiliæ, deliria furiosa, jactatio corporis, sitis &c. in sanguineo-phlegmaticis, quorum sanguis sero viscido abundat, calor multò mitior apparebat, qui non paucis imponere solet ægris & Medicis, ut parum periculi subesse, cum ma-

magno suo discrimine credant ; à quo fallaci calore fortè febris illa maligna vocari meruit , sumptâ metaphorâ ab hominibus malignis, qui aliud fronte promittunt, aliud in intimiori cordis recessu premunt; in his calori respondebat sitis tolerabilis , & quies corporis sine manifesta jactigatione, sed debilitas gravis ac continua in somnum propensio , ac non consulta antea taciturnitas , cardialgia , lingua modò lento succo obducta , modò fissuris asperis & scabris dehiscens, aut retorrido calore cum vicinis faucibus arebat. In hominibus melancholici temperamenti , quorum tamen non nimis multi hac infirmitate detenti fuerunt , statim ab assumpto alimento vel medicamento flatus & hypochondriorum murmura. Cholerici loquacitate suâ aliorum aures obtundebant , & calore acriori tangentis manum, urebant. Omnes cujuscunque complexionis , graviter nausea cibi & appetitus dejectio infestabat. Sensim deinde æstus invalescebat , ut luculentus calor in partibus externis deprehenderetur. Exerebant se etiam dolores varii , modò pungentes , modò mordicantes. Circa quartum , septimum , imò etiam undecimum diem , in pectore, dorso , brachiis , lumbis & cruribus , maculæ rubentes , puncturis pulicum similes , sine levamine erumpebant , aliquando etiam majores lenticularum magnitudinem æquantes ; rubræ illæ meliores, deteriores verò citrinæ , lividæ , violaceæ , imprimis si hæmorrhagia gingivarum circa dentes incisorios superioris maxillæ enormior juncta fuerit ; nigræ , præprimis majores omnium pessimæ. Urina non uno modo comparata erat ; nec alvi excretio ; hæc liberalior salutaris admodum post diem septimum observata , & accedente sudore solutionem morbi promittebat ; cum econtra siccitatem alvi hæc febris pessimè tulerit. Vermes per alvum cum sedibus aliquoties rejecti. Pejus cum iis agebatur , quos vomitus partim humorum variorum , partim quorumvis assumptorum, aut etiam inanis cum nausea & cardialgia affligebant, præsertim si singultus iis se comitem adjungeret. Sudores primis statim morbi temporibus sine levamine , sed post quartum morbi diem , circa septimum , undecimum &c. felicioris eventus indices erant ; cadaverosus erat funestus. Cum hæmorrhagiis quidam evaserunt. Morbus nequaquam intra quatuordecim dies finiebatur , sed ad 21. imò & ultra ad 40. usque extendebatur. Solvebatur rarissimè per hæmorrhagiam, aliquando per abscessum , frequenter per sudores , sæpissimè autem tum per hos, tum per diarrhæam ; quandoque etiam per tumores in variis corporis

partibus, cumprimis in ano, per exanthemata miliaria, pedum scabiem, ictlerum &c. Cura sine V. S. (qua sanguis eductus in superiori parte, crustâ albâ spissâ, tenacissimâ obductus, in inferiori verò, modò floridus & fluidus, modò concretus & coagulatus fuit deprehensus,) peracta felicius successit. Quibus statim ab initio mite evacuans datum, facilius morbum superarunt, quale fuit potio Sydenhamiana in dosi aliquantùm minori, pulvis ex Antimon. & Nitro depur. Tart. Vitriolato ac grano j. vel ij. scam. sulphur additis apud ditiores granis paucis auri fulminantis, vel etiam quæ simul ad malignitatem habent respectum. Vomitoria in principio hominibus phlegmaticis aut melancholicis robustis & nauseantibus, præsenti conatu vomendi, interdum cum successu data. Cæterùm ferè tota cura per placidum sudorem, seu potiùs madorem, bezoardicis, pulv. Bez. Sennerti, Rhumbaum, Döring. Pannon. rub. &c. Mist simpl. Essentia scordii saturatiori, myrrhâ, diascordio, absoluta; fortiora, volatilia salia, bezoardica calida ac spirituosa omissa, quia obfuerunt: camphora planè præterita, cum vis ejus alexiteria non nisi nudâ traditione & opinione hominum nitatur, & internè plus detrimenti quàm auxilii spondeat. Diarrhæam, nisi esset colliquativa, aut inflammationi intestinorum superveniret, nequaquam supprimere studuerunt; quinimo non rarò laxans ordinarunt, ac internè per totum morbi cursum nitrosa cum sufficienti potus quantitate eâ intentione ægris propinarunt, ut ventriculus & intestinorum volumina ritè abstergerentur, & materia bilioſa acris ac urens è corpore proscriberetur; alvi tamen profluviis modum excedentibus nitro in exigua dosi exhibito, interpositisque terreis, pulveribus, aut diascordio Fracast. frenum injecerunt; reliquis etiam symptomatibus convenienter obviam iverunt.

In Januario Odontalgiâ seu Hemicraniâ laborabant ista potissimùm mulieres, quibus negotium mensium magis impeditum; nec nulli erant, qui Ophthalmiâ vexarentur; Illis Tinctura odontalgica Mynsi & Wedelii &c. his decoctum cort. granator. &c. profuit. Occurrebant etiam, quos Icterus fœdabat, & Martialia liquida præcipuè cum salinis, aliisque juvabant.

Mense Februario, præter Variolas & Morbillos, aliæ quoque Maculæ cum febre sub noctem ingravescente, & tussi ferina, corpora

pora infantum occuparunt, latæ rubeæque, Morbillis non admodum dissimiles in facie, minutissimæ verò & puniceæ in dorso, lumbis & pectore; nonnullæ elevatiores ad naturam Variolarum accedebant, ac pruritu & fervore molestissimæ, tandem per absceſſionem epidermidis in squamulas resolvebantur. Grassabantur etiam aliæ mitiores Variolæ, à forma acuminata die Spitzblatteren vocatæ, nec non quas Schaafs-Blatteren nominant, pustulæ scil latiores minusque acuminatæ. Graviores ob intensiorem æstum erant Rubeolæ, diaphoreticis fixis curatæ.

Fuêre etiam qui difficulter admodum respirabant, & de gravedine solùm quadam ventriculi conquerebantur, paratam in scorbuticis medelam invenientes, acetosa, acetosella, rad. ari, helenii &c. non in cochlearia, si maculæ fervidioris intemperiei indices deformabant.

Infantes Tussis convulsiva fatigabat satis frequenter, in qua Pulvis antepilepticus Ludovicianus utilis.

Alii, lactantes æquè ac ablactati, omni hyeme Atrophiâ corripiuntur, cum febricula circa vesperam ingruente, inquietudine & siti nocturnâ, fame, torpore, abdomineque tumente; à ductuum lacteorum & glandularum, viscerumque glanduloſorum lenta ac viscida obstructione; in qua Tinctura ♂. aperitiva vitriolata, arcanum duplicatum &c. prosunt.

Erant etiam quidam Hæmoptoici, atque inter hos pauci, qui sine noxa evaserunt, in lentam tabem & phthisin præcipuè prolapsi; V. S. malum hoc cessisse compertum est, nec non largiori Nitri exhibitioni.

Non paucos quoque malum hypochondriacum torquebat, solitis stipatum symptomatibus, hypochondriorum distentione, ventriculi concoctione languidâ, ructibus acidis, vomitu, rugitibus, sputatione crebrâ, alvo segni, duritie, tumore in regione lienis, anxietatibus præcordialibus, cordis palpitationibus, vertigine, pavoribus in somno, aurium tinnitu, doloribusque variis. Cura eorum in crassis humoribus attenuandis erat, per nodulos aperientes,

martialia, urinosa volatil. myrrham, crocum, mixturam simpl. tincturam vitriol. ♂. tart. D. L.

Illucescente Martio turmatim scabiosi occurrerunt curandi; id quod, præter externa, blandis diaphoreticis inprimis fuit præstitum.

Circa idem tempus non paucos tantum non exanimabat molestissimus prurítus, præprimis senibus & cœlibibus gravissimus, ac inter hos hominibus ficcioris constitutionis. Conducebant iis medicamenta nitrosa, & diuretica saponaria, quæ salsos & acres atomos ad vias urinarias deducunt.

Primus Aprilis dies serenus illuxit, & calore suo Veris delitias sperare jussit. Non diuturna tamen hæc felicitas fuit, nam nebulæ & pluviæ à meridie primis diebus gratum solis adspectum ad breve tempus ademerunt. Qui secuti dies, vernali tepore ad plenilunium omnia brumali aurâ quasi rigentia blandè vegetabant. Deinde cœlum varium erat, interdum serenum, interdum nebulis obductum, nimbos ac pluviam effundebat. Majus, quo aliàs omnia rident & est formosissimus annus, nebulis, pluviis & ventis, si paucos amœniores dies excipias, rigidus erat. In Junio iterum amœnior ac serenior aër, cujus jucunditatem etiam vergente ad finem Majo degustare licuit, comparuit; neque tamen ad finem processit sine imbribus, quorum iram proximi Uratislaviæ accolæ, perruptis aggeribus, gravem, cum damno sanitatis & facultatum experti sunt. Grassabantur tum morbi plerique ab Hippocrate enumerati, ubi de vernalibus ei sermo, furores, melancholiæ, epilepsiæ, fluxiones sanguinis, anginæ, gravedines, raucedines, exanthemata varia, & articulorum dolores, febres insuper intermittentes: in ætate puerili & adolescentia sanguinis excretiones è naribus, hæmoptyses juvenibus magis familiariter evenêre, quemadmodum vomitus cruenti viris & feminis, vitæque sedentariæ deditis, hæmorrhoidales autem depletiones paulò annosioribus acciderunt; mictus quoque cruenti exempla notata. Circa loca illa corporis, quibus sanguis erumpit, ingeniosissimum D. Stahlium, Hallensium Practicum, & Professorem secuti, spasmodicas pressiones, sanguinis congestionem, vasorum & pororum tensionem atque turgescentiam, cum sensu ardoris, lacinationis & pulsationis observarunt, quin etiam ferè ad ejus mentem, curam felici cum successu instituerunt: violentioribus verò sanguinis depauperationibus, efficacissimis remediis occurrerunt.

In-

Insolita uteri hæmorrhagia septuagenariis proximas, quæ nullo remediorum genere cohiberi potuit, in mortem præcipitavit.

Typus febrium intermittentium non unius generis erat: nonnullis paroxysmi omni die, aliis tertio quovis molesti erant: erant, quibus quovis die duo paroxysmi erant superandi. Nec infrequentes tertianæ duplices, in quibus paroxysmo primo non respondet secundus, sed tertius, secundo quartus, tertio quintus, quarto sextus &c. ita tamen, ut non tantùm tertio die, sed etiam intercalari febricitarent. Semitertiana paulò quidem rarior, at non prorsus defuêre, qui omni die quidem febre corriperentur, sed tertio quovis die duorum paroxysmorum impetum sustinerent. Vigebant quoque febres erraticæ; quæ incertis recurrebant diebus & horis. Ambigebatur, an in censum febrium intermittentium referri debeant etiam illæ, quæ contra communem intermittentium indolem, tragœdiam à calore satis intenso auspicabantur; nam utut ἀπυρεξία, quæ initio adesse videtur, genium intermittentis redoleat, languor tamen magnus, pulsus aliqua agitatio, & cœtera symptomata continuitatis opinionem confirmabant. Eadem ferè mens erat de illis, quibus malignitas conjuncta est, & tamen remissione quadam non carent; sc. doloso intermissionis cineri primorũ dierum suppositum fuisse ignem continuarum, elucet ex eo, quod sequentibus exacerbationem quidem caloris & symptomatum, non item veram remissionem observare liceat. V. S. omissâ, Vomitoriorum tempore intermissionis frequentior usus fuerat, nec purgantia omissa. Quoniam verò hæ febres focum habent in primis viis, incidentibus cura fuit peracta, præsertim tartaro vitriolato, arcano dupl. sale lixiv. absinth. centaur. min. card. ben. &c. quæ cum acria sint, incidunt, dissolvunt pituitam, & reluctantur acido, addita iis, præprimis post aliquot febrilium paroxysmorum decursum, subinde præcipitantia; in exanthematica, antiscorbutica; in contumacioribus cortex Peruvianus, in pulvere vel electuario, cum essentia segnior sit; in vino generoso albo maceratus rarissimè spem expectationemq; implevit: in febribus cum inflammatione quadam conjunctis nunquam non noxius deprehensus, in febribus etiam aliis calidioribus obscurè remittentibus funestus fuit; quibus non alia, quàm quæ malignis debetur, ratione medendum: & eximiæ prudentiæ medicæ statuitur, etiam verè intermittentes, epidemicè grassanti aliquâ malignâ febri, alexipharmacis

cis & bezoardicis oppugnare, ne ægri in prædominantem epidemicam prolabantur.

Vehementius eodem anni tempore dentientes laborabant, ob turgescentes nutricum, & ipsorum infantium humores.

Sæviebant quoque pathemata spasmodica, ac Epilepsia passim pusillorum corpora hoc mense torquebat, multosque jugulabat: In symptomatica, fomitem in pituita viscida & acida habente, resolventia, incidentia, & modestè evacuantia omne ferunt punctum; in idiopathica quò te vertas, vix apparet, specificis voto non respondentibus.

Multis negotium facessere visa est Cardialgia: alii morsus, punctiones & lancinationes, alii rosiones sese percipere ajebant: nonnulli de tensivo & compressivo tantùm dolore, ad utrumque latus pertingente, & cinguli alicujus instar constringente conquerebantur: plurimi verò gemitibus & altè ductis suspiriis, anxietatis interpretibus, adstantium aures obtundebant. Inanes vomitus utplurimum cardiagmi erant comites, quos imperiti emetica indicare credepant; sæpe etiam in feminis, passionibus hystericis obnoxiis, deliquia superveniebant; singultus etiam jungebatur.

Nonnulli Bubonibus infestabantur; alii tumoribus aliis, præprimis Parotidibus, quæ iis, quorum vires violentia morbi fractæ erant, mortem denunciabant; profuerunt autem emollientia, maturantia, discutientia, his verò non satisfacientibus, suppurantia.

Frequens erat illis diebus Coryza, conjuncta cum καρηβαρία, dolore capitis, sternutatione; nec non depravata auditio, modò enim erant, qui sonum talem tintinnabulum pulsatum edit, sibi percipere viderentur, modò qui de sibilo quererentur; nec nulli, qualem, qui pulsationem intra aurem sentirent; pulsus autem ille exactè cum pulsu arteriæ convenit, nec aliunde, nisi ab arteria dilatata pendere verisimile est; senes nonnulli sonum fluctuum allisioni similem, vel strepitus varios in auribus suis excitari ajebant: ubi sanè aër aliis fœtus corpusculis in ejusmodi sonitu non tantùm organum immediatum auditus, sed & partes cerebri, in quibus filamenta nervi auditorii terminantur, concutit, ac eoipso varios sonos excitat. Varia contumaci huic malo, & aliquando in omnimodam surditatem abeunti opposita, non semper optatum eventum consecuta fuerunt.

Raucedo etsi hyberno tempore maximopere soleat esse frequens, ac facilè curetur, quia fortassis tantùm ab exasperatione superficiei glot-

glottidis à frigore aut acribus salsisque humoribus inducta, dependet, occurrerunt tamen aliquot etiam in Majo exempla raucedinis omnem artem eludentis.

Mense Junio aliquot Anginæ exempla oblata fuêre, i. e. laryngis seu pharyngis inflammationis, in juvenibus potissimum sanguineæ constitutionis, post motus corporis impetuosiores, aut nimias spirituosorum potuum ingurgitationes; horrorem ingens æstus cum siti Tantalea excipiebat, pulsus erat frequens, durus, inæqualis, urina saturatissimè rubra, magna aderat respirationis difficultas, apertoque ore anxium ægri spiritum ducebant, & crescente malo strangulationis periculum instabat; deglutitio tantopere impedita, ut potus faucium angustias vix superaret, quin sæpe in nares refunderetur; in faucium isthmo interdum apparebat tumor, interdum autem in externo collo, ubi morbus mitior est, vel oculis cernebatur, vel manibus palpebatur, in iis verò, quorum vita in majori periculo, nullus planè tumor deprehendebatur. Non tantùm isthmus ita exurebatur, sed spectabatur simul in ore rubor flammeus, urgebat dolor acutus pulsatorius & punctorius, lingua tumida, obscurè rubra canum instar exerebatur, fauces arebant; si ægrotantium os aperias, omnia tensa videbantur; venæ infarctæ, oculi prominentes & sanguine suffusi; præterea aderat jacendi difficultas, ac frequens sedendi cupiditas. Ingens præ foribus periculum, cùm articuli gelido torpore rigebant, vultus livescebat, vox intercipiebatur, & stridor quasi in gutture & pectore audiebatur; inexorabilis mors instat, deficiente pulsu & voce quasi in caninam mutatâ, apparente etiam subinde spumâ oris. Omnia verò symptomata sunt mitiora in notha Angina. In vera, post venæsectionem, leniorem purgationem, resolventia seu discutientia, & in sanguine viscidiori etiam attenuantia profuêre, non neglectis lenissimis adstringentibus; si verò conatus discutiendi essent irriti, & dolor pulsatorius quarto vel quinto die suppurationis admoneret, eadem fuit debitè promota. Notha purgantibus mercurialibus, & blandioribus diaphoreticis, post V. Snem. in plethoricis, feliciter intra paucos dies fuit sublata.

Occurrerunt etiam eo tempore quidam alii inflammatorii affectus, quorum sedes an in hepate, an in pleura, an in membrana pulmonum quærenda, dubium, signis vulgò traditis fallacibus; cum econtra curandi eos methodus una eademque observari tutò possit; quæ in statu sanguinis discutienda consistit, per V. S. in plethoricis, &

diaphoretica fixa, non exclusis in phlegmatico- sanguineis volatilibus in dosi valdè mediocri: externè verò per vini spiritum camphoratum.

Julius naturam suam planè exuerat, ac majori ex parte imbribus, procellosis aëris agitationibus ac frigore squalidus erat; benignior Augustus, non tamen absque pluviis cursum absolvit. Æstiva amœnitas verò denuò in Septembri affulsit.

Mense Julio vagabantur iidem propemodum morbi, qui præcedentibus mensibus stragem ediderant, sed præ reliquis ferociebant Catarrhi, qui difficillimè medicamentis compescebantur, ac præprimis admodum rebelles erant illi, qui sedem in artubus, & potissimum in superiori brachii parte fixerant, ac ex dolore gravativo, motu partis impedito, imò etiam tumore aliquo, sine inflammationis signis, ex decubitu serosæ materiæ oriundo cognoscebantur; Unde lympham stagnantem vel motui suo restituere, vel ex corpore, ac præcipuè partibus laborantibus evacuare decuit.

Catarrhalis quoq; prosapiæ alii morbi notati, Otalgia scilicet & Tumores palati; nec non Diarrhœæ frequentiores comparuerunt, quas rhabarbarum tostum, c. nuce mosch. & bolus Tockavienſis ac caryophyllata compescuerunt.

Obvenêre etiam quædam melancholicæ feminæ 30. ætatis annum supergressæ, mœstæ, alta suspiria ducentes, taciturnæ, à comuni hominum consortio se subtrahentes, & ad nescio quem strepitum expaveſcentes, ac mirabilibus suspicionũ procellis jactatæ, leviq; causâ in epilepsiam hystericam devolutæ. Cùm verò dyscrasia humorum, ac impeditior eorundem motus in vena portæ, ac excretionis menstruæ mora adesset, post venæsectionem, vomitoria, pedilavia, sanguinis attenuatio procurata fuit per volatilia, sudorifera, martialia &c.

Mense Augusto nonnulli laborabant febri, quam Veteres dixerunt biliosam, (quæ subinde in lipyriam abit,) cum gravitate & angustia in scrobiculo cordis, conjuncta, non rarò cum nausea incipiens; aderat horripilatio non nimia, sed frequenter recurrens, capitis turbatio, & sanguineo- cholericis etiam dolor. Exacerbabatur quotidie horis matutinis, subsequis vel vomitu vel sedibus; quæ si deessent, æstus gravior, fauces aridæ, & sub finem deliriâ comatosa, semper ferè funestum minabantur exitum; hypochondria tendebantur & acerbissimis puncturis infestabantur. Jusçula tenuissima, nitrosa, theriaca, optimo cum successu adhibita; locum etiam habebant acida temperatiora, decoctum hordei &c.

Non-

Nonnulli etiam patiebantur febrem, quam synocham Scholæ Medicorum antiquæ, alii causum nominant; scilicet plethorici hæmorrhagiis vel venæsectioni assueti, ante solis ortum horrore quodam corripiebantur, subsequente æstu valdè gravi, respiratione anhelosâ & suspiriosâ, lipothymiâ ac ἐφυδρώσει; dolores capitis lancinatorii, ac tinnitus aurium, ut & vertigines indivulsi comites erant; tensiones dorsi & artuum non minori molestiâ afficiebant, sitis premebat maxima, ejus defectus non semper malus; in junioribus circa diem septimam hæmorrhagia narium largior morbum solvebat, in paulò annosioribus die 14. copiosis cessabat sudoribus; calamitosa autem horum sors, si soporosi supervenirent affectus. Eximius usus V. S. in principio hujus febris, modò illa non ortum trahat à nimiis laboribus, aut quod neonuptis aliquando accidit, abusu veneris; Cæterùm bezoardica & diaphoretica, analeptica & diaphoretica in usum venerunt.

Spectatæ insuper fuêre aliæ febrium species, assodes, elodes syncopales.

Mense Septembri Ophthalmia frequentiùs occurrit; cui interdum venæsectio, purgantia ferè omnibus aliquod auxilium attulerunt, diaphoretica apprimè juvarunt.

Diarrhœæ satis erant frequentes, neque tamen nisi ad medium mensis durabant, ac locum deinceps cedebant redeuntibus febribus continuis, cum doloribus capitis, nuchæ, faucium, orificii ventriculi, lassitudine ulcerosa &c. quæ bezoardicis fixis & temperatis optimè curabantur.

Plurimæ feminæ de mensium perturbatione & suppressione conquerebantur, quæ cum ab ingurgitatione ciborum insalubrium proveniat, emetica, in quibus malum nondum egerat radices, cum salutari effectu data sunt; reliquis verò lenioribus purgantibus, ac incidentibus, & aperientibus subveniendum erat.

Nec nulli erant, quos tum vexabat Dysenteria; qua de prolixum discursum Excellentiss. Dn. D. Helwichii in ipso tractatu legere licet.

Initia mensis Octobris æstivâ amœnitate abblandiebantur, & à novilunio ad primum Cynthiæ quadrantem demulcebat sudum, quod reliquis hujus mensis diebus, ventis, nebulis, ac pluviis sæpe obscurabatur, donec Luna denuo nasceretur mense Novembri, ubi iterum benignior aëris temperies, sed ad breve tempus, nam primus

Lunæ aſpectus ad plenilunium usque, rigido frigore horreſcebat, quod quidem iterum minuebatur, ac inſigniter remittebat, ſed ut tantò major vaporum copia ex terra humida aſcenderet, ac craſſiores inde naſcerentur nebulæ, ſæpe propter admixtiones ſulphureas, tetrum ſpirantes odorem, ac nubes huc illuc agitatæ, donec in pluviam tatiſcerent. Sub exordium Decembris tempeſtas varia, ac inconſtans erat; circa medium menſis, & Anno in finem vergente intenſius frigus dominabatur.

In Octobri, præter febres tertianas, etiam quartanæ occurrebant: horis pomeridianis homines melancholici temperamenti, ac ſegnioris naturæ, qui jam ætatis provectioris erant, adoriebantur, aut etiam febres malè curatas aut diarrhæas ab Empiricis ſuppreſſas ſequebantur in cujusvis temperamenti & ætatis hominibus, ne infantibus quidem & pueris exceptis. Præter vomitoria in robuſtioribus, aliis verò leniſſima evacuantia, aperientia inprimis data; quorum uſu cum impetus febris quodammodo fractus eſſet, cortex Peruvianus (ad quem ab initio nonnulli malo conſilio confugiunt,) plerumque ſubjugavit.

Ferax quoque erat Autumnus febrium lentarum & hecticarum, quæ partim quartanis malè curatis, partim hæmorrhagiis, per adſtringentia interna & frigida externa cohibitis, aliisve morbis ſuccedebant; quæ, cauſam earum per reſolventia, mundificantia & balſamica tollendo, & excedentem corporis calorem debitè temperando, exturbatis acribus recrementis per abſorbentia lenia diaphoretica, & diuretica, inprimis nitroſa, nec non corpora vix oſſibus hærentia commodè reſtaurando, curatæ fuerunt.

Eodem menſe Variolæ infantibus erant infeſtæ, quas aphthæ ac tuſſis pertinaciſſima commitabatur. Adultos febres continuæ cum levi rigore, æſtu mitiori, dolore capitis & pleuræ, lumborum & artuum infeſtabant, ſub finem verò in remittentes mutabantur, ac diarrhœis quaſi criticis, non tamen ſine omnibus torminibus, finiebantur.

Feminis ſolito frequentiùs hæmorhagiæ uteri erant moleſtæ. Longè autem communiſſima erant apoſtemata ac ulcera, quæ non tantùm callo ſa, varicoſa & ſinuoſa, ac cum carie oſſium conjuncta, aut quæ circa articulos erant, aut partes glanduloſas, membranoſas obſidebant, Chirurgis crucem figebant; ſed alia benigniora in iis etiam corporibus, quæ cacochymicis humoribus non adeo turgebant,

bant, aut ex cachexia languebant, difficulter curabantur. Nam & symptomata, singulis autumnis, plura eâque graviora, curam alio tempore facilem, plerumque reddunt difficiliorem.

In Decembri Tumores circa latus sinistrum (quos antiscorbutica, resolventia, & distentionem ac flacciditatem fibrarum respicientia, juvant,) in hypochondriacis, ac minimè rarò in mulieribus hystericis spectati; molles ii & fungosi, in non paucis ferè universam sinistri abdominis partem obsidebant; ferè sub costis nothis incipiunt, & quando supini jacent ægri, lineam albam aut transscendunt, aut proximè attingunt, & vacuum spatium inter costas & spinam ilii implent; tactu interprete non obscurè constabat, quod tumefactus lien supra mesenterium, intestina, ventriculi partem, ac in mulieribus supra uterum emineat.

Phlegmatici & phlegmatico-melancholici, inter 20. & 30. ætatis annum, catarrho correpti, quotiescunque prioribus quinque diebus ex bronchiis rejectio non ritè procedebat, in febrem incidebant catarrhalem, seu continuam periodicam quotidianam veterum; scilicet post quartam pomeridianam, horrore & frigore levi tentantur ferè per horam unam, succedit calor acris, & fermè per noctem durat; lingua est albo & lento humore obducta; non urget magnopere sitis, pulsus est frequens, non adeo magnus, urinæ colorem aurantiorum æmulantur, ac post brevem moram parietibus vitri inducunt cutem ex albo rubentem; lassitudo artuum gravis est; torquet & anorexia ac agrypnia, cum cephalalgia gravativa, aurium susurro, ut & tussi, quæ tamen nec patientes nec Medicum terrere debent; aliquid tamen monstri alunt pleuritides & deliria, periculum autem maximum denunciant anginæ & aphtæ, si quando cum ea complicantur. In qua medicamenta facultate resolvendi mucum, & salia diuretica commodo tempore exhibita votis ægrotorum satisfecerunt.

Nephriticæ passiones etiam, ferè in sanguineis, & hæmorrhagiis antea assuetis, observatæ, sive renum inflammationes, quas non solum dolor & ardor vehemens comitatur, sed & dysuria, fibrosæ excretiones, arenosæ cum sanguine aliquo, subsequâ ordinariò lithogenesi. In quo affectu inprimis decoctum Foresti, & pulvis famigeratissimi nostri quondam Præsidis Volckameri laudantur.

Nec minus podagrici dolores illo tempore satis erant communes; quibus in paroxysmo, horis matutinis, lenia diapnoica, cum ner-

vinis, sine sudore coacto; pomeridiano aperientia, ac sub noctem pulveres nitrosi, cinnabarini &c. exhibita; externè camphorata omnibus præferri merita fuerant.

CONSTITUTIO EPIDEMICA VRATISLAVIENSIS,

Anno MDCC.

IN Januario frigus usque ad Lunam παντέλμνον satis erat remissum, quod nec nerveas fibras spasmodice corrugare, nec glandularum subcutanearum meatus constringere, aut poros cutis coarctare aptum; reliquis verò ejusdem mensis diebus usque ad Interlunium nebulæ corporibus infestæ, aërque humidus, & seri copiam accumulare, hujusque inter glandulas laxiores stagnationi ansam præbere, tonumque relaxare, ac enervare potis erat.

Februarium jam gratum Solis jubar illustrabat, jam pluviis & nivibus exposita torporem corpora ægrè declinare poterant; frigus verò per aliquod dierum intervalla quodammodo adurebat, cum Luna totâ nocte luceret. Usque ad medium ferè Martii perpetuæ frigidi & tepidi aëris vicissitudines notabantur, quas ad finem mensis usque turbida ventis ac pluviis molesta tempestas excipiebat.

Præter morbos superiori Anno enumeratos Variolæ grassabantur, & quidem multò frequentiùs distinctæ, quàm confluentes. Primis ab invasione diebus, seu tempore ebullitonis, nunquam non febris acuta aderat; cujus exacerbationes satis incertæ, nisi quòd tertio die recurrentes aliquibus tertianæ febris suspicionem moverent: præcedebant ferè lassitudo & gravitas corporis, pandiculationes & oscitationes, dorsi lumborumque dolores, pulsus ad spinam dorsi, & sensus pruritus ac punctionis in cute, sed horror & rigor, præsertim recurrens, rariùs vulgò; frequenter vomitus à primo morbi insultu fatigabant, iique interdum immanes, aut si hi abessent, præcordiales anxietates gravissimæ cum inani vomendi conatu conjunctæ ægris negotium facescebant; alvi fluxus rariores observati; in pluribus alvus sine damno ad aliquot dies adstricta; in pauciſſimis etiam urina suppressa; vix visi qui sæpe se ad reddendam urinam urgeri conquererentur. Urina varia erat, quorundam flammea, & intensè rubra, nonnullorum turbida, & opaca, qualis jumentorum esse solet,

let, quæ post eruptionem variolarum interdum clarior reddebatur; interdum verò per aliquot dies à protrusione adhuc turbida excernebatur; aliorum autem pallida, in uno alterove cruenta; nares frequenter sanguinem stillabant. Propensio in sudorem ingens; nonnulli, præprimis qui erant temperamenti phlegmatici, dormiturièbant, alii de turbulentis conquerebantur insomniis, ac sæpe expaveſcebant, ac altos subinde in illis tollebant clamores; capitis dolores jam gravativi, jam punctorii, cum temporum pulsationibus molesti; facies tumebat, atque maxillæ rubebant; oculi prurientes, rubentes ac splendentes, quinimo aquâ suffusi, palpebræ ac nares dolore pruriginoso vexabantur; anhelitus difficultas; vox rauca; tussis sicca, cordis palpitationes & tandem etiam deliquia non rarò observabantur; in aliquibus habitu corporis densiori præditis etiam saliva in majori quantitate rejiciebatur; pars magna ægrorum corpus variè jactitabat; in genere musculoso subinde motitationes; minimè etiam rarò teneriores invaserunt motus convulsivi, iique vel particulares in labiis, oculis, vel magis universales; in multis deliria. Ordinariô die quarto prorumpebant, in quibusdam tardiùs vel citiùs, subrubræ pustulæ tenuissimarum acicularum puncta æquantes, sensim dein subeunte humore agebantur in altum, & evadebant fastigiatæ ac distinctæ, quæ multò erant tutiores, si in basi essent rubræ, supra autem albæ, eminentes & molles, quàm illæ quæ in latum exporrigebantur; mali ominis erant, quanquam non adeò frequentes, lividæ, violaceæ; certi verò lethi prænunciæ, quæ maculâ nigrâ in medio deformabantur. In quibusdam cacochymicis corporibus notatæ fuerunt in interstitiis variolarum petechiæ, aliæque maculæ, nonnunquam etiam veſiculæ aqueæ, cum funesti utplurimum eventus præsagio: Nonnulli etiam post eruptionem nihilominus febri, difficultate spirandi, anxietate, cruciatibus insignibus circa lumbos vexabantur; atque hi non erant extra periculum constituti; evasêre nihilominus plerique, modò abessent inexpugnabiles vigiliæ, phrenitis, crebra deliquia, palpitationes cordis, motus convulsivi; urina nigra, vel hæmorrhagiæ enormes, alvi profluvium. In aliquibus admisso frigore, alioque incommodo regimine, retrocedebant, non sine summo discrimine vitæ. Circa octavum diem in facie intervalla pustularum priùs alba rubere incipiebant, in tumorem attolli, & dolore tensivo affici; extendebantur palpebræ, & ut vesica inflata, haut rarò oculos claudebant; proximè

ximè dein intumescebant manus, digitique distendebantur. Calamitosum, si pustulæ subitò iterum conciderent. Tandem pus fundebant satis coctum, quod sensim exsiccabatur, variolæque circa diem 14. dedicebant. Variolis exsiccatis, majores tumores & abscessus subinde in artubus observati, pus accerrimum plorantes, & nisi in tempore occurreretur, venas exedentes, carnes consumentes ac ipsa ossa vitiantes, membrisque omne robur adimentes. Omissis calidioribus remediis, si motus & agitatio sanguinis jam satis magna in corporibus calidioribus deprehenderetur, ut & V. S. ac purgatione, victus refrigerans, & moderatissimè calidus aër fuit commendatus; in effervescentia justò minori lenis & blanda diaphoresis cardiacis moderatis, matre perlar. coral. ♁. diaphor. C. C. lap. bezoar. utroque, emulsionibus; ægris phlegmaticis etiam calidiora, Tinct. bez. Ess. myrrh. scordii &c. exhibita: appetente exulcerationis tempore, & pustulis non debitè se attollentibus, pulveres bezoardici tantillo myrrhæ, & croci grano uno alterove remixti, suppetias tulêre exoptatas: planè maturæ & pure acriori turgentes quibusdam non malè apertæ: dum exarescerent, pulveribus supra dictis lapides cancr. additi: In Macularum vestigiis certò tutoque sapo Neapolitanus balsamicus profuit.

Variæ morborum spasmodicorum species eodem tempore, ac convulsionum non unum genus visum. In spasmo cynico topica non tantùm in principio nervorum, sed & bono cum successu musculis in latere opposito applicata. Satis communis erat in feminis hystericis ac spleneticis illud deliquium, quo omnium sensuum ac motus exercitio privabantur & concidebant, quod vulgò audit epilepsia uterina, & curabatur methodo à Practicis præscripta. E contrario interdum corpus variis motibus concussum, sensusque maximam partem fuisse integros notatum fuit, ita ut omnium, quæ circumstantes egerant, recordarentur, finito paroxysmo.

Erat etiam hisce diebus Odontalgia non paucis molesta, quemadmodum etiam aliis anni temporibus esse solet, quando aër frigidus, tumidus, & pluviosus existit; quanquam & plurimis aliis à causis eadem aliàs oriabatur. Unde etiam varia opponenda sunt remedia.

In Aprili terra blando tepebat calore, quæ aliquando etiam calidis fovebatur pluviis, de cætero ferè semper grato Solis jubare illustrabatur.

In

In Majo major aëris inconstantia erat, visus post nubila Phœbus, ac post Phœbum fulgur, & nonnunquam tonitrua audita.

Ineunte Junio calor Solis temperatus refocillabat, qui etiam in procedente mense non tamen absque intermixtis pluviis recreabat; circa finem verò turbida fuit tempestas, ac frequentes imbres.

Sub initium hujus trimestris febres petechiales quadantenus remittebant, ac in quotidianas, tertianas, aliquando etiam utut paulò rariùs, quartanas degenerabant.

Passim verò tum temporis Erysipelate infestabantur, præprimis sanguinei, & sanguineo-cholerici, rarius sanguineo-Phlegmatici, & tantò magis, si consuetæ sanguinis evacuationes ad tempus suppressæ, aut patientes terroribus, aliisve animi pathematibus concussi fuissent: Præcedit ferè horripilatio, sequitur verò calor præternaturalis totius, æquabilis & ferè vaporosus, cum aliqua tamen acredine & morsicatione conjunctus, ac cætera adsunt, quæ aliàs in inflammationibus observantur, rubor, dolor, febris, aliqua partis intumescentia. Cura fine V. S. & purgatione absolvi potest, Solis diaphoreticis, & externè discutientibus.

Purpura alba solitò frequentiùs hisce diebus infantes, pueros ac feminas, & inprimis puerperas cholerico-sanguineas &c. corripiebat. Ultimas quidem omni tempore post lochia suppressa invadere suevit, at verò si hæc causa absit, nec iracundia gravior, ac illa quidem ferè suppressa præcesserit, aliis anni partibus non æquè multis infesta est. Typus morbi sequens est: Initio quidem mediocri corripiuntur horripilatione, quam excipit æstus non adeo vehemens; magis molesta est angustia præcordiorum, quàm dolor capitis, qui non acutus, sed ferè turbulentus existit; adest etiam faucium dolor & ardor; Somnus propemodum omnis cessat, & paucæ sunt quæ sub initium morbi, per unam alteramve noctem somno non interrupto fruantur, alvus plerumque officio non satisfacit; pulsus celer est & quasi oppressus; urina cruda ineunte morbo, sub exitum satis copiosum deponit sedimentum; appropinquante die quarto, quanquam interdum etiam citiùs illud fiat, in artubus, collo, pectore, elevantur & extuberant pori cutis cum rubore, instar cutis anserinæ, ac sensim oriuntur numerosissimæ pustulæ magnitudinis exiguæ, pellucentes, aquea quadam humiditate gravidæ, quæ in siccioribus satis maturè ferè intra 24. horas exsiccantur; in humidioribus & junioribus aliquantò diutiùs, erosâ cute, aliquid humoris exstillant.

non sine aliquo corporis pruritu & ardore, qui ab initio vix observabatur. Conveniunt nitrosa & salina aliquoties per diem exhibita, præmissis manè diaphoreticis & bezoardicis fixioribus, aut etiam decoctis ex fumaria, sambuco cum sero lactis caprini paratis.

Satis etiam communis erat Fluor albus uterinus in feminis quibuslibet ultra pubertatem annis, frequentiùs tamen paulò provectioribus ætate; cujus mali non ita facilis est cura, quippe in qua & viscerum chyli secretioni, & seri depurationi inservientium, & lymphæ ratio habenda; ut nempe abundantia seri & excrementitii ac viscosi ex corpore eliminetur, materiæ fluxum hunc constituentis proventus impediatur, & uterus corroboretur; inprimis per nodulos ex stomachicis, uterinis ac purgantibus, & diuretica, succinata, terebinthinata &c. per diaphoretica, ♃. ♂., lignorum decocta. Salivatio generosum illud remedium est, quo etiam inveterati fluxus debellari possunt &c.

Qui isto tempore in ætate puerili fuerant immunes ab exanthematibus, sub finem Veris, Achoribus & Tineâ infestabantur; ubi optimè conducunt, quæ aliàs in scabie prosunt: non sine fundamento Nicotiana laudatur, at camphoratorum usus noxius, & tantum excitant dolorem, ac si carbones vivi capitibus impositi essent.

In Julio terra per totum mensis cursum benigno Solis calore animabatur, ac simul calidis fovebatur pluviis, subinde tamen etiam tonitrua audiebantur. Per Augustum eædem gratæ inter Phœbum & nubila vices durabant. Nec alia aëris in Septembri constitutio, nisi quod frigidior aura post benignum Solis calorem allaberetur corpori ac aliquam ei afferret molestiam.

Hoc tempore grassabantur febres continuæ intermittentes, cum dolore hypochondrii dextri, Pleuritides spuriæ, in infantilibus corporibus excretio miliaris notabatur. Multos choleræ, Diarrhœæ ac Dysenteriæ fatigabunt. Multi Catharrhis obnoxii degebant, ac pertinacissimis Tussibus concutiebantur.

Vidimus etiam in æstate motus quosdam febriles, qui nullum typum observabant, neque statis exacerbabantur periodis. Mirabilis in istis vicissitudo est, eaque satis crebra: qui hac hora ex anguistia cordis gemit & trepidat, de fatigatione summa conqueritur, post unius alteriùsve horæ spatium, erecti animi est, & frontis exporrectæ. Propemodum autem febriles ejusmodi excandescentias experiuntur homines scorbuticis maculis, modò rubicundis, modò livi-

dis

dis deformes. Hæ quando numerosiores in corpore comparent, ferè abest ejusmodi ebullitio, sed quando pauciores adsunt præprimis in loco minùs consueto, tum ejusmodi alterationes sentiuntur, præsens quoque est manifesta coloris macularum mutatio. Non carent hæ inordinatæ febres suis symptomatibus; nam & anxietates gravissimæ præcordia premunt, languor totius corporis & ossifraga omnium membrorum lassitudo invadit, ac interdum alii graves impetus ac tumultus corpus affligunt; partes autem maculis obsideri solitas dolor tensivus, gravativus, imò & rigor occupat, adest vertigo, non rarò æstuantem calorem sequuntur horripilationes; pulsus ferè magnus est, interdum aliquo modo inæqualis & parvus; urina ferè crassa est, & statim, postquam reddita est, conturbatur, ac deponit corpora rotunda; instar arenularum, & superior substantia nihilominus crassa manet, & quasi pinguedo quædam vitri parietibus adhæret: vix post sumpta cathartica, ut aliàs fieri solet, claresçit, sed turbida manet. Prodest excretionem macularum promovere, aut materiam earum subigere & corrigere, cum antifebrilia solâ non sufficiant.

Vicissim eodem tempore excruciabantur aliqui dolore artuum, statis horis, singulis diebus per aliquod septimanas redeuntibus, sine ullo febris signo. In cortice Peruviano inventum est remedium.

Viri quidam & mulieres fervido cœlo de tormentis pruritus, interdum ad lipothymiam usque, interdum certis tantùm in partibus, præsertim ano & pudendis, fuerunt conquesti. Quædam gravidæ cum aliquibus exanthematibus tortorem hunc per multas septimanas sustinuerunt. Qui non tam ab humoribus acribus, quàm à vermium morsu excitatus fuisse videtur, præsertim quòd remedia anthelmintica præ cœteris conduxerint, ut topica amara in vino decocta &c.

Cœlo sereno & calenti frequentissimæ erant sternutationes, & jungebantur hæ etiam morbis tum grassantibus. Præter hydragoga, suus sudorificis hîc constat honos; eximiè verò præ cæteris juvant frictiones & ligaturæ extremorum, ut & V. S. nec non Spiritus retentio.

Octobris initia benigno calore grata, reliqui autem mensis hujus dies turbidiores, & propter pluvias ac frigus inamœniores erant. In Novembri temperatus erat aër, usque ad plenilunium, post a autem nebulosus ac pluviosus; mense ad finem vergente, incon-

stans ingruebat frigus, ut plurimum tamen satis remissum. December inter nebulas, ventos & pluvias transactus. Multi sub hac aëris constitutione tussi infestabantur. Regnabant etiam febres cum mordaci calore, doloribus hypochondriorum, dorsi, siti immodicâ, exanthematibus serosis, purpurâ, pleuritide, ictero, & diarrhœâ, singultuque conjunctæ; & bezoardicis fixis & volatilibus, intermixtis anodynis, oppugnatæ fuerunt. Jungebantur etiam paralyses linguæ, & insultus apoplectici, sine evidenti periculo. Circa solstitium hybernum etiam Asthma convulsivum, aliquando Parotides supervenerunt.

Parturientes in autumno experiebantur dolores & spasmodicas vellicationes ac contorsiones in diversis locis, quas ex fructuum ingurgitatione ortas suspicio fuit, iisdem autem Essent. carm. D. Mich. D. Wedel. &c. obviam ibatur.

Creber affectus erat inflatio ventriculi, interdum satis enormis, quam ructus, difficultas deglutiendi comitabantur per evacuantia, & carminantia non nimium calida facilè curabilis.

Alii Lienteria corripiebantur, & egregie stomachicis sublevabantur, præprimis ex mentha & absinthio paratis. nisi quod aliquando eveniebat, cum ictero, hydrope, febribus tertianis lentis eadem complicaretur. Quidam cœliaco laborabant fluxu, atque iisdem remediis sanabantur. Exempla etiam Asthmatis stomachalis offerebantur, sive cruditates in flatus resolutæ diaphragma comprimerent, sive ventriculus à contentis suis in spasmum concitatus, contiguum sibi diaphragma simul afficeret; imò unum alterumve datum fuit exemplum febris anhelosæ & asthmaticæ, quam describit Sylvius l. 1. prax. c. 30. Cura in evmetis, ubi circumstantiæ permittunt, vomitorio expediri potest.

Consilium Medicorum hoc tempore à Chirurgis non minus requisitum fuit, quomodo in ulceribus sinuosis inveteratis internè ortis & oblongis, exterius vero callosis, rite sese gerere deberent. Hæc enim ulcera tum aliis temporibus Uratislaviæ, tum maximè in Autumno Chirurgis crucem figunt. Ubi totum inprimis ductum discindere, callosam cavitatem septicis tollere, consolidationem balsamicis promovere &c. consultum fuit.

Omni quidem etiam tempore gummia Gallia observantur, maximoperè tamen circa autumnum sæviunt, quæ post sanguinis depurationem, eorundem per emplastrum diachyl c. Gum. & mercur. &c. putrefactione, per cauſticum apertione, unguento basilico mundificatione, inprimis curata fuerunt.

CON-

CONSTITUTIO EPIDEMICA URATISLAVIENSIS.

Anni MDCCI.

IN Januario variæ erant ratione frigoris viciſſitudines; modò enim aër liqueſcere & quodammodo diffluere, ac in ampliora ſpatia ſeſe diffundere videbatur, modò autem frigore conſtipatus in anguſtum cogebatur; finem vero menſis imponebant nebulæ illæ inſalubritatum fomites. Februarius tum his, tum etiam nivibus, & variis ventorum mutationibus horridus erat, nonnunquam tamen quodammodo placidus & æquabilis aëris fluxus obſervabatur. Sub initium Martii frigidiuſcula aura ſubito cum blandiori aëre commutabatur; nec tamen Menſis ad finem ſine nimbis, grandine, variis ventorum tumultibus decurrebat, ſic tamen, ut blandus ſolis calor in his aëris varietatibus nonnunquam Sileſiæ incolas exhilararet.

Menſe Januario febres continuæ periodicæ, variis ſtipatæ Symptomatibus præprimis autem cardialgia, vomitu, ſpasmis, hypochondriacis &c. non paucis erant moleſtæ. Graſſabatur etiam Pleuritis Spuria; erant quos Eryſipelas capitis in periculum vitæ conjiciebat. Lumbago quoque iis, qui Bacho & Venere delectabantur, moleſtiam creabat. Nec minus febres petechiales ſatis erant frequentes, qua etiam ad domeſticos incaute cum ægris converſantes, præprimis ſi hic eſſent meticuloſiores, per contagium propagabantur. Tractati fuerunt hi morbi non ſine felici ſucceſſu, methodo ſuperius adumbrata.

Catarrhi, Tuſſes ferinæ &c. etiam graſſatæ ſuut; in quibus hoc tempore opiata minime profuerunt.

Menſe Aprili admodum inclemens erat aëris conſtitutio, & miris ventorum, frigoris, grandinum, nebularum, nivium, pluviarum viciſſitudinibus, etſi ad teporem nonnunquam inclinaret, ingrata. Nec in Majo Veris dabatur frui deliciis. ſed ſub turbido & nebulis obducto ac pluvia cœlo major menſis pars agebatur, eoque gratior erat blandus in Junio Solis calor, qui tamen & ipſe pluviis & tonitru ſubinde turbabatur.

Hoc tempore omnis generis febres graſſabantur; præprimis crucem figebat illa, quæ typum talem obſervabat: Primo die horror ſatis gravis homines catarrho obnoxios & craſſiori victui aſſuetos, aëriſque injuriis crebrius expoſitos, aut ad tabem pronos invadebat, horrorem ſequebatur calor valde inæqualis, pulſus autem ferè debilis erat; æſtus per horas modò pauciores ſep-

tem, novem, modò plures, v. g. 12. 14. &c. perseverabat, post quem aliquibus sudores effluebant, quibus manantibus, utut febris remitteret, plenè tamen non cessabat. Erant qui post calorem nondum sopitum, eodem die denuo horrore & frigore concuterentur, ac illis jam dicto die vomitus erant molesti; iis præprimis horis, quibus febris intendebatur; die secundo perseverante adhuc calore, denuo propemodum eâdem horâ, quâ primo, miseros opprimebat alius horror, aliudque frigus, & tandem etiam calor, qui sensim augebatur, sed tamen longè adhuc aberat à ferocia ejus, qui primo die ægros exurebat, sed neque tot horis, quàm illic continuabat; tertio die eadem, quæ primo, ludebatur fabula; quarta iterum secundo respondebat; verbo: semper uno die febris erat gravior & quasi composita ex tertiana & quotidiana, altero autem erat levior, typum unius quotidianæ referens. Solvebatur intra 14. aut 20. dies per diarrhæam, mutabatur etiam in tertianam duplicem, in aliquibus scabies succedebat per totum corpus diffusa. Cedunt etiam hæ febres adhibidâ ordinariâ methodo curandi superiùs adumbratâ. Lenia evacuantia eximiè profuerunt secundo aut quarto die, imò & aliis diebus paribus, etiam repetitis vicibus exhibita. Omnia Symptomata erant leviora, si illis diebus, quibus unus tantum affligit paroxysmus, sub declinationem blanda dabantur alexipharmaca. Ante paroxysmos præcipitantia cum salibus alcalinis & nitro rectè etiam morbo huic opponuntur omissâ venæsectione.

Præter has febres occurrebant etiam, quæ itidem tertio quoque die ut priores ingravescebant, sed absque rigore & horrore stata observantes tempora, nisi quòd rigores ἀτάκτως καὶ πεπλανημένως inordinatè & erraticè, non unà cum paroxysmo invaderent. Non mali videbantur esse moris ab initio, sed procedente morbo ferè in pejus ruebant, ac criticis præsertim diebus excandescebant; aderat morsus ventriculi, aliaque symptomata maligna, in his lethargus, in aliis vigiliæ cum deliriis conjunctæ; impeditus erat urinæ fluxus eo tempore, quo rigebant. Satis erant contumaces, nec nullos interimebant. In cura nihil peculiare observatum, nisi quòd è re fuerit, superato rigore, ad æqualem sanguinis distributionem obtinendam diaphoretica & alexipharmaca propinare.

Cæteræ febres ferè omnes conjunctæ erant cum Otalgia, quæ certè & ægris & Medicis facessit negotium. Omissis emeticis, purgantibus, & V. S. fuerunt internè exhibita, quæ aliàs in viscerum & meningum inflammtionibus præscribi consueverunt; externè verò potissimùm linimenta spirituosa, & hæc quidem camphorata & crocata sæpius applicata: aliquod etiam in pedilu-

viis

viis solatium, si dolor ille, quod tum temporis observatum, solitariè absque febri affligat.

Primiparæ habitiores lautioris conditionis, imò & aliæ puerperæ partus doloribus defunctæ, hisce diebus ferè omnes conquerebantur de dolore compressivo satis vehementi in dorso, quem nec mulierculæ suis remediis domesticis, nec Medici selectis etiam pharmacis depellere poterant. Acerbiores erant cruciatus earum, quæ jusculis consummatis, ut vocant, lapsas reponere vires gestiebant, præprimis si infantes essent debiliores, & in uberibus solicitandis negligentiores. Nihil æquè his profuit, quàm victus tenuior, & evacuatio lactis ex mammis liberalior, evidati certè argumenro, dolorum hunc non aliunde pendere, quàm ex vasorum lacteorum, ipsiusque ductus thoracici chylosam materiam pro lactis generatione advehentium repletione ac nimia distensione.

Præcipuè autem hoc tempore communes de vertigine, tinnitu aurium comitatâ, querelæ audiebantur. Occurrebant satis multi, quibus caput & visus objecta circumagi videbantur. Nec nulli erant, quorum, oculis tenebræ, aut intra tenebros splendida quædam observabantur, & caput in turbinis modum circumduci videbatur. Hoc autem malo vexabantur, qui in otio viventes liberalius subinde se vino invitarunt, aut qui antea hæmorrhagiam narium, vel fluxum hæmorrhoidalem experti, his evacuationibus per tempus aliquod caruerant; aut qui alios cathartsi fuerunt assueti eandemque omiserant. In cura V. S. inprimis, frictiones etiam, ligaturæ & pediluvia fuerunt adhibita; post V. S. purgantia, rarò emetica in plethoricis data; inter sudorifera Tinctura bez. D. M. omnium minimè expectationi satisfecit, ut & spirituosa aromatica, aliaqua plura. Aliquantò major virtus fuit in Succin. Spec. de hyacinth. maxima autem inter usitatiora in cinnabari nativa.

Præterea multorum infantum corpora hisce diebus motibus convulsivis concutiebantur, quorum non pauci à parentibus suis per mortem avellebantur; nec infrequens in illis erat Ranula.

Sub illud tempus, quo fraga & ribium baccæ passim apponebantur, & avidè, ut fit, ingerebantur, alii Diarrhæâ corripiebantur, alii autem Cholerâ, præprimis si vinum in glacie refrigeratum ingurgitarent. Cholerici non tantum sursum & deorsum magno cum impetu humores bilioso egerebant, sed & ingenti siti torquebantur, & assidua corporis jectigatione fatigabantur: mens earum percellebatur, aderant vigiliæ & partium extremarum refrigerationes; quæ symptomata, nisi statim ab initio blanda data abstergentia aut levissima

evacuan

evacuantia ac præcipitantia, cum diaphoreticis & discutientibus, ipsa mors excipiebat.

Varii oculorum affectus tunc etiam occurrebant. Nonnulli laborabant Epiphorâ, & tenuis humor calidus & mordax, lachrymarum specie in oculos irruebat. Ex his aliqui in febres intermittentes lapsi non modò molestiæ levamen ex febre superveniente non senserunt, sed & dolorem augeri, eò quòd forté acerrimum remaneret, dissipatis humidis & aquosis particulis, crebrò conquesti sunt. Alios acres & salsi humores cum rubore & palpebrarum exulceratione, gravi afficiebant tædio. Inflammationes quoque oculorum aliæ aliis erant pertinaciores. Interdum oculi erant satis squalidi, & vasa supra modum extumescebant & tamen totum malum remediis debitis facilè tollebatur. Nonnunquam verò inflammatio multò minor erat, & tamen quidquid etiam ageretur, frustrà tentabatur. Erat autem hoc in casu cum ophthalmia dolor capitis diuturnus indissolubi nexu conjunctus, qui satis ostendit, in consortium mali meninges & intimas crebri partes trahi, quod etiam subinde in aliis fieri morbis patet ex Cl. Baglivi scripto de fibra motr. Visus autem eorum, qui ita affecti erant, indies magis obscurabatur, nec in minimo cœcitatis secuturæ periculo versabantur. Id creberrima docuit experientia, alvi profluvium, sive sponte naturâ motum, sive pharmacis excitatum, ophthalmicis esse admodum utile.

Porrò sæviebant maximopere brachiorum dolores, qui omnem remediorum applicationem eludebant.

Mulieres etiam sanguineæ constitutionis, quæ paulò liberaliùs vinum bibunt, dolebant hypochondrium dextrum, Spirandi aderat difficultas sine tussi, quæ in horas increbescebat; accedebat nonnunquam febricula, quæ dolorem, modò is esset mediocris, ne ad claviculam aut ilià pertingeret, solvebat; de quo ipso dolore loqui videtur Hippocrates l. 6. aph. 40. Nihil æquè profuit, quàm primo quovis tempore sanguinem liberaliter ex venis in pede detrahere, id quod argumento est, aut hepar phlogosi in hoc dolore corripi, aut sanguinem in trunco venæ portæ vicinisque ramis stagnare. Difficilior est cura, si dolor hic sit conjunctus cum tussicula inani, ex hoc enim non vané colligi potest, etiam diaphragma in societatem doloris rapi, id quod fit, cum gibba hepatis pars inflammatur, ut pote quæ propius diaphragma attingit. Si paulò gravior sit inflammatio, ne digitorum quidem pulsum ægrotantes ferre possunt; jactantur plurimum, lingua arida & scabra est ob ingens in sanguine incendium.

Mensis Julius erat amœnissimus, nam & gratum solis jubar exhilarabat, ac tepidis aliquando pluviis terra refocillabatur. Major æstus erat in principio

Augusti

Augusti, & crebra audiebantur tonitrua; eoque gratiores erant, quæ subsequebantur pluviæ? Etesiæ quoque gratè spirantes nimium temperabant fervorem. Nec minus blandà & grata erat aëris constitutio in Septembri, nisi quòd circa Novilunium rigidior aër corporibus esset molestus.

Præter morbos æstivales in præcedent. enumeratos, scenam hoc tempore ingrediebantur dejectiones dysentericæ, quas in corporibus cacochymis, rum etiam quando symptomata remittunt, & scybala minus sunt cruenta, nec sedes adeo torminosæ, sed ad legem naturæ accedentes, nec non somnus recurrit, & denuo alimenta appetuntur, adeoque in portu ægri sunt, ex improviso sequebatur diarrhæa, quæ corpus variis humoribus repletum deplens, nihil siniştri portendebat, sed, etiamsi vires aliquo modo dejiceret, firmiorem imposterum sanitatem pollicebatur; conf. Hipp. sect. 7. aph. 77.

Post propulsas ejus temporis febres, in diversis hinc inde corporis partibus, præsertim autem in volis manuum & plantis pedum, reconvalescentibus epidermis discedebat, & quasi per squamas abradebatur.

Aliàs iisdem diebus multi ex egenis cacochymi deformabantur Porrigine, præter blandam catharsin, diaphoresin, & diuresin, juxta cum diæta laudabili, topicis abstergentibus circumspectè adhibitis curata.

In hac ipsa æstate passim etiam audiebantur querelæ de doloribus artuum & infimi ventris; crurum dolor potissimùm multis infestus erat: hunc alii tensivum, alii obtusum, alii mordicantem, alii autem pungentem & erodentem in profundo circa os experiebantur, qui in motu corporis graviter efferebatur. Alii dolorem hunc ita describebant, ut dicerent, malleolis sibi quasi crura contundi: Nec minùs brachia gravissimis torquebantur doloribus, qui non secus ac à lue venerea oriundi nocturno tempore ingravescebant. Alii per intervalla luctabantur cum doloribus & lancinationibus intestinorum intolerabilibus, qui exhibitis carminantibus & anticolicis remediis magis intendebatur. His autem aliisque variarum partium cruciatibus obnoxii illi erant, qui cibis crassis, salitis, pane non benè à furfuribus purgato, cervisia crassa, turbida & feculenta, aut vino nondum satis benè defecato, vel nescio quibus mangoniis corrupto utebantur. Hic unicè antiscourbtica cum radd. chinæ, sarsaparillæ, & lignis exoticis decocta aliquo modo ægris erant solatio; quibus ipsis etiam remediis sublevabantur ii, qui de languore, nullo etiam præsente morbo, lassitudine totius corporis cum aliqua oris siccitate conquesti fuerunt.

Multi in teneriori ætate constituti, circa dies caniculares, etiamsi nulla dysenteria aut diarrhœa essent correpti, assidua desidendi cupiditate cum torminibus quibusdam conjuncta vexabantur. Post frustra adhibita enemata,

lenia evacuantia, humorem acrem demulcentia, balnea, tandem cum ab ascaridibus malum foveri suspicio esset, majori cum successu anthelmintica enematibus addita atque per os data fuerunt.

Initia mensis Octobris blando calore grata, sed plerique sequentium dierum ventis, pluviis & variis aëris mutationibus horrida erant. In Novembri modò pluviæ decidebant, modo nives; & utut aura subinde esset satis temperata, nonnunquam corpora frigore rigebant; hoc autem in Decembri erat intensius, præprimis circa Plenilunium; at paulò post & intercurrentes nebulæ & pluviæ Solisque jubar violentiam frigoris mitigabant.

Inter varios hujus temporis morbos, non rarò occurrebat Gonorrhæa virulenta, quæ ab omni tempore Veneris amasios mulctat, autumno tamen, qui exulcerationibus omnibus minùs favet, inclementiùs sævit.

Porrò inter communiores morbos erant febres, quæ nec statum tempus servabant, nec eodem modo semper invadebant, sed modò diebus singulis, diversis tamen horis, modò alternis homines opprimebant: jam diuturno, jam nocturno tempore ingravescebant; hoc die cum horrore notabili aut rigore, alio autem sine sensu frigoris paroxysmus ingruebat; hodie immanis cardialgia molesta erat, cras ventris tormina affligebant; jam hoc symptoma, jam aliud miseros magis fatigabat. In cura placuit Hippocratis consilium lib. de rat. vict. in acut. *inconstantes & erraticos morbos curare non expedit, priusquam constiterint*, seu certum typum & periodum observaverint, quod circa septimum diem hic evenire solebat; nam tum vel in tertianas vel in continuas degenerabant, & methodo convenienti curabantur.

Quartanæ quoque autumnalium morborum numerum augebant, in quarum cura plebejis quibusdam illa non malè cessit temeritas, qua febricitantes subito terrore graviter percellunt, si vel sedes, ut fit, vel deinceps sudores copiosi, aut alia quædam evacuatio largior succederet. Nec methodus illa, quæ has per anodyna, præmissis lenibus evacuantibus, febres tollit, inutilis deprehensa est.

Præterea urinæ stillicidia, vel ab humorum ad renes per arterias delatorum acrimonia, aut, quod verisimilius, à renum ulcere oriunda exasperabantur. Trichiasis in quibusdam notabatur, incidentibus & purgantibus lenioribus curatæ Tabidi pejus habebant. Grassabantur etiam iterum ischiatici dolores. Multi qui cœlo pluvio sub dio laboraverant, aut etiam in aquis ac paludosis locis manuum opera exercuerunt, difficili respiratione & orthopnœa sine conchis vexabantur, quibus non tam expectorantia, quam evacuantia, diuretica & sudorifera conducebant. Magnus etiam inter egenos epilepticorum numerus erant. Aliquos passio iliaca horrendo modo afflixit.

CON-

CONSTITUTIO EPIDEMICA BEROLINENSIS.

Anni 1702.

JAnuarius biduo gelido paucis nivibus, ventoque valido turbido, 3tium remissiorem nivibus aspersis degelantem substituis. 4tus gelu rigidum redintegravit, sed sequente 5to post gelicidium matutinum in deliquium ac pluvias frequentes nunc uberiores, nunc parciores, 19no tantum & 22do moderato gelu ut & 29no post pruinam matutinam sereno exceptis, solutus toto mensis reliquo degeneravit.

Februarius 1mus frigidus præcedentibus paulò serenior, circa vesperam in pluviam 2do toto durantem & 3tio serenitate aliquali interpolatam desiit. 4tus serenus ac frigidus. 5tus totus paucâ intercedente serenitate pluviosus, 6tus & sequentes (11mo & 17mo manè pruinosis exceptis) ad 18vum usque Vernâ serenitate ferè & temperie mœnum quarto compares. Reliqui ad finem usque mensis varii, alii uti 19nus & 20mus ante meridiem sicci & frigidi, circa vesperam pluvii sereni uti 21mus, alii turbidi & frigidi, uti 22dus, alii uti 23. cum frigore manè sereni, post turbidi, alii uti 24us manè udi, â meridie sereni, alii uti 25tus post pluvia rorans mane sicci & turbidi. Alii mane nebulosi post sereni, â meridie pluvii, ut 26tus, & 27mus succedente procellâ & 28vo ad huc continuante & admixtâ nive grandine & gelu, redditâ tandem cum meridie serenitate mensem terminante.

Martius frigus cum nive continuatum primo biduo, interspersis de die serenitati nivibus interpolavit, 3tio in pluviam matutinam desivit, recuperatâ tamen â meridie serenitate, 4to quoque continuante ad vespertinam usque pluviam. 5tus serenus quidem sed algidus, grandines nonuunquam Favonio flante sparsit, quatridui sereni gelidi & pruinosi prodromus. 10. biduum succesit, Africo tumultuante turbidum, procellosum grandinosum ac nimbosum. 12mus serenitatem restituit matutinam nivibus â meridie comitatam, atque biduum sequens gelidum & serenum induxit, moxque intercalato 15o remissiori, sereno tamen adhuc, gelu satis hactenus rigidum cœlo sereno Boreâ aspirante, ac succedente huic post Euro, ad 23tium usque serenitate vernâ cum sequente biduo commendabilem reduxit. 26tum mane turbidum aligidum ac ventosum cum triduo succedente turbulento, secutus pluviolis quidem sparsis â prioribus diversis 30mus 31mo socio manè quidem pruino-

so, serenitate tamen commendabili biduo mensem hunc simul ac trimestre finiit.

Morbi hoc trimestri præter scorbutum endemium febres intermittentes nonnullas ardentes quoque & cephalæâ ac hemicraniâ valde molestas continuas, malignas paucas, variolis ac purpurâ notata, catharrales & pleuriticas sporaticas, Epidemici ferè nulli fuere, nisi catharros & tusses, hæmoptoes quasdam & pleuritides, ut & arthritides præsertim vagas scorbuticas ob hybernas aëris varias turbas indeque nascentia sanitatis incommoda, satis frequentes iis annumerare velis.

Aprilis primum biduũ frigidulum cœterà serenum leni gelu cœpit ad tertii meridiem usque nubilum in pluviolas circa vesperam solutum, cui 4tus compar, 5tus noctu pluvius, de die procellosus ac nimbosus. 6tus nivibus sereno cœlo mixtis varius & inconstans successit, Huic congener 7timus; Octavus nocte interser â nivibus fœta frigidulas & potissimam partem turbidus, post noctem gelidam, nonum frigidum & serenum, postquæ nocturnas denuo nives biduum degelascens ac pluviosum induxit. Sequentes, præter 12mum sic satis serenum, vesperi tamen ad huc specade rorantem, eique similem 23ium & 24tum totum serenum omnes ad finem usque mensis genio illius conformes, varii, turbidi, frigidi, nivosi, nimbosi, quandoque & procellosi fuerunt.

Maji primus vernâ serenitate commendabilis frigidulus tamen adhuc Euro noto flante, triduum sequens turbidum paucis aspersis pluviolis udum ac horridum adduxit, succedente vernâ amœnitate integrum mensem reliquum, paucis 11mo nimirum mane turbido â meridie specade grato 17mo vento, 23io procellâ 25. pluviâ vento mistâ 27. grandine ac imbre ut & 31mo seu postremo paululum ventoso exceptis durante.

Junii primus ultimo Maji compar, â biduo sereno ac temperato exceptus, 4tum obscurum in vesperam & noctem pluviam deficientem, cum subsequente biduo sibi non absimili successorem habuit, quos biduum aliud serenum ac temperatum correxit; successit huic 9nus totus turbidus in pluviam vespertinam desinens, quem temperatus ac siccus 11mus atque 12mus sudo æstivo insignis secutus. Huic biduum rursus obscurum ac frigidum in pluviam tandem fatiscens successit, eique quatriduum sudum ac æstivo ardore ferè molestum, subsequente 19mo tonitru temperatum, 20mum pluviâ nocturnâ quandoque & diurna fœcundum, triduum versus serenum ac temperatum secutum in pluviolam vesperi 23tio solutum, quod 24to imber nocturnus, tandemque, 27mum manè obscurum â meridie serenum, & 29num frigidulum sed serenum, si exceperis, reliqui vario cœlo aliquando & nimboso rarius sereno inamœni, mensi tristem addidêre colophonem.

Morbos

Morbos hoc trimestre epidemios præter morbillos & paucas variolas nullos aluit: Sporadici fuerunt febres varii generis, intermittentes tertianæ nonnullæ, & continuæ ardentes Cephalalgiâ & Cardialgiâ infestæ, Catarrhales tussi & Asthmate molestæ, quandoque & anginâ, oculorum & gutturis ac tonsillarum inflammationibus; His hæmorrhagiæ narium, hæmoptoës, Arthritides universales, & vagæ quoque Scorbuticæ, Cachexiæ & Cacochymiæ passionibus hypochondriacis & Hystericis pleuritide, imó & paralysi & apoplexiâ nonnunquam stipatæ accessêre.

Julii dies quinqe priores æstivo calore insignes, 3tius præsertim fervore æstuoso molestus; Quibus biduum successit ventosum ac subinde pluviosum, huic 8vus obscurus ac fridulus, ut & 9nus sudo & temperato calore amœnus. 10mus post pluvias nocturnas cum septem subsequentibus sudo ac æstu genium hujus mensis exprimentibus 16to subvesperam, ac 18vo â meridie, 19mo, mane pluvio â meridie tonitru addidit. Sequens triduum sudo pluvias miscuit, succedente quatriduo imbroso. Unde ad finem usque mensis sereni & æstivo sudo grati successere dies.

Augusti primus sudo æstuoso gravis, vesperi tonitru leve cum pluviâ moderatâ, sequenti vero triduo post pluviam matutinam modicam temperiem amœnam substituit. Quæ triduo alio ob temperatum sudum commendabili succedente, ac octavo ante & post meridiem lene stillicidium intercalante â biduo pluvioso excepta. Cui aliud rursus biduum verè æstivum ac serenum successit atque huic 13tus mane specade rorans, 14tus præter tonitru breve imbre comitatum cætera serenus. 15tus manè serenus, circa vesperam tonitru horrendum procellosum ac nimbosum tulit. 16tus manè serenus post fusas â meridie pluvias frigidior. 17mus serenus ac temperatus 18mus â pluviâ matutinâ septem subsequentes dies serenos, ac nonnunquam satis æstuosos, si 25tum excluseris manè pluviolis madentem, adduxit. 27. cæteroquin serenus pluviam vespertinam in noctem usque intempestam protraxit, 28vum frigidulum, licet sereno, 29num totum pluvium & imbrosum ac sub frigidum 30mum pluviolis quandoque rorantem tandemque 31mum & postremum mensis siccum quidem & serenum sed frigidum pariter successores habuit.

Septembris primordium 1. & 2dâ die serenâ & amœnâ temperie acceptum circa vesperam in tonitru horrendum & imbrem degeneravit; â 3tio ad 24tum vario, quandoque subfrigido, quandoque æstivo calore, plerumque sudo pluviis ac specade interpolato, temperatoque æthere continuavit. 25to ventosiori paulo & pluvio biduum successit procellosum & nimbosum, atque huic aliud sedatius, sed advesperam usque pluviosum; inde serenitas gratâ comitata temperie 31mum simulque mensem & trimestre tertium absolvit.

Morbos æstiva Ætheris cum temperie cambiens subinde intemperies præcedentis æstatis frequens æstus præter endemios penè scorbutum illique affinem venereamluem, epidemios genuit varias febres tam intermittentes quam continuas, causos aliasque ardentes paroxysmis interpolatas, quasdam plenè inordinatas nullum typum servantes, catharrales nonnullas malignas quoque exanthematis variis, miliaribus præsertim semet prodentes, pleuriticas insuper, alias Cephalæâ, cardialgiá, colicâ, hæmoptoë, defluxionibus in buccam gulam, dentes, ut & inflammationibus oculorum indeque ophthalmiis gutturis tussibus porro variis, quibusdam etiam ex illarum numero, quas convulsivas Willisius appellat; Præterea Epilepsias præsertim infantum; Arthritides tam universales quàm particulares, unius lateris, Ischiadicas, vagas scorbuticas satis frequentes, omnium tamen frequentissimas ob fructuum inmaturorum ingluviem intemperantem, & immoderatum aliarum illecebrarum gulæ usum, Choleras, diarrhæas, Lienterias & dysenterias copiosissimas, easque satis vehementes, pertinaces, periculosas ac sæpe numero lethales.

October post pluviam 1mo matutinam, triduo sereno ac gratâ temperie amœno æstu successit triduum nimbosum, subinde grandinosum. tandem & pluviis, nivibus pruina vacuum ac frigidum. Illi rursus quatriduum, autumnalis temporis ratione satis temperatum ac gratum. 14tus manè ad meridiem usque nebulosus, inde serenus fuit. 15mus serenus ac temperatus â meridie paucas sparsit pluvias; A. 16to ad 20mum æstivo ferè calore serenum & amœnum quatriduum, â 20mo, 28vo sereno ac temperato excepto, obscuri ac frigiduli, interspersis 23io, 24, 26to, utut rarius pluviis ad 31. adeoque extremum usque mensis, dies secuti mensem terminarunt.

November â siccitate ac frigore aliquali auspicatus, ad serenitatem ac rigorem satis validum sed ephemerum transiit triduum obscurum ac specade subinde udum inducens. Quod quatriduum â siccitate ac temperie ad aliqualem algorem, mox & gelu satis rigidum pergens, secutum. Cui 9nus nivem copiosam aspersit, perseverante 10mo adhuc gelu atque post densam 11mo nebulam, & subsequentem serenitatem, ad 14mum usque paulò mitiorem in persecadem â meridie fatiscentem continuante. 15tus præcedenti ferè similis specade periter udus, 16tus ad vesperam usque siccus, postea pluviosus 17mum procellosum & nimbosum ascivit. 18vus â pluvia modica matutinâ in serenitatem, 19mo adhuc advesperam usque pluviam durantem transiit succedente 20mo sereno ac temperato, in turbidum temperatum tamen adhuc nunc siccum ut 21mo & 23tio nunc pluviis & nivibus quibusdam, ut 22do, 24to & 25to mutato cœlo, succedente biduo paulo gelidiore & nebuloso, aperiâ tandem quoque nive, alioque rursus biduo pluvioso totæ ad vesperam usque

usqu 29mi â pluvia in elarescentem, sicqe 30mo Æthere sic satis sereno & frigido mensem simul claudentem.

December subfrigido, vernâ tamen ferè temperie præter morem accepto biduo orsus 3tium manè pluvium, cætera turbidum sed siccum, posteque triduum temperatum attulit, sub vesperâ 6ti nive parcâ aspersum. 7timus â gelu nocturno serenus triduum sibi quadantenus excepta serenitate nivibus & nubibus interpolatâ conforme adduxit. 11mo obscuro in pluvias deliquescenti, ac 12mo sereno post specades substituenti, biduum turbidum ac algidum successit, mox post 15tum manè pluviosum, postea triduum, â nive ac gelu moderato & Æthere sereno in horridum mutatum substituit; sed 19no ac 20mo rursus post geliciduum & nivem cœlo sereno remittente, 21mo magè specade rorante â serenitate Aeris 22do in gelu satis rigidum abiit, rursusque 23tio post gelicidium matutinum in pluvias 24to â procellâ, aëre turbido sicco tamen ad vesperam in pluvias, 25tum totum durantes fatiscentem. 27mo nivem noctu diuque spargit, 28vum moderatum gelu & circa vesperam nix pauca excepit. 29nus totâ die gelu rigidus fuit. 30mus â gelu in nivem, â nive in gelicidium â gelicidio in pluviam toto ferè 31mo durantem sicque Æthere nimboso hunc mensem simulque trimestre ultimum adeoque annum hunc 1702. dum finientem desiit.

Morbi hoc ultimo trimestri occurerunt satis frequentes, Febres intermittentes variæ, continuæ, hæque sæpius intermittentibus sociatæ, simulque ardentes, malignæ quoque exanthematis varii generis conspicuæ; præterea Catarrhales, pleuritide nonnunquam comitatæ, Erysipelatodes, aliæque diversis & periculosis nonnunquam symtomatis, alia inter Paralysi linguæ, aliarumque partium, inflammatione gutturis, Rheumatismo, Cardialgiâ, Cephalæâ periodicâ nonnunquam; Hemicraniâ, Hæmorrhagiâ narium vehementi & periculosâ comitatæ. Prætereaque uteri quoque hæmorrhagiæ graves & pertinaces solitariæ aut aliis morbis sociatæ. Diarrhœæ & Dysenteriæ malignitatis nonnunquam participes excessuum autumnalium reliquiæ; Colicæ & hystericæ passiones scorbuto sæpius complicatæ, tandem & Epilepsiæ cum primis Infantum, nonnunquam & adultorum Hemiplegiæ & Apoplexiæ vehementes & ut plurimum lethales.

GON-

CONSTITUTIO EPIDEMICA AUGUSTANA.

Ann. 1701. 1702. 1703. 1704. & 1705.

LUCÆ SCHRŒCKII.

Licet initium Anni 1701. frigidum comparuisse &c. &c. &c.
In hisce quoque deprehensum fuisse animadverto.

QUalem Anni præcedentis exitus habuit aëris constitutionem, talis per biduum etiam primum Anni 1703. continuavit; & quamvis Zephyrus prædominium porrò obtineret, ac tolerabiliorem utcunque temperiem redderet, sæpius tamen ab iis diversis ventis excipiebatur, Eurusque inprimis ante Solis in Aquarium ingressum, à die 18. Januarii usque ad d. 26. frigore intento molestus erat, multis subinde interea nebulis, & nive, paucioribus serenis diebus observatis; à quo dein tempore inconstans admodum aëris ventorumque Austro tamen prævalente, alternatio, usque dum Sol in Piscium signo versaretur, ubi post nivosum Boream Zephyrus temperatiorem utplurimum & pluviosam auram redderet; quæ post Æquinoctium vernale variis mutationibus, præsertim frigidis humidisque obnoxia, vernali amœnitati multum obstitit, ac tardiorem plantarum vegetationem effecit: Quæ eò felicior postea successit, cum grata temperies fertilitatem admodum promoveret. Interea morbi, præter Tusses iu hyeme non insolitas, & omnibus ferè aliis morbis se complicantes, multas inducias concedebant; Arthriticis tamen doloribus obnoxii novas invasiones contumacioresque patiebantur. nec non Febres quotidianæ, non intermittente calore suo continuas sæpe in principio æmulantes, pauciores etiam tertianæ (post sumtum vel purgans, vel vomitorium, quod solum quandoque febrilem fomitem expellebat, arcanò duplicato ubi biliosa impuritas, unicornu fossili ubi acidæ particulæ, chinachina verò dum viscidior pituita prævalebant, utræque facilè curabiles, in primis mensibus deprehendebatur, in pueris potissimum, vermium suspicionem ob victum prægressum, colorem faciei luridum, ventris morsicationes, deliria nocturna &c. Sæpe præbentibus, & præter medicamenta recensita, cinnabaris nativæ, terræ signatæ, mithridatii &c. usum salutarem ideo expertis. Subinde quoque continuæ catarrhales notatæ fuerunt, majori vehementia, post horrores, magno calore circa vesperam increscente, nec non cephalalgia & virium languore,

re periodum ſuam decurrentes, ſed continuato blandorum diaphoreticorum & alexipharmacorum uſui cedentes. Intermittentes illæ præſertim tertianæ, in æſtate ſe in plures utriusque ſexus, omniumque ætatum diffundebant; imò in autumnum usque paſſim ſe exſerebant; nec deerant in diebus canicularibus, calore non admodum moleſtis, ſed per primum decendium inprimis frigidiuſculis & humidis, poſtea ſerenis & calidis, circa finem autem pluvioſis, quos malignæ, puſtulis cryſtall[illegible] ſtipatæ, & niſi alexipharmacis mox atque ſedulò obuiam ipſis iretur, letales invaderent.

Poſt caniculares varia aëris temperies, Zephyrique & Euri alternatio, illo autem circa d. 8 Septembris prævalente, plurima pluvia & horridiuſcula aura per aliquot dies infeſta erant; cui fortaſſe Dyſenteria tum ingruens non male adſcribenda fuerat; quanquam & metum ex turbis bellicis, quæ Urbem ubique cingebant, & ultimam incolis internecionem minitabantur, inceſſum, quin & cerviſiæ recenter coctæ nec ſatis defecatæ potum contuliſſe ſuum ſymbolum, ſit credibile; quibus tonum ventriculi atque inteſtinorum labefactari, ſuccosque naturales viſciditatem & acorem contrahere, non eſt dubium. Quamvis illa ratò graviori inſultu noceret, atque ex chyli acrioris vellicatione potius inducta videretur, cum ſine prævio vel notabili calore aliisve ſymptomatibus, præter tormina tolerabiliora & ſtomachi gravitatem, mox in principio cruentæ dejectiones contingerent; facile etiam, poſt rhabarbari toſti (quod ſolum quandoque curæ ſufficiebat,) & moderatum ſtypticorum vel traumaticorum, catechu, tormentillæ &c. cum pauculo opii acceſſu, uſum recederet: in nonnullis, ubi ſtomachus cruditatibus oneratus indicabatur unicum lene vomitorium, quale vel unicum tartari emetici granum ſuppeditabat, opem tuliſſe obſervatum fuit. Præter hunc cruentum fluxum, poſtea Diarrhœa quoque frequenter ingruebat, eadem fere methodo curata. In Autumno inſuper Morbilli frequentiſſimi, & ſolitis ſymptomatibus febrili nempe, quandoque ad delirium usque intenſa ſanguinis efferveſcentia, tuſſi, oculorum inflammatione ſtipati, cæterum ſine magno diſcrimine (ita ut non pauci etiam ſine decubitu & pharmacis easdem paterentur,) ſuum decurſum intra breve tempus, octiduum utplurimum, ſub pulveris Pannonici, antimonii diaphoretici &c. uſu feliciter abſolverant, adultiores etiam ac juvenilem ætatem frequenter, pari ſed intenſiori inſultu tractaverant.

Æquinoctium autumnale cum Zephyro auſtrinam utplurimum conſtitutionem adducebat, usque ad Novembris initium, ubi Eurus crebrior ſerenos ac nebuloſos dies aliquandiu interponebat; quem poſt medium Novembrem excipiens Auſter plures ſerenos dies quoque producebat. Tandem verò December multas nebulas & magnos Zephyri impetus, cum vario aëris, nebuloſo tamen potiſſimum ac nubiloſo ſtatu adferebat; poſt Solſtitium autem hyemale Eurus horridiorem auram ac frigus intenſum pariebat, ſicque cum anni fine præſentiam hyemis oſtendebat. Interea febres malignæ ſuperius indicatæ in plures ſe diffundebant, multosque trucidabant, præcipue cum Urbs diuturna quaſi è longinquo obſidione cincta, vario infortunio quin & poſtea hoſtili inſultu, (ubi cives inſueta continua per aliquot dies ſub Jove frigido & humido in excubiis ſtatione plurimum defatigabantur,) atque fatali præcipue igne graviſſimo premeretur, ac ſubſequa infelici deditione multivarie torqueretur ac enervaretur: quanta verò ab externa hac aëris & fati iniquitate ſanguini labes fuerit impreſſa, vix opus erit pluribus exprimere: Omnes maligna febri decumbentes, atque ut pyrobolorum periculum evaderent, in tutiorem Urbis partem deportati, quantum ſcio, perierunt; infantes etiam morbilloſi eandem ob cauſam ignis metui ſubducti, diuturniori poſtea tuſſi & hecticæ diſcrimine ſalutem hanc ſuam redemerunt.

In Anno 1704. hyemali frigori continuando Eurus multum perrexit, usque dum poſt Solis in ſignum Aquarii ingreſſum Zephyrus, pluviis crebrioribus, cum nive tamen & ſerenitate alternantibus, gravidus, temperatiorem auram produceret; quæ equidem temperies ita continuavit, ut vernalis conſtitutio deinde citius, quàm pluribus aliis præcedentibus Annis compareret, atque cum aëris ac ventorum non adeò ingrata mutatione diu, usque in menſem Junium perduraret: & quamvis circa Solſtitium æſtivum pluviæ frequentiores eſſent, major tamen ſerenitas, ſilentibus utplurimum ventis, cum ineunte Julio redibat; quæ ipſa continuans, caniculares dies admodum calidos, grato tamen pluviarum interventu ſubinde mitigatos efficeret; usque dum occidente Sirio, à d. 19. Auguſti ad finem usque ejusdem menſis, Solis nunquam à nubibus interrupti radii fervorem intenderent; ſed cum d. 2. Septembris acrior inſurgens Zephyrus frigidiuſculum ac pluvioſum aërem per quintiduum produxiſſet, & ſuccedens ipſi Eurus quatriduum ſerenitate ornaſſet, Zephyrus

rus tamen mox iterum dominio potitus, frigidos ac pluviosos dies (serenis tamen quandoque intercurrentibus,) reproduxit. Interea Febrium punctricularium malignitas (horrore, virium lapsu, adpetitu prostrato capitisque ac dorsi dolore primò se prodens, in nonnullis amaritie oris, anxietate præcordiorum, fluxu alvi seroso, bilioso, quandoque sanguinolento, tussi &c. concurrente,) magnam circa anni principium incolarum stragem dare continuavit, ut quinque primis mensibus ultra mille ducentos homines, (quos inter equidem plures quàm centum & quinquaginta milites Galli fuerant,) tum aliis morbis, tum hac febri potissimum demortuos numerare licuerit; cum aliàs per integrum annum tot Urbs non videbat. Ubi quidem tantæ cladis causam non tam morbi atrociam, quàm ægrotorum in prima morbi invasione ab ipsis parum æstimati negligentiam, atque ob prægressas ac indies renascentes, quin majores subinde ab infensissimo inquilino hoste pertimescenda calamitas, vitalium succorum enervationem ac depravationem accusare possum. Quæ ipsæ etiam miseriæ aliis morbis, Ictero inprimis, verno tempore multos invadenti, ansam suppeditare, bilemque justo viscidiorem, atque ita ad obstructiones excitandas proniorem reddere potuerunt; prout non minus eodem ex fonte Tertianas ac quotidianas febres frequenter tum, & reliquis etiam anni partibus se exerentes profluxisse credibile est: Unde etiam haud differentibus remediis utplurimum, & quidem facilè tolli potuerunt; quæ inter arcanum duplicatum non saltem vi qua pollet incidendi & aperiendi, sed quoque correctas hac ratione biliosas impuritates in multis per alvum educendi, egregie profuisse expertus sum. Cæterum mense Junio Dysenteriæ in scenam prodire, & usque in Octobrem observari, in Augusto inprimis plures invadere ceperunt, ut non facile domus, quæ immunis ab ea foret, inveniretur; atque licet malignitate carere viderentur, plurimos tamen, minoris æque ac profectioris ætatis homines trucidarunt, ut defunctorum numeros, qui mense Junio & Julio nonnihil decrescere inceperat, in Augusto & Septembri admodum augeretur; quod equidem non morbi truculentiæ, sed incauto in cura regimini adscribendum arbitror; cum variis domesticis, ut vocant, præter rationem propinatis remediis unice confidens incauta plebecula, vel etiam multivarie diætam negligendo, aut justo tardius medici opem implorando, vehementer peccaverit; neque tamen negari potest, aliquot ægrotantes brevi tempore, deglutito ex. gr. cochleari Spiri-

tus vini cum pulvere nucis moschatæ, morbi primordia elusisse; ubi nempe non tam Dysenteria, quàm simplicior Diarrhœa, à ventriculo cruditatibus labefactato, adesset; prout etiam non paucos sumto mox rhabarbaro nonnihil tosto, vel sibi relicto, immunes esse factos scio. Quod etiam rhabarbarum in principio curæ, vel durante morbo, ubi stomachus gravari sentiretur, profuit. Radice Ipecacoanha non fui usus, neque ejusdem vi emetica opus habui: aliquibus verò, quibus vomendi conatus erat molestus, cum convulsivi quid adesse ostenderet, præter exteina calefacientia spirituosa, dem rhabarbarum in pauca quantitate ad gr. xij. xx. cum coraliis rubris, vel terra sig. &c. mixtum, felici cum successu propinavi. Reliquum curæ per absorbentia, & acredinem humorum temperantia potissimum fuit peractum; ubi præter dictam terram sigillatam, corrallia, flores ferri, crystallus inprimis montana egregiam opem attulit; quibus ubi nimiæ dejectiones molestæ erant, adstringentia ex catechu, radice tormentillæ &c. in pulvere, electuario, pilulis, tinctura, dosi non nimis larga, sed sæpius repetita, & quando dolores admodum urgebant, laudanum cydoniatum, extractum opii, vel theriacæ cœlestis moderate addita, profuerunt: potum eadem radix tormentillæ, caro cydoniorum sicca, cum pauco cinamomo & saccharo in aqua cocta, convenientem præbuit; neque vinum Neccarinum, aut Tirolense antiquum rubrum noxam attulit, cum rarò febrilis calor jungeretur. Undenam verò origo hujus mali sit deducenda, anceps hæreo. Fructuum horrœrum immoderatum esum multis nocuisse non dubito; cervisiæ haud probe defecatæ potum plurimos in hunc morbum præcipitasse, eò magis est credibile, cum non paucos jam convalescentes, vel cum malo adhuc conflictantes, unico etiam haustu cervisiæ in recidivam lethalem incidisse, aut doloribus auctis, gangrænâ intestinorum obiisse noverim; contagium insuper non rarò ægrorum numerum auxisse, successiva in una eademque domo invasio suadere posset; bellicæ vix colerabiles adversitates, cum fœtoribus ex varia militis Galli spurcitie, & excrementis equinis stramini semiputrefacto immixtis, quorum copiam insignis equorum multitudo indies publice in plateis, nec non in in ædibus cumulaverat, quid efficere valuerint, neminem fugere potest; interasus ille aëris calor, spirituum & sanguinis vigorem minuendo, quantum obesse queat, in me ipso sum expertus, qui nullo in cibo potuve errore commisso, ob continuas tamen per integros

dies

dies, Sirio urente, ægrotorum visitationes, & sudorum inde largiores effusiones, defatigatus, post biduanam levem diarrhœam, eundem cruentum fluxum pati coactus fui, qui licet magnopere me non adfligeret, vires tamen mox adeo debilitaverat, ut diuturniori earum recollectioni opus habuerim, ad roscidas nempe & balsamicas lymphæ particulas restituendas, ac segnius per vasa circulantes vitales humores ad naturalem motum reducendos, cum lymphæ depauperationem & crassitiem ex variis signis colligere licuerit, unde salinæ acriores in ea particulæ concentratæ per tubulos minimos intestinales segnius moveri, spiculisque suis pungendo nocere potuerunt. Erant quibus inconsuetæ muscarum multitudini causam adscribere placuit, quarum nempe excrementis cibus potusvè contaminatus turbas hasce in corpore concitaverit; quod suis domesticis ut persuaderet curiosior aliquis paterfamilias, carnem spurcitie tali imbutam cani devorandam dederat, qui ipse mox fœdo isto morbo correptus fuerat. Neque tamen alii etiam morbi per æstatem & autumnum aberant: Ut Variolas pueris æque ac adolescentibus magis molestas quam periculosas, adultiores etiam non paucos in exigua copia & ferè sine morbi sensu invadentes, Febres insuper petechiales, nec non puerorum verminosas, & cum uterinis malis sociatas M. Julio observatas taceam, M. Augusto Arthritis vaga masculinum præsertim sexum satis obstinata, multos etiam Angina notha promte remediis cedens, excruciaverant. In adulto autem Septembri, nec non Octobris initio Febres continuæ pustulosæ plurimos in adulta æque ac puerili ætate constitutos cum præcordiorum angustia, inquietudine, deliriis, angina spuria, pustulis albicantibus universam corporis peripheriam occupantibus, rarius inferiorem saltem abdominis partem occupantibus, invaserunt, in cuticulæ tandem desquamationem, prævio tædioso pruritu, abeuntes. Quas (præter Icterum, martiatis remediis, acidulis præsertim & Essentiæ Martis D. Ludovici haud ægre cedentem,) Tertianæ & Quotidianæ irregularibus paroxysmis Medicorum exercentes patientiam, exceperant; ibi alexipharmacis temperatis, hîc pro diversa morbi natura, biliosam tamen intemperiem utplurimum ostendente, arcano duplicato & cortice Peruviano officium suum egregie præstantibus.

Reliquum anni, sub moderato aëris & ventorum alternantium statu, tranquillius fuit peractum, morbis epidemicis cessantibus, ac reliquis etiam, quos sporadicos vocamus, rarius occurrentibus; cum

cœli non tantum clementia, sed etiam ob hostes ex Urbe profugos, totaque vicinia expulsos, civium animi novo vigore animali, morbosas dispositiones feliciter averterent.

Cum Zephyrus, Anno 1705. illucescente, moderatis nivibus terram conspersisset, Eurus succedens, die duodecimo frigus hyemate induxit, aëremque per biduum serenavit, mox tamen iterum nubibus texit; quibus circa finem primi mensis denuo discussis, d. 8. Februarii, post nebulas, cum Zephyro crebriores nives deciderunt; & aliis quandoque ventis, Euronoto inprimis, Austro, & Zephyro borea interpolatus Zephyrus diversas aëri temperies impressit, donec circa finem mensis Eurus serenitati favens nivium liquationem successive promoveret; Quæ serenitas ad vernale usque Æquinoctium continuavit, rarius nebulis, & semel nive interrupta, frigore autem comitata.

Post Æquinoctium variæ subinde ventorum mutationes, & frequentiores pluviæ vernalem gratiam retardarunt, atque Aprilem potissimum (cujus dies decimus nonus vesperi alta, sed paulo post rursus linquata nive, sine Cereris & Pomonæ noxa, terram oneraverat,) nec non Majum valde inamœnum atque frigidiusculum reddiderant, sicque morbosas corporibus humanis dispositiones, & tertianas præcipue febres procrearunt; quæ licet jam in Januario sparsim comparerent, in Martio tamen, Aprili & Majo plures invadere cepe-runt, gravi cephalalgia & præcordiorum pressione, rarius præcedaneo horrore, molestæ, sed post cholagogi aut emetici usum, chinchinatis medicamentis utplurimum non difficulter superari potuerunt; quod observare etiam licuit, cum circa finem Maji vires sumendo, plurimos in Urbe, quin & vicino agro invaderent, post horrorem magno atque sæpe ad deliria usque intenso calore ægros torquentes. In Martio quoque Pleuritides veræ, non admodum vehementes & exquisitæ, blandioribusque diaphoreticis & pectoralibus, sine venæsectione, interdum etiam absque suppuratione, curabiles; circa Aprilis autem finem Apoplexiæ lethales passim observatæ fuerunt. Febris porrò scarlatina in Aprili, Majo & Junio in plurimos variæ ætatis, sexus & conditionis homines, quin totas etiam in familias sese diffudit, post exiguum, aut nullum horroris sensum, faciem primo inflans & rubore suffundens, postea universam cutem maculis vel tuberculis rubris, crebrioribus, latioribus, interdum magis, quandoque minus quam in Morbillis rubentibus, interdum quoque totam

totam cutem unica quasi macula tingens, ad duas tresve potissimum dies persistens, quin diutius quandoque & per octiduum durans, modo in squamulas abiens, modo insensibiliter discussa. Nullum equidem vidi qui periculose ex ea ægrotaret, nonnullis tamen, ob majorem sanguinis effervescentiam, diaphoreticis temperatioribus, antimonio diaph. terra sigillata unicornu fossili &c. succurrere opus fuit; aliquibus libero se exposuisse aëri, & sine medicamentorum usu, nunquam decubuisse haud nocuit. Quo in morbo licet Clariss. *Th. Sydenbam* in *obs. med. circa morb. acut. historiam sect. 6. cap. 2.* omnem medicamentorum usum intermittat, in libello tamen, qui ejus nomen præ se fert, & *Processus integras in morbis curandis* ab eo conscriptos exhibet, atque Londini typis prodiit, medicamenta supra memoratis similia non improbari deprehenditur; cujus eo lubentius mentionem facio, cum Libellus iste in *Ephemeridum nostrar. Dec. 2. Ann. 10. Appendice* recusus censuram acerbiorem cujusdam Anonymi subierit, qui Anno 1693. Londini eundem denuo impressum publicare voluit, nostrum *inepta mole inutilem*, nescio quo jure vocans, cum tamen idem omnino cum Anonymi specimine sit, atque juxta exemplar (cujus viginti circiter tantum Londini primo fuerunt impressa,) ab Exc. *D. D. Mich. Fausto*, Argentoratensi, jam Medico Francofurtensi ad Mœnum dexterrimo, Acad. N. Curioso, cum ex Anglia redux Norimbergam transiret, beato nostro Præsidi, incomparabili *D. Volckamero*, tunc temporis in edenda prædicta Appendice occupato, communicatum, ingenue recusum fuerat; ut ita quo pacto non irrepsisse, sed accessisse Ephemeridibus nostris dicendus sit, Lector benevolus inde cognoscere valeat.

Mensis Junius multam ventorum omnium vicissitudinem ostendere pergens, serenitate quidem utplurimum gaudens, cerebriori tamen frigore inamœnus comparuit; elapso autem primo octiduo, constantior Zephyrus, post pluviarum frequentiam, temperatiorem auram reddidit; quam ante Solstitium æstivum calores, circa finem mensis remissiores facti, insequebatur; cum interea serenos dies pluviosi sæpius interpolarent, ideoque tolerabili sæpius temperiei ac telluris fœcunditati faverent; usque dum una cum sirii ortu calores ingravescerent, & usque post ejus occasum continuarent, multamque terræ siccitatem adferrent; nisi quod sextiduum ante occasum caniculæ deciduis cum tonitru & fulgure pluviis eadem refocillaret; quas eo uberiores postea per septembrem Zephyrus adduxe-

duxerat, post intentiores illos calores temperiem admodum humidam & frigore horridiusculam reddiderat, simulque catarrhis glandulosas inprimis & musculosas colli exteriori partes obnoxias fecerat, temperatiori tamen aëris regimini non difficulter cedentibus

Post æstivum Æquinoctium continuante ventorum varietate, serenos dies plures usque ad Novembris initium vidimus, quos dein multa hyemis indicia à secuta, & juxta cum aura frigida, nubibus & nebulis aër turbidus, atque modo in pluvias, modo nives resolutus, humidam admodum constitutionem effecerat, usque dum tandem post hyemale solstitium, prævalente aeteris ventis Austro, quæ ab eo denominatur austrina temperies succederet. Interea lymphæ viscidæ & salsæ (ab humida aëris post magnos æstivos calores intemperie probabiliter coacervatæ,) stagnationes non deerant, Odontalgiæ præcipue, sed tolerabilis, in pluribus ob conjunctam cephalalgiam magis molestæ; quin & tussis humidæ contumacioris, nec facile sine absorbentibus abigendæ feraces. A qua etiam Hecticæ febris, quæ nonnullis insidiabatur, & non minus medicamentis potissimum acredinem temperantibus haud difficulter cedebant, originem derivare licebat.

MON-

MONTIUM GLACIALIUM HELVETICORUM

DESCRIPTIO

INSTITUTA

à

DN. JOHANNE HENRICO HOTTINGERO,
Tigur. M. D.

VIRO EXCELLENTISSIMO, CLARISSIMO

JOHANNI WOODWARTIO,

Medicinæ Doctori, Illustris Societatis Regiæ Anglicanæ Socio dignissimo, Physicæ Professori Collegii Greshamensis exercitatissimo, Naturæ Arcanorum Scrutatori indefesso, &c.

S. P. D.

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS,
M. D.

IN rerum naturalium sedula inquisitione non ultimam virtutis laudem positam esse, laborem indefessum, periculum subeundum, sumptus impendendos, æquo ac benevolo animo perpendentes non nficiabuntur. Onus quidem grave, Opus inexhaustum, nova quotidie

Dec. III. Ann. IX, & X, App.

tidie, vel antea densis tenebrarum velis obsita, lucem nonnisi Mortalium summa cum admiratione aspiciunt, evolvuntur, enodantur, vel à Majoribus tacta, nec detecta, imò magis variis fabulis, rationibus minùs congruis obscurata & conspurcata reperimus. Sed cum industria Virorum emunctioris naris, diu noctuque, oleum & Operam impendat, ad studium hocce Juvenilem ætatem jam excedens ad virilem & statum perducere contendat, quod certè ita pedetentim ad tam absolutam τελειότητα perveniet, ut Liber Naturæ aliâs occlusus omnium oculis se clarè manifestaturus sit: Certè non infimum subsellii locum, Vir Clarissime, in hoc opere designare Tibi constituo, imò labor, assiduitas, industria, studium tuum perpetuum non interruptum, hæc ipsa Palmam Tibi ac Lauream primatûs præbebunt: Sed quid in tantas Viri Orbi literato notissimi excurram laudes; Vino melioris notæ hedera non suspendenda. Excellentissime Vir, quid pro Tuis in me collatis beneficiis Londini peregrè degenti, quantas gratias, quantas æstimii ac Venerationis tesseras Tibi rependam, satis diu mecum perpendi: En accipe munusculum non aureum, Talionis legis replens, sed levidense aqueo-frigidissimum, durum, chartaceum testimonium, sincero verò & calido consecratum pectore, quod benevolo animo ac sereno vultu aspicere non dedigneris, obsecro. Haud tamen ingratum fore confido, cum insatiabilis Tua in studium naturale cupiditas mihi sit perspecta ac nota. Materiam hanc hactenus vel nondum, vel saltem Glacie frigidiùs & historicè tractatam, in unum hoc corpusculum compegi, propriis institutis Phænomenis ac Rationibus confirmavi, de quo candidum Tuum judicium explanare haud graveris. Nihil autem simul & inventum & perfectum, omnium rerum principia parva sunt, sed suis progressibus usa, augentur; Ita & confido conatus hosce meos neminem improbaturum, meliora, certiora ac plura ab alio edoctus, hominis cuticulam me nondum exuisse memor, errare humanum esse, facillimè ei assurgam, herbam porrigam, & de erroribus convictas sententias removebo. Valeas interim, Vir Doctissime, & Tuo animo me porrò infixum teneas Oro.

Dabam Tiguri die 5. Aprilis Anno
M DCC III.

MON-

MONTIUM GLACIALIUM HELVETICORUM DESCRIPTIO.

CAPUT I.

Montium in genere Ortum sistit.

GLobi nostri terestris Eminentiæ ac Gibbositates; *Montes* innuo, quodnam principium, quamvè causam productionis agnoscant, acriter inter Eruditos disquiritur. Nonnulli in primam omnium rerum creationem eam rejicientes, non solùm tanquam Terræ complementum eos constituunt. Deum in dicta Creatione omnia perfectissimè confecisse asserentes, superadditâ Sacrarum Literarum *Genes. Cap. VII. v. 20.* Auctoritate, de *Arca Noachi*, quæ tempore Diluvii Universalis, ab Aqua ad XV. Ulnas supra altissimos Montes elevata, iis supernataverit, decrescentibus verò iis in Monte *Ararat* substiterit ac quieverit. Aliis autem hæc sententia, minùs arridet, sed demum post Diluvium, quod omnium rerum maximam μεταμόρφωσιν induxit, & his aliam faciem induit, in apricum eos prodiisse, ac sese manifestâsse; Non quòd Materia horum in Creatione non fuerit jam formata, sed à Terra ipsorum Interstitia ac Valles repleta & obsessa, recedentibus autem Aquis diluvialibus, maximo quasi impetu, ac torrente, secum Terræ, ac Luti subtiliores partes rapuisse. Hanc ipsorum litem mittimus, nec nostram facimus, seu qui medium tenemus & dicimus, Montes ac Colles idem initium cum omnibus rebus creatis, à Principio, creationevè Mundi sumpsisse, quòd & ex *Psalm. CIV. v. 6. & 8.* constat; Eosdem tamen tantam Altitudinem, Eminentiam, quam nunc possident, non attigisse; Sed Aquas Diluvii sursum ac deorsum Genus humanum, omneque in Terra existens, infestantes, suprema Terræ, ac infima Maris miscuisse, particulas Aquæ, Terræ continentis poris sese insinuâsse, sicque iisdem fluiditatem comparâsse, quæ invicem mixta, per defluxum aquarum rapidissimum Terræ præsertim Alkohol. ac Flos, inferiores partes petiit, itaque Montes

Montium origo an absolutè à Creatione derivanda.

An vero hi producta diluviana sint?

Conciliatio.

tes ac petras excelsiores altitoresvè, à Terra maximam partem privatos reliquit. Hujus luculentum præbent Testimonium, Reliquiæ diluvianæ, *Lapides figurati, Exuviæ conchyliorum, Piscium, aliorumque terrestrium & marinorum*, in imis Terræ visceribus reperiundæ, quæ, Exempli loco, in *Tractu Luneburgico* ac *Brunsuicensi*, ex profundissimis Lutifodinis eruuntur. Non minùs *Anglia* harum rerum fertilissima, aliquot Orgyarum crassitie strata ex meris Conchyliis composita, veritatem hujus confirmabit. Sed quid opus in dissita exspatiari loca, *Helvetia*, absque omni contradictione, in suprema ferè Terræ parte sita, plurimorum Fluminum Principum Mater, contra oggannientes assurget. Non solùm enim fertilissimas, subtilissimas ac optimas Terræ portiones, Montes, ipsorumque cacumina amicientes, inundatio ista universalis sustulit, sed ad hodiernum usque diem non in his acquiescit, Terra enim continua. Aquarum alluvione consumitur, denudant ipsos Imbres gravissimi. Nivium liquatarum Aquæ, latera Montium quasi corrodunt, impetuosissimi torrentes hanc Terram ad inferiores partes deportant ac auferunt, ita ut in non nullis locis nihil nisi Rupes horridæ, omni tegmine privatæ, & Valles profundiores restent, quòd apertè satis *Hiob Cap. XIV. v. 19. & 20.* annotavit, *Lapides* inquit, *exterunt Aquæ, inundatione abripis è pulvere Terræ spontè nascentia ejus.* Observant id *Rheni* Accolæ, *Belgiivè* Inhabitatores, qui à continuo Materiæ terrestris subtilis affluxu, littora sua altiora, imò & pinguiora construere norunt. Loco autem fertilium, pinguium, humano generi ac omni viventi utilium, nobis horridi, invii, *Glacialesque* supersunt *Montes*. Naturam non accusamus, nec novercam appellamus. Absit! Tanta enim Montium ac Alpium perfruimur bonitate, fertilitate, & utilitate, ut nulli ratione Loci ac situs, cedat. Clima nostrum, quamvis ita rigidum, injustumve videatur, temperatum, saluberrimum est, ac omni rerum abundantia gaudet. Haud facilè paria alibi, certè non tanta Naturæ miracula reperies. Evolve Historiographos ac Naturæ Ruspatores nostros, tam Antiquos, quàm Modernos, *Munsterum, Stumpbium, Simlerum &c.* in specie τὰν νῦν ἐν ἀγίοις, Clariss. *Wagnerum* nostrum, in *Historia*

Conciliatio-nis probatio.

storia Naturali Helvetiæ curiosa. Præsertim Opus laboriosissimum Accuratiss. D. D. *Scheuchzeri Histor. Natural. Helvet.* in lucem brevi protrudendum fusiùs id docebit: Ex omnibus autem certè non infima subsellia merentur, *Glaciales* illi notissimi, ac *Helvetiæ* nostræ ferè unici Incolæ, *Montes*, quorum descriptionem supra laudati historicè solùm enarrarunt. Ansam autem ulteriùs in hosce mirandos ac monstrosos Montes inquirendi, Itinera in hæc loca instituta, quos nonnisi summo cum stupore ac admiratione aspexi, mihi suppeditavit; Animadvertens hucusque perfectam perspectamvè eorum delineationem, ipsorumque generationis rationem, lucem non vidisse. Patriæ hinc laude stimulatus, hasce leves qualescunque observationes ac ratiocinia chartis committere non dubitavi, quas B. L. æqui bonique accipiat, rogo. Meliora ac certiora edoctus, amicam admonitionem gratissima mente me accepturum esse sincerè promitto.

CAPUT II.

Onomatologiam Montium Glacialium exponit.

ONomatologiam, recepto ac laudabili more, præmittere, non ingratum fore confido, præsertim cùm Montium horum Glacialium *Germanica*, veriùs antiqua *Helveti-ca*, vel *Celtica* potiùs, non ubivis obvia, tritavè sit, ac nomine **Gletscher / Gletscherberg / Gleßer** / venit, qui solutam & congelatam, non amplius Nivem existentem, sed Glaciem ab Aqua formatam indigitat, *Latinè Glassaria*, quasi Glacialis Mons, quæ vox Glacies *Germanicam* radicem **Glaß** agnoscit, quam antiqui *Germani* etiam **Gleß** nuncupabant, à nitendo, & quasi splendendo, hinc Germani **Gleissen / Glentzen / Giuntzen** / dicunt quod splendeat, seu potiùs transparens ac purum instar Vitri sit. *Engadini* cum nostra hac derivatione consentire videntur, qui in suo Idiomate *Wadret*, *Vedretto*, à *Waider*, quod *Vitrum* notat, & prope *Filisur*, *Wadrez*, appellant. *Gleßum* vel *Glesum*, *Tacito*, *succinum*, eadem de causa, à nitore scilicet, audi-

Gletscher / quid denotet? an Germanica, vel Latina Vox sit?

dit. Hinc facilè patet, Gletscher nomen, propriè non à radice, *Glacies*, nec Vocabulum Germanicum corruptum esse, sed veram originem veteribus Germanis deberi: Quibus verò Germanica hæc deductio minùs placet, Latinamque huic præferre sattagunt liberum eis relinquimus, nec litem iis movebimus.

Firn quid sit? An Montibus Glacialibus conveniat?

Eosdem ulteriùs Firn appellant, quod tamen Montibus Glacialibus non convenit, à paucis discrimen hoc observatur, & malè à quibusdam confunditur. Est enim Nix hæc dura & aliqua ex parte congelata, sed nondum Nivis naturam exuit. Testibus *Stumpf. Chronic. Helvet. L. XI. Cap. XX. pag. 608.* ac *Jos. Simler. de Alp. comment. p. 74.* Nix inveterata, alter verlegner Schnee dicitur, & hoc Vocabulum, Firn / Fern / antiquum *celticum* radicale est, Recenti opponitur, ac Antiquum, Vetustum, Longinquum, Anniculum denotat, Firn Wein, Ferndiger Wein / Vinum anni superioris; Firn hinc, quasi *Nix annosa*, Schnee von ferner Zeit. Nonnullis *Verrisium, German.* Vernis hinc derivare placet, quod hoc nimirum niteat, & quasi Nix Glaciesve inveterata cohæreat. *Cluverius Insularum Amerarum in Oceano Germaniæ propè Jutlandiam* mentionem facit his verbis: *Aliæ numero complures Insulæ, in Germanicum Mare sparsæ, quæ nunc appellantur Farriæ, quondam Romanis dictæ fuerunt Glessariæ à Glesso, quod est succinum.* Num vocabulum *Farriæ* cum nostro Firn & *Glassariæ* cum Gletscher non conveniant aliis viris in Philologia versatioribus relinquimus. Notum enim *Succinum* non infimum in Vernisio artificiali Ingrediens constituere.

Glacialium horum *Montium* designationem specialem, quando apud *Orientales* non reperimus, in generalioribus vocibus, quæ Nivem, Gelu, Glaciem, quandoque etiam Vitrum & alia significant, nobis substituendum est; Mons itaque talis Græcis ὄρος Κρυσταλλώδες, κρυμώδες appellari possit.

Eorum derivatio Græca. Hebræis Hebraica,

aliquid simile exprimitur per *Libani Montis* vocem, לְבָנוֹן *Lebhanon*, & לִיבְנָן *Libbnon* enim Montem, *Syriam* à *Palæstina* disterminantem, quâ Radice לָבַן, Hiph. הִלְבִּין, *albuit*, dicitur, notat: Concinnius ita dictum non argues, quàm ab

ab Albedine ex perpetuis Nivibus, quæ in altissimis. Montibus perdurare solent, unde & Alpium *Latinis* & *Germanis* significatio, & certè ipsæ Sacræ literæ, quæ ad Thuris significationem in *Cantico C. IV. v. 11.* per vocem *Libani* alludunt, eædem à significatione albæ glaciei seu Gletscher non abludunt in celebri loco *Jeremiæ Cap. XVIII. v. 14.* ubi *Libanus nivosus* dicitur.

CAPUT III.

Montium Glacialium definitionem proponit.

ADmirandorum Montium Glacialium *Definitionem*, quæ Nomenclaturam excipit, sequens delineatio facilè exprimit: *Quod sint Montes alti & excelsi, vel inter duos alios ordinarios Montes in sinu quasi, vel in Valle, vel ad aliorum latus, vel in summitate ipsorum siti, ex mera Glaciei inveteratæ congerie constantes, puri, diaphani, omnes heterogeneitates de se mittentes, non multum tamen à communi nostra Glacie differentes, ob calorem ac solis accessum non sufficientem, in loco natali haud facilè liquabiles, semperque in eodem loco permanentes.* Descriptio hæc quidem pro anni & loci conditione variat, quod autem dilucidiùs ac clariùs in sequentibus, per partes & Phænomena explicabimus. *Montium Glacialium Definitio.*

Descriptionem haud inconcinnam *Simlerus de Alpibus Comment p. 72.* ex *Silio* scriptore Italico „Montium Glacialium refert, annotante tamen Eodem *Simlero* Hyperbolico ac Poëtico stylo.

Cuncta gelu, canaque æternum grandine tecta
Atque ævi glaciem cohibent; riget arduа Montis
Aëtherii facies, surgentique obvia Phœbo
Duratas nescit flammis mollire pruinas.
Quantum tartareus regni pallentis hiatus
Ad manes imos, atque atræ stagna paludis
A supra tellure patet: tam longa per auras
Erigitur tellus & cœlum intercipit umbra.

Nul-

Nullum Ver usquam, nullique æstatis honores,
Sola jugis habitat diris, sedesque tuetur
Perpetuas deformis hyems: Illa undique nubes
Huc atras agit, & mixtos cum grandine nimbos.
Jam cuncti flatus, ventique furentia regna
Alpina posuêre domo, caligat in altis
Obtutus Saxis, abeuntque in nubila Montes
Mixtus Athos Tauro, Rhodopeque adjuncta Mimanti,
Ossaque cum Pelio, cumque Hemo cesserit othrys.

Subjungimus hisce adhuc ex Clariss. *Wagneri Histor. Natural. Helvet. Curios. pag. 27 & 28.* Carmina *Chytrei* in *Stinnr. Venet. p. 54 & 55.* descripta, ac ita sonantia.

Helvetios Italis dirimit Mons asper ab oris.
Pars Adulæ, Bernardinum dixere Mesauci
Ejus in accessas nunquam contingere rupes,
Ver potuit, non huc Bacchus, Philomela, Cereſve
Non æstas adiit: Glacies hic matris ab alvo
Excipit, & teneros durat vi frigoris artus
Custodum pecoris: Siccos quum Sirius ardens
Urit agros alibi, rigidis in cautibus illic
Regna tenet deformis hyems, caurique furentes.
Bella gerunt, altæque nives in montibus altis
Extructæ terramque gravant atque horrida saxa:
Ipse fremens sonitu, caput inter nubila condit,
Phœbeosque procul scopulos intercipit ignes:
Innumeris circum glacies Crystallina seclis
Indurata riget; per adesas spumea cautes
Unda strepit, mons ipse astris conterminus albet.

CA-

CAPUT IV.

Montes Glaciales ab aliis Analogis distinguit.

ANalogiam aliquam, affinitatem ac similitudinem cum his nostris Montibus Glacialibus tenent nonnulla jam jam recensenda, quæ tamen ab iis probè distinguenda, nec confundenda, ne unum pro altero sumatur; Qui enim benè distinguit, benè docet: Proximè ad eos accedunt, tam quoad similitudinem, quam loci vicinitatem, *Montes Nivales*, **Schneeberg / Firn** / dicti, quorum basis Mons ordinarius, seu Petra, quorumque cacumina, supremæ partes, etiam latera, nive perpetua & vetusta sunt tecta ac vestita, ab intenso tamen æstivo ac diuturno calore quandoque liquantur, ut Anno 1540. Annotante *Stumpf. Chronic. Helvet. pag. 605.* factum, in qua æstate omnis ferè antiqua nix migravit, ac liquata erat, non tamen ex toto, sed suprema cacumina indumentum hoc album, hyemale deponere, religioni quasi sibi duxerunt. Hæc Nix inveterata ac diu restans, non tantùm loci conditioni, vel ventorum calidorum accessui impedito, sed summæ aëris superioris frigiditati adscribenda est.

A Montibus Glacialibus differunt.

Montes Nivales.

Hos *Labinæ*, Alpicolis **Louwinen** dictæ, excipiunt, quæ conglomerationes maximæ Nivium sunt, ortæ in supremis Montium cacuminibus, vernali tempore, Vento non ita austero flante, vel ab Avium transvolatu, vel Vento vehementiore, clamore hominum ac vocis refractione, vel alia levissima causa, minimam Nivis particulam movente, hinc cadendo multis provolutionibus semper majus capit incrementum, usque dum in Montem ferè nivosum, maximo cum Incolarum detrimento, excrescit, descendendoque Saxa, Arbores, Homines, & quicquid obvium est involvit, & secum rapit, tandem sese in Vallem quandam ac ad Montium pedes demittit. De quibus *Munster. Cosmogr. L. V. C. XXXIX. pag. 690. Stumpf. L. C. p. 606. Simler. de Alpib. Comment. p. 113, & seq. Clariss. Wagn. L. C. p. 32.* Aliique consulendi sunt. Ex, temporis successu, in id, ex quo

Labinæ.

formatæ erant ; Aquam puto ; resolvuntur. Et hæ quidem Labinæ superficialiter quandam præ se convenientiam ferunt, penitiùs verò perspectæ ; omnem planè similitudinem cum Glacialibus Montibus respuunt.

Montes, Insulæ natantes, &c. in Septentrione.

Minimè etiam præterèundos censemus *Montes*, *Insulas fixas ac natantes Glaciales*; versùs *Septentrionem* ac circa *Polum*, quæ ob intensissimum frigus nullo modo liquantur, utplurimùm à Mari, Fluminibus, sæpius etiam à Jugis Glacialium Montium sese in Mare demittentibus, ad littora Mense Julio ac Augusto frigore paululùm remittente ac relaxante, à fortissimo vento detruduntur, quorum Crassities sæpe LX. & ultra orgyarum censetur. Quandoque Urbium, Turrium, Aggerum, Vallium &c. faciem præ se ferunt. Nullorum ferè Hominum, vel aliorum Brutorum, nisi ursorum, Vulpium, quarundarumvè Avium patientes, quæ in Insulis istis natantibus domicilia sua, sustentationesque habent; sæpius L. vel LX. miliaria in iis navigantes quasi, à littore sese demittunt: De quibus Mirabilibus legi merentur **Rudolff Lapell Erfahrung und Vorstellung des Nordes/ &** *Ol. Magn. Gent. Septentrional. Hist. Breviar.* Inter hos *Septentrionales* & nostros *Helveticos* Montes, magnum intercedit discrimen, magna differentia ; Illi enim ubivis obvii sunt, ac *Nova Zembla* tota iis referta, nullam in vicinia, vel Plantam, Arborem, &c. reperies, & quidem, ut jam memoratum, ob rigidissimum frigus, iniquissimum Clima, Solis per medium annum totalem privationem, &c. nullos Homines alit, ut hi sese in Ea sustentare valeant ; Nunquam liquantur, imò quotidiè majus adhuc incrementum sumunt, ita ut nonnulli Climati frigidissimo an glaciei huic horrendæ, locorum inhabitabilitatem adscribere dubitaverint; Plerumque etiam ex Mari & Fluminibus in continens transportantur. Hi verò in aliquibus locis solùm animadvertuntur; Calor quidem adest, sed non sufficiens, & solùm superficialiter, non ex alio loco, quàm à sese ac alia Glacies originem suam sumit. Loca vicina, *Orientem* ac *Occidentem* spectantia prata amœnissima, agri fertilissimi, pascua maximè proficua, &c. Oculos Inhabitatorum oblectant, Incolisque reditum magno cum fœnore reddunt.

Cry-

Cryſtallorum ab his noſtris Glacialibus Montibus diffe- *Cryſtalli.*
rentiam, in multis oſtendenda videatur *Cap. VII. Ph. V. & VI.*

CAPUT V.

Montes Glaciales ad Genus ſuum reducit.

EX quanam re conſiſtant, ſeu cujus *Generis* noſtri Glacia- *Genus.*
les ſint Montes, ipſum ſtatim nomen apertiſſimè indicat, Nomen ac Omen habet, & nemo niſi quorum oculi ac pectora frigidiſſima hac glacie fuerint obvelata, inficias ibit; Meram ſcilicet, ac veram glaciem ipſos componere, æque alia ordinaria non multùm diſcrepare, imò omnibus ejusdem gaudere requiſitis. Cujus veritatem, non ſolùm propria experientia, ſed & Phœnomena jam jam recenſenda magis illuſtrabunt, ac in apricum manifeſtiſſimè deducent.

CAPUT VI.

Phœnomena circa Montes Glaciales obſervata enarrat.

QUæcunque circa Montes Glaciales obſervata ac obſervanda, conſideratione, ruminationeque digna occurrunt, tam ab aliis, quàm propriâ experientiâ annotata ſequentia Phœnomena hiſtoricè ſolùm expriment & proponent, quorum rationes Solutionesvè infra ſubjungentur.

Phœn. I. *Loca* ipſorum *Natalia*, Inhabitationes ac ſitus, quamnam Mundi partem aſpiciant, quam vicinitatem, vel Montium, aliarumque rerum foveant, ſcire maximè opus, quo certè medio in ulteriore inquiſitione feliciores erimus. Siti ſunt plerumque verſùs *Meridiem* obſervante *Munſtero L. C. p. 691.* & *Septentrionem*, ut in Monte *Gemmi* dicto, & quidem vel in altiſſimis Montibus demum ad majorem altitudinem aſſurgunt, iisque ſuperſtructi ſunt, ubi Aër ſummè auſterus, venti rigidiſſimi etiam æſtivo tempore ſpirant. Velut in *Grindelia*, ἀντόπτης loquor, à *Septentrio-* *Ph. I. De Loco natali & ſitu Montium Glacialium.*

trione Meridiem versus longe latèque patent, hinc in Vallem profundam sese demittunt. Vel ad Latus alterius Montis ordinarii, ut id in Monte *Furca* prope *Originem Fluminis Rhodani* animadvertitur, ac cum iis continui ferè sunt, qui radios Solis, ventosque suaves impediunt, ac ipsis accessum denegant; Hunc Montem *Silius* ita delineat.

Nullum ver usquam, nulli æstatis honores.
Sola jugis habitat diris, sedesque tuetur
Perpetuas, deformis hyems: — — —

Vel interstitia Montium κατ' ἐξοχὴν dictorum occupant ac replent, ut in *Grindelia* itidem observare licuit.

Ph. II. De Altitudine, Longitudine &c.

Ph. II. Quoad *Altitudinem* ac *Latitudinem* eorum nihil certi determinari potest. Altitudinem enim aliorum Montium aliquando æquant, non superant, quorum in ascensu ultra milliare Germanicum consumitur, sæpius verò multò inferiores, ac medietatem solùm attingunt. Crassitiem *Munster L. C.* Illius prope *Rhodani Fontem* XX. vel XXX. pedum determinat; *Latitudinem* quousque telum arcus pertingere valeat, *Longitudinem* verò indeterminatam relinquit. *Simlerus de Alp. Comment. p. 74.* refert, quod apud *Sedunos* Mons sit, quem quidam *Sylvium* nuncupant, *Salassi Rosæ* nomen ei imposuêre, in hoc Monte ingens sit glaciei perpetuæ cumulus, per quem ad *Salassos* ferè quatuor millium passuum spatio transeatur, & tamen illi adhuc altiora & magis rigida immineant juga, sed dimensio hæc satis incerta est, ut ipsemet observavi, nam maximè inæquales sunt, invii, ac nonnisi, & quidem vix, Calceis ferro armatis, summo tamen periculo, ut in sequentibus demonstrabitur, ascendi possunt. Accuratior tamen illa mihi aliquomodo videtur fissurarum seu hiatuum dimensio, ut *Ph. VIII.* proponet, ubi bolidè mediante, mox CCC. mox CCCC. plus minùs ulnarum eorum profunditatem repererunt.

Ph. III. De Incremento & decremento.

Ph. III. De Ipsorum *Incremento* variè Striptores differunt, & quidem asserunt ab aliquot Seculis tanta incrementa sumpsisse, ut terram proximè circumjacentem, unà cum arboribus

ribus &c. de se repulerint ; imò prata, domos proximè ædificatas destruxerint ac devastaverint. Sæpissimè ex ipso Monte, maximas stirias ac moles excrescere, quæ si rimas agant, ob immensum pondus in Vallem cadere, hinc novum planè produci ; sed eorum loco mox alias succedere. Nec minùs vernali ac æstivo tempore si dehiscant fissurasque producant, à nova descendente Nive restaurari ac redintegrari. Alias de ipsorum Incremento & decremento quidam Alpicolarum sibi persuasum habent septem annos pro Incremento, totidemque pro Decremento requiri.

Ph. IV. *Forma* ac *Figura* illorum pro Loci varetate, Anni tempore, caloris & frigoris remissione aut intensione variat, nullas certas observant regulas, ut plurimum planè rudes, deformes, acuminati, ac propriè dictos Montes quàm maximè, hyemali præsertim tempore, æmulantur : Eminentiæ ac protuberantiæ horridæ protuberant, calore cum primis æstuante, ubi non continuos sed contiguos fuisse attendimus, una enim quæque fissura ad imum fundi sese extendit, hinc quodvis Glaciei frustum, peculiarem quendam Montem, seu potius collem constituit, ut valles, si mihi ita dicere liceat, seu interstitia facilè quis intrare possit. Eminentiæ hæ sæpius maximo cum damno inferiora petunt, ut antecedens Phœnomenon indigitavit, & in *Ph. VIII.* fusius tradetur. *Ph. IV. De Forma & Figura.*

Ph. V. Quæstio heic oritur ; *Num Glaciei communis naturam exuat* ? ac *perennando Crystallinam induat* duritiem : Quod quidam ut *Stumpf.* & *Munster. L. L. CC.* affirmant, imò addunt Naturam ac Proprietates communis Nivis & Glaciei relinquere, ac claritatem, puritatem duritiemvè Crystalli, vel communis Lapidis accipere, eidemque in modo denominatis requisitis nihil cedere. *Ph. V. An Glaciei communis naturam exuant* ?

Ph. VI. Ex antecedente Phœnomeno, aliud membrum priori planè propinquum fluit. *An* nimirum *in loco natali, vel planè etiam alibi sint dissolubiles* ? vel majus saltem temporis spatium pro eorum liquatione requiratur ? *Stumpf.* & *Munster. L. C.* In Loco natali, i. e. in summitate ipsorum Montium liquefieri pernegant, imò si casu frustum aliquod decidat, aliquandiu ibi permanere, antequam in Aquam, quamvis Solis & *Ph. VI. An In Loco Natali sint dissolubiles* ?

Caloris acceſſus ſit intenſiſſimus, reſolvatur. Addit adhuc *Stumpf. L. C. p.* 606. Hanc Glaciem repentino calore Solis vel Ignis focalis non ſtatim, ac communem liquefieri.

Ph. VII. De Puritate Ipſorum.

Ph. VII. *Puritatem* Ipſorum Auctores non ſatis exprimere norunt. *Munſt. L. C.* habet quamvis ad Metalli fodinas referri non poſſint, quoad tamen puritatem Gryſtallis quam proximè accedere, ac ipſarum inſtar ſplendere: Omnium impuritatum eſſe impatientiſſimos, aliarumque rerum mixturam minimè ferentes; Seſe ipſos purificare, omnesvè heterogeneas partes, Lapides, Ligna, Arenas, aliasque ſordes longè à ſe repellere, ut nulla ampliùs inquinamenta remaneant. Occaſione Puritatis de ipſorum colore exteriùs apparente ſubnectemus, qui Cœruleus ſemper videtur, ſuperiusque cruſta, ſeu Cortice quaſi, ex luto, è Montibus proximè ſitis delato tecti, conſpiciuntur.

Ph. VIII. De Fragore, & hinc dependentibus Fiſſuris.

Ph. VIII. Vernali ac æſtivo tempore, calore accedente, maximo cum *fragore*, *Crepitu*, *mugitu* ac *tonitru*, quaſi omnia inferiora ſuperioribus miſcere conentur, dehiſcunt, diſrumpuntur, ac ſi Montes ipſi ruere viderentur; Fit tamen non una vice, ſed per aliquot Septimanas, imò per totam æſtatem, ut ipſemet non ſine ſummo ſtupore percepi, verum tonitru aërem noſtrum vibrare ac percutere autumans. Productum mugituum horum ſunt fiſſuræ, hiatus ac cavitates, Incolis **Spält / Schröffen** dictæ, quatuor vel quinque pedum latitudine, imò ſæpius ampliores, nonnullæ immenſurabiles ferè, aliæ CCC. vel CCCC. Ulnarum, quos inſpicientibus nihil niſi mera, pura Glacies, oculis objicitur. Hiatus hi profundiſſimi ſi denuo nova nive, vel conglomerata, vel recenter ſolùm delapſa repleantur, ac concidant, eodem fragore ſtatim alio in loco fiſſuras agere obſervant *Munſt.* & Cl. *Wagn. L. C. p.* 26.

CAPUT VII.

Phœnomena recenſita explicat, cum nonnullarum Sententiarum propoſitione & ἐνστάσει.

DEcimus hucviq; circa Montes Glaciales principaliora Phœnomena

nomena observanda, quorum ἀνάλυσιν, instituti ratio, & veritas à falsitate distinguenda, miracula divina magis deprædicanda, subnectere exigit; In quorum solutione, ut & recensione Auctores de iis tractantes non conveniunt, quas sententias fideliter enarrabimus, suisque locis inseremus; Nostrum verò judicium, ratiocinia, modestam ἐπιχρισιν ac proprias experientias ex principiis sanæ Philosophiæ desumptis subjungemus, quo modo veritas clariùs patescet.

Antequam Alto nos committamus, pro clavi, ad absconditos hosce thesauros reserandos, lubricos ac læves istos Montes feliciùs penetrandos ac scandendos, obscuram hactenùs ac raram hanc materiam melius eruendam & solvendam, brevem *Glaciei* Originem, Naturam, structuramve præmittere, haud ingratum fore confidimus, quâ materiâ penitiùs examinata, faciliùs exoptatiùsve nodos hosce seu Gordeos Herculeo ausu solvere potes eris.

Glaciei in genere Origo; Natura, &c. quæ?

Glaciem secundùm plerorumque Sanorum Philosophorum mentem, dicimus esse Aquam in solidam substantiam, à frigore & quiete particularum hactenus in continuo fluiditatis motu existentium, transmutatam. Motus enim quamdiu adest, ac à materia subtilissima agitatur, semper impedit, quò minùs particulæ istæ flexiles & anguillares concrescere, frigoreque indurescere valeant. Expulsa enim, seu potius recedente causa movente, sive igniculis istis subtilibus, à calore Solis, vel ob aëris nimiam gravitatem, ac multarum crassiorum particularum imprægnationem, vel aliâ quâcunque causâ, in eam immissis, dictæ particulæ ab exteriore parte interiora versùs, sine ordine rigescunt, ac quasi cortice obducuntur: Quod & *Eccles. C. XXXIII. v.* 22. eleganter proposuit. *Frigido*, ait, *vento Borea efflante compingitur ex Aqua gelu in omni congregatione aquarum diversatur, & Aquam velut Loricam induit*: Januam hinc ad ulteriorem calorem ac motum subintrandum præcludunt; continuata brumali auctera tempestate, ulteriùs congelatio pergit, ac totam aquarum copiam, pro loci tamen conditione, quò privatio hæc major eò intensior concretio, quo remissior, eò & minor, eadem inficit labe. Aqua hæc concreta in sua congelatione expanditur ac ab aëre intus magis ferè,

ferè quàm ipsa aqua incluso, rarefit, qui particulas istas anguillares, rigidas, inordinatas, plerumque tamen figuræ oblongatæ ac rectæ efficit, quæ quaquaversum spicula sua emittit, ac in ipsorum interstitiis hospitem hunc aëreum sustentant: Aëris in majore quantitate præsentiam Glaciei levitas, aquæ supernatatio &c. indicat; Rarefactionis autem & expansionis majoris loci spatium, quotidianaque experientia. *Chymici* concretionem hanc, secundùm ipsorum experimentum congelationis artificialis, Sali ac Nitro aëreo attribuunt, quod ipsis relinquimus; Hoc unicum addimus Glaciem marinam omnem salsedinem deponere, ac hanc liquefactam, dulcissimum gustui, suavissimumque potum *Septentrionales* oras inhabitantibus supeditare; Testantibus, aliquot itinerariis & Experientia *Athanas. Kirch. Mund. Subterran. P. I. L. III. p. 166.* & Clariss. *Reyheri* in sua hac de re conscripta dissertatione. Sed è diverticulo in viam: Accingamus nos ad Phænomenorum superiore ordine memoratorum solutionem.

Chymicorum Sententia.

Ph. I. Ratio cur Montes Glaciales plerumque fiti sint versus.

Ph. I. Hoc Phænomenon *Locum natalem*, seu *Situm* versus *Polos* innuit, quod pro primo summe necessario ad certitudinem horum ulteriùs inquirendam, censemus. Notum est ab istis *Mundi plagis* omnes aëris dispositiones, tempestates; calorem, frigus, &c. dependere, magis adhuc à ventis hinc spirantibus, Atmosphæram nostram multifariam infestantibus, descendere. Respiciunt autem plerumque Montes nostri Glaciales *Meridiem*, sed non nudi ac ita expositi, à tergo *Septentrionem* versus, tanquam parietes, quibus annectuntur, Montes sunt petrei altissimi; Ventis hinc flantibus accessum denegant, ab altera parte itidem ejusdem generis Montibus præmuniuntur, Austri flatum infringunt, tactumque calidum inde efflantem eludunt, quò minùs hi flatus Eos attingere valeant. Positi ergo in Valle circumcirca altissimis Montibus cincti, nullum nisi calorem Solis aliquando pertranseuntem experiuntur. Summa frigiditas Sole recedente ac nocturno tempore persentitur, hinc ea glacies interdiu soluta, nocte iterum densiùs congelatur ac constringitur: Unicè ergo *Situi* horum genesis & existentia concedenda. Aliorum *Situs Septentrionem* intuetur, versus

Meridiem.

Septentrionem.

susque *Meridiem* longè latèque sese extendunt, imò in *Grindelia* Montes isti duo apparentes Glaciales solùm Crura quasi sunt & pedes, totum verò Corpus seu moles in Valle recondita latitat : Mirum hinc non est, glaciem perennitatem nunquam deponere, sed inibi ob intensissimum frigus semper hospitari. Si Interstitia Montium seu Valles possideant, modò enarrata causa sufficiet ; frigus irremissibile, imò proximiùs eos appropinquantes, id maximè sensibiliter cum horrore experiuntur. Incolæ hinc viciniores non leve damnum pro frugibus & obsoniis maturandis, gramine progerminando, &c. si solito majores extiterint, observant, ac de gravibus hisce damnis conqueri non desinunt. Alii *Septentrionem* itidem prospectantes, in summitate summorum Montium positi, ut in Monte *Gemmi*, nullis circumcincti ac incluſi aliis Montibus quasis cancellis, sed toti quanti quanti nudi & expositi, secus quàm hoc in *Grindelia* observatur ; Frigus ibi percipitur maximè rigidum ac intensum, Boreas sua impetuosissimè rigida emittit tela, ita ut etiam æstivo tempore itinera per eum instituentes, nisi vestimentis densis sint obvelati, maximè eos feriat. In Monte *Uranienſi* Windgällen dicto, quodam fide digno referente, idem Boreas ita vehemens observatur, ut & lapides non minoris molis à locis suis dimovere valeat. Accedit adhuc quo aëris Regio altior, eò frigidior ; Motus enim ibi planè remissior, radii Solis solùm eam penetrant nec repercutiuntur ac reflectuntur, sicubi in Vallibus ac Terræ partibus inferioribus contingere quotidie videre licet, & experimur, hinc *Nubes* in ea natantes secundùm plerosque Physicos, nivosæ, concretæ ac quasi conglaciatæ eadem ratione censentur. Quid ergo mirum, si in tanta altitudine morantes Montes, nihil nisi mera Glacies, ita compacta, inveterata, & densa illos constituat, ac ita indissolubiles permaneant. Nonne quæso ; luculentum satis suppeditant testimonium, Montes antiqua nive *tecti*, *Firn* dicti, Celsissimi in *Helvetia* æque quos in differentiis recensuimus, qui perennante nive amicti sunt ac sub ipsa *Zona torrida* siti in altissimis Montibus, qui in *Actis Philos. Angl. in Insula Teneriffa Terreira* appellatur, ac pro summo in toto Mundo deprædicatur, & ad LX. mil-

In Montium Interstitiis.

In Montium Summitatibus.

Aeris superioris frigiditas.

liaria è longinquo cerni has oras navigantes annotant, sicut hoc ex iis *Auctor Nouvellen von gelehrten und curiosen Welt/ Anno 1696. p. 1868.* allegavit ac transtulit. Ejus Altitudo perpendiculo dimensa ad duo cum dimidio milliaria censetur, continuam Nivem continet ac alit peregrinantesque frigus hoc austerissimum intolerabile experti sunt. Adhæc altiora loca magis perflantur, depressa verò minùs à Ventis verberantur. Nonne, inquam, unicæ altitudini, ac superiori aëris summæ frigidæ Regioni hoc dandum adscribendumque est?

Ph. II. Altitudinis Ratio & incretitudo.

Ph. II. Quid *Altitudo*, ad Montium horum generationem conferat, jam Primi Phœnomeni solutio indicat. Altitudinum autem verè Glacialium Montium hactenus nullam certam habemus notitiam, invii enim sunt, nullusve accommodatus locus exactè Geometricè eos dimetiendi, ex ascensu autem proximorum & altitudine æqualium hauriri debuit, cum iisdem recta nonnunquam quasi linea ambulant, non eminent, alii verò etiam multò inferiores, nec vicinorum medietatem attingentes observantur, nisi hyemali tempore, cum Nix decidit, & ambos cooperit, Vernali verò iterum recedit, cujus ratio etiam ex antecedenti ἀναλύσει peti potest, à Ventis scilicet, Calore Solis, &c. Nonnisi enim, ad determinatam quandam metam pertingunt, & si pertingant, tanta ibi frigoris resistentia, ut illi non facilè cedat, & quamvis aliquando, æstate cumprimis æstuante, paululum imminuantur, statim damnum hoc resarcitur, ut *Ph. III.* habebit. & plerique eandem semper altitudinem servant. Nulla tamen regula non patitur exceptionem, ii enim qui summos occupant Montes, crescunt & decrescunt, ut sequens *Ph. III.* demonstrabit, pro tempestatis iniquitate ac benignitate. Observantibus tamen Alpicolis Eos à constitutis suis limitibus non multùm declinare. Certiorem verò, suo modo judicamus superiùs notatam hiatuum ac fissurarum, bolide inquisitionem, quæ plerumque à supremo hiatu ad infimum Montis, seu Terram continentem pertingunt, &c. Sed cum & Montium cacumina ob declivitatem, lubricitatem, ac fissurarum periculositatem conscendi nequeant, ab iis hinc certam dimensionem

nem instituere impossibile est, à dictis enim fissuris adhuc ultra centum ulnas altiores reperiri cernitur. *Longitudo* ac *Latitudo* itidem ad locum natalem sese accommodat, Venti calidiores, radiive Solares, quousque efficaciores pervenire possunt, omnem Nivem & Glaciem consumunt, hique suos constitutos tenent fines, ultra citraque quos consistere nequeunt. Loca itidem natalia prout variant, eodem etiam Incolæ; Montes Glaciales puto; sese habent ac dirigunt.

Ph. III. Antequam Ipsorum Incrementum examinemus: in Originem ac primum eorum ortum inquiremus, à quo tempore principium suum sumpserint, *Ante An? Aut post Diluvium? vel demum subsequentibus Annis & Seculis extiterint? Munster. L. C. p. 695.* A duobꝰ tribusve annorum millibus descendisse, autumat. Ardua quidem, difficilis ac incerta primo intuitu hæc quæstio videtur, sed repetenda heic, quæ in *Cap. I.* de Montium in genere origine commemoravimus, de quibus nullo modo dubitare licet, quod scilicet à creatione, si non tam alti Montes, saltem eminentes Colles ac Monticuli fuerint, in quorum interstitiis ac summitatibus Nix & Glacies, pro loci ratione sese dimiserit, ac hoc hospitio usa fuerit, irriente verò Diluvio, confusioneque universali, hanc in sublime, ut omni Glaciei accidit, elatam, ibidemque liquefactam fuisse: Recedentibus verò Aquis, eam ipsam Aquam statim in locis appropriatis, non tamen in tanta mole, glacialem substantiam induisse, successu temporis etiam eandem ac nunc altitudinem obtinuisse. Accuratè loquendo duo vel tria annorum millia constituere, ingenuè fateor, ad quodnam tempus hi referendi forent, certè maximè hæsitarem, ultra quatuor enim millia annorum à diluvio, secundùm Chronologorum computum, jam effluxere, hinc originem ac principium maximorum & propriè Glacialium Montium Gletscher dictorum in tempus statim post Diluvium rejicientes, non longè aberrabimus. *Incrementum* quomodo sumant ex parte in Historica narratione jam propositum est, modo occasione originis diximus. Sed ulterius quantùm narrationes Alpicolarum, propriæque experientiæ nobis dictarunt, in medium proferre haud cunctabimur. Nonnulli Incolarum Septennium crescere solùm, nihil de iis consumi, & viceversa totidem annis iterum imminui firmissimè credunt; Sed non solùm rationi, pro-

Ph. III. Montium Glacialium ortus, an ante an post diluvium sit?

Ipsorum Incrementum & decrementum quomodo fiat?

priæ experientiæ, sed & aliis emunctioris naris Viris exactissimè id observantibus contrariatur: Aliud enim ipsa αὐτοψία edoctus, à nemine hactenus observatum, proponam. Conspiciuntur in in iis Lineæ, in aliquibus VII. VIII. vel IX. quas strata nuncupare solemus, ex quibus accuratè anni ipsorum desumi valent, ut in arboribus ex Circulis idem Physici prætendunt; Quæ Lineæ, vel strata hinc oriuntur; Hyeme absoluta, nive ex Montibus vicinis recedente, à gravissimis imbribus, terra ab iis eluitur, Mons Glacialis tum proximè situs, ab ista Aqua turbida, Terrâ permixtâ, Cortice quasi obducitur, terrea iis insinuantur, quæ nunquam recedunt, sed firmissimè adnexa semper hærent & permanent; Hyeme autem iterum recurrente Cortices hæ nova teguntur nive, postea in Glaciem mutata hanc eodem modo alia crusta cooperit, idemque singulis accidere annis animadvertitur. Lineæ hæ seu strata inferiora semper multò minora sunt superioribus, & quo superius stratum, eò altius. Hinc apertissimè Ipsorum Incrementum & decrementum concludendum, ab inferioribus enim & interioribus æque liquantur ac dissolvuntur, ac à superioribus, & hæc liquatio æstate quotidie fit, calore præsertim intensiore, aqua semper ex iis impetuosissimè defluit, guttæ ex iis dependentes ac cadentes singulis momentis conspiciuntur, circa vesperam magis, quàm matutino tempore, utplurimùm tamen non transgrediuntur suos limites constitutos, ac incrementum ab hyemis violentia, decrementum verò æstatis ac caloris benignitate dependet. Quæ modo de Ipsorum ortu ac origine comentati sumus, cum grano salis accipi volumus, non quod adhuc de Aqua diluviali, vel Glacie ab eo tempore collecta suspersit, hoc enim experientiæ contradiceret, sed quod in iisdem dictis locis, ab eo tempore continuata, protracta, & si quid recesserit, restaurata fuerit; Palam etiam est, internum telluris calorem æque ac externum accessorium pro ipsorum destructione & solutione concurrere. Quod verò de iis decessit, vel lapsu per fissuras, productо, vel etiam continuo calore interno & externo æstuante, statim vento austeriusculo spirante, ipso sæpe Augusto & Septembri, pluvia vel nive cadente, ea statim coagulatur, & sibi ipsi assimilatur. *Juga Glaciei* inveteratæ incolis, Schneejäher dicta, si delabantur, hyeme subsequente iterum resarciuntur. Fissuræ,

Hia-

Hiatus, ac valles quasi istæ glaciales de quibus Ph. VIII. agit, nova nive & aqua replentur, ac in integrum restituuntur.

Ph. IV. Hyeme omnis deformitas, ac eminentiæ absunt, & hi Montes sunt declives, in unum quasi cacumen acuminati, accedente verò calore, vel vento suavi dehiscunt, fissuras agunt, de quibus Ph. VIII. tractat, per quas fissuras aqua defluit, eas quasi eluit, & quodvis horum frustum peculiarem producit Montem, ut hinc non amplius continui, sed contigui videantur, facile Monticulos hos aggeres cum fossis, turres, domos, &c quis dixerit, & hinc propriè diversitas figurarum ac eminentiarum dependet: Nònnunquam frustum aliquod, in aliud latus decidit, ac statim ibi agglutinatur, superior unde locus à quo motum, defectum, ut ita loquar, inferior vero quo delatum, excessum, seu majorem deformitatem producit; certam autem iis figuram adscribere impòssibile est, quicquid enim fit, casu accidit, & quibuslibet annis pro caloris & frigoris efficacia & mutatione, aliarumque circumstantiarum variatione differunt. *Ph. IV. Variarum figurarum causæ.*

Ph. V. Antiquitas, ut *Hesychius*, *Aristoteles*, *Diodorus* aliique plures, sanctè ac firmissimè persuasa erat, *Glaciem* per tot annos, imò secula durantem, *non amplius solubile permanere*, Glaciei propriè dictæ naturam exuere, & à similitudine coloris ac diaphaneitatis in lapidem converti transmutarique; In specie Crystallum κατ' ἐξοχὴν dictam, seu lapidem hexagonum, diaphanum, unde & ipsi nomem κρύσταλλον quasi κρυὸς σκλόμενον, quod idem ac glaciem, vel aquam frigore concretam indicat, imposuere. Accedit adhuc, quòd Crystalli nascantur solùm in Montibus istis Glacialibus posuerint, quod tamen falsum, & non nisi ex petris proximè quidem locatis eruuntur. Testimonii loco cum *Simlero in Comment. de Alpib. p. 125.* duo sequentia Epigrammata græca, quæ *Claudiano* tribuuntur, adjungere placuit: *Ph. V. Non Glaciei naturam deponunt & Crystallinam acquirunt substantiam.*

Κειονείκ κρύσαλλος ὑπὸ ανέρος ἀσκηθεῖσα
Δεῖξεν ἀκηρασίοιο παναίολον εἰκόνα κόσμυ
Οὐρανὸν ἀγκὰς ἔχουσα, βαρύκτυπον ἔνδοδι πόντον.

Alterum.

Εἶπι ἄγε μοι κρύσαλλε, λίθῳ πεποκασμένον ὕδως,
Τις πῆξεν, βορέης τις ἔλυσε, νότος.

Marbodeus suam, hac de re, sententiam ita expressit.

Crystallus glacies multos durata per annos

Ut placuit doctis qui sic scribere quibusdam
Grandinis antiquæ frigus tenet atque colorem.

Sed antiquam Glacici naturam structuram, &c. retinent.

Falsitatem hujus in nostra de *Crystallis dissertatione* jam explosimus, multis argumentis, experimentisve, quo B. L. remittimus, eam extirpavimus. Unicum solùm satis evincens experimentum Illustr. *Boylei de Gemm. Orig. & Virtut. p. 26.* addentes. In Crystallo petrosa, pellucida, & colore omni carente, atque tenera, bilance examinato ejus pondere, in aëre, deinde in aqua comperit pondus ejus ad pondus Aquæ æqualis quantitatis eandem habere rationem, quam 2. & ferè $\frac{2}{3}$. ad 1. manifestissime hinc falsitas elici poterit. Adhoc decutiatur frustum Glaciei hujus antiquissimæ ex ima parte, aquæ injiciatur, statim reperiet, eidem semper supernatare, nunquam fundum petere. Firmissimum hoc experimentum quis negabit? Certè si solùm aliquid terrei vel lapidei in se contineret, ipsi injectum fundo tenacissimè adhæreret. Non negandum tamen aliquo modo à communi discrepare, præsertim quoad pororum angustiam ac compactionem, cum primis frigore existente intensissimo, ac vix irremisibili, quod idem versus *Septentrionem in Norvegia, Moscovia, Nova Zembla, &c.* Navigantes compererunt. Gradu ergò solùm, non verò Naturâ & substantiâ differunt, in quantum gradus nunquam variabunt rem. Ut non nulli lapides, v. g. Adamantes orientales multò duritie splendore, pretio, &c. occideutales superant, posterioribus tamen Adamantis nomen non derogatur. Transmutatio hinc absurdissime dicitur. Veritatem tamen hujus, sequens Phænomenon magis in apricum deducet, cum hoc planè analogum quod & ex hoc descendit.

Ph. VI. Glacies inveterata successu temporis dissolvitur.

Ph. VI. Distinguendum heic inter sententiam, quæ 1mo asserit in loco natali, i.e. in ipso Monte non dissolvi, vel difficulter. 2dò Quod si frustum in Vallem proximè jacentẽ decidat, ad ipsius dissolutionem longum temporis spatium requiri, & 3ô. Quæ omnem ei liquationem ac dissolutionem pernegat. Priores suo sensu, ut concedamus faciles erimus. Certum enim, quoàd Priùs aëris inclementiam, caloris haut sufficientem præsentiam, frigoris ibi existentis rigiditatem, heic accusandam esse; Resistentia namque hæc calorem superficialem eludit; Accedit autem nonnunquam, quod in Ph. III. innuimus, ut nonnisi ab extraordinario ac diuturno calore liquefiant, quod ex fluminibus copiosè ex iis defluentibus, ac guttis aqueis descendentibus colligitur, mox autem iterum restauratur. Alteri etiam sententiæ nos subscribimus, frusta

frusta enim hæc cum densissima, compactissima ac magnæ molis sint, per aliquod temporis spatium indissoluta remanent, sensim enim sine sensu quotidie aliquid abscedit, & in aquam abit, calor quamvis intense in id agat, obviique surgenti Phæbo sint, non nisi superficietenus aliquid consumitur; Poti enim ipsius irregulares, maximè constricti, ingressum ipsius celeriorem impediunt, & siquid interdiu imminutum fuerit, noctu rigidissimum frigus, poros iterum obstruit, sequenti verò die de novo eos reserare ac ingredi debet. Frustum alias ittiusmodi glaciei decussatum in manibus meis tenui, quod mox ut aliam glaciem tardius tamen diffluere, ac in aquam gelidam solutam fuisse, animadverti: Licèt Ignis socalis vehemens admoveatur, non statim ipsi cedit, quoniam hic nimis fortis, repentinus ac ad ingressum non adaptatus est, contra moderato & Austro flante felicius movetur, quod Ph. VIII. docebit. Sed quod tertiam spectat, miror sanè experientiæ ac rationi ita oggannire nonnullos non erubescere; Luce enim meridiana clarius, ac cuivis experimentum tentanti absque omni scrupulo felicissime succedet, liquefactio hæc glaciei vetustæ, ita ut nihil nisi Aqua pura remaneat, non quidem ita repente ut Cera, oleum, &c. sed sensim ac pauco temporis spatio interposito, præsertim si à natali ac inclementi in alium apricum, serenum, calidum deportetur locum. Unde quæso! duritiem ac substantiam hanc lapideam mutuâsset? A frigore certe non. In nostra supra allegata de *Crystallis dissertatione* explicatius id tradidimus: Ad petrefactionem aliud quid, quam frigus requiritur, materia scilicet terrestris, calor accedens & condensans, aliaque plura. Nonne heic desunt? Quid? Si hæc glacies in Lapides seu crystallos abirat, toti Montes Cyrstallini, ut in Africa haud procul à *Wagana Wassonis*, annotante *Munst. Cosmogr. p. 1731.* nostras *Helveticas* æque ac *Septentrionales* Regiones ornarent, Crystallus hinc non ita caro venderetur pretio, nec in tanto versaretur æstimio.

Ph. VII. Chrystallorum ac Glacialium Montium Splendorem, puritatem, diaphaneitatemque eâdem chorda extollunt, quasi nulla interesit differentia, parique ambulent passu. Primo intuitu, analogiam ac similitudinem aliquam præ se ferre, non inficias eundum, penitius autem examinantes Illas multo puriores, diaphanas ac clariores, has verò albicantes magis, imò Cæruleo quodam quasi fuco infectos, non ita diaphanos & perspicuos esse, observarunt. Ut jam de figurâ Crystallorum hexagonâ nihil quicquam dicamus. Quod si eorum materiam primam, seu constituentem, Aquam scilicet purissimam

Ph. VII. Montium Glacialium punitas in quo consistat?

spa-

ὁμογενεῖ nullis sordibus ac heterogeneis permixtam ita mox absque mora concretam, consideremus, certe facile ipsis hæc sincera quasi puritas concedenda. Puritatem tamen non à suâ primâ petunt materiâ, sed peculiare aliquid ipsis attribuunt, omnium scilicet impuritatum, heterogeneitatum, sordium esse impatientissimos, nulla ipsis miscerî posse, sed si iis talia sint admixta à se repellere ac rejicere. Unde autem hæc ipsorum penetralibus permisceantur, hæsito; A Terra seu fundo in eos impelli impossibile, Lapides &c. multò graviores sunt, glacies summè stricta ac compacta, ut utraque incapacia sint, ascendendi scilicet & recipiendi: A superioribus enim non facilé sit, nisi ab aliquo Monte proximè posito, in eos deferatur, quod & ipsemet conspexi, mox tum ob ipsius lubricitatem inferiora & fundum proximè jacentem petunt, vel eorum fissuris ac hiatibus sese committunt, ibique permanent. Verum tamen hoc, quod propriis contemplatus sum oculis, ad ipsorum pedes maximos acervos Lapidum vel Rupium prægrandium, arenarum aliarumque heterogenearum rerum, quas aqua semper effluens secum vehit, eluitque, etiam in ipsius incremento longè eâ se repellit, & cùm iis sese minimè unit. Lapides, arenæ, aliæque Sordes enim cum glaciei particulis nullam planè habent convenientiam; Etsi fortè, frigore maximo Lapis, Lignum, &c. in iis concrescant, cœlo benigniore ac calidiore, ibidem fissuras agit, ac per has illa de se mittit, tam ob lapidum gravitatem, quam Ligni porositatem, aërisque in majori copia iis admixtionem, hinc aër majorem virtutem in iis exercere valet. Sicuti Lapides isti degunt, eorum Montium liquatio velocior fit; Radii enim Solis, in eos impingentes, eosdem calefaciunt, hinc glaciei vicinæ fluiditatem comparant. Nec minus cum Montes hi per exteriorem, ut omnes communes lapides incrementum sumunt, Lapides, arenæ, Ligna sunt mobilia, glaciales contra Montes firmissimi, durissimi, illa verò facilè cedentia & non resistentia, ea à se propellunt, non eandem cum iis constituunt massam, & in sinu suo non asservant. Occasione Incrementi in Ph. III. ipsorum cortices ac crustas allegavimus, earundemque rationem reddidimus: Miror si omnium impuritatum essent inpatientissimi, cur non istas Lineas sive cortices lutosas, arenaceas, pluribus sordibus permixtas, atque sibi intimius unitas, cur, inquam, non delerent? cùm ad ultimam usque Glaciei dissolutionem perseverent.

Impuritates quo modo expellant.

Ph. VIII. Fragores & fissuræ an à Cavernis atris intus concluſis.

Ph. VIII. *Marianus Topograph. Helvet.* p. 26. Rationem redditurus Mugitus, fragoris ac fissurarum, statuit cavernas ac venas aëris intus

intus incluſas, qua & incrementum promoveant, æque ac Montes Ignivomi *Ætna* & *Veſuvius* ignis præſentiam, Maris voragines, Aquæ ingreſſum, indicant. Ratio & comparatio longe petita videtur; Tantas enim cavernas ac venas aëris ita incluſas nullo modo concipere poſſumus; Aëris præſentiam non negamus, ut ex poſterioribus videbimus, ſed in tanta quantitate conjunctas haud facilè quis concedet. Montium Ignem ejicientium ac Maris voraginum alia planè ratio. Ignem ex cavernis Montium egredientem omnium ſenſibus percipimus: Voragines has Maris nudis apertiſsimé obſervamus oculis; Cavernarum verò aërearum præſentiam, ventorumque copioſisſimam compactionem, nulla ratione, & experientia firmatam nobis imprimere poſſumus. Nec ad incrementum quid contribuant, imaginari licet; Certè magis hiatus hi ad decrementum, quàm incrementum relegandæ; dictum etiam non ab interioribus ut Plantæ, vel alia animalia augeri, ac nutriri, ſed ab exterioribus per appoſitionem incrementum capere. Non ſolùm talis mugitus & Fragor ſin Montibus Glacialibus animadvertitur, ſed in omni glacie Aquarum, Lacuum Maris, in *Septentrione*, Inſularum glacialium in Mare natantium, Monentibus *Ol. Magn.* & *Rudolf. Capell. Septentr. Deſſ.* Anne & in iis Aquis ſubditis tantas varias Æoleas fovent? Certè haud facilè crediderim. Magis arridet Sententia Clariſſ. *Dn. D. Scheuchzeri in Phyſic Germanico Idiomate donata P. I. C. XXII. §. 8. 9. 10. p. 210.* diſſerentis. Glacies *ſeptentrionalis* (etiam *Helvetica*,) durior, compactior ac firmior, propter majorem & fortiorem particularum minimarum ignearum expulſionem, hinc particularum glacialium compreſſio vehementior; Appropinquante autem vernali tempore ſeſe porulis Glaciei iterum dictæ ſubtiles particulæ ſenſim inſinuant, non tamen tanta vi, ut Ceræ inſtar eam liquefacere poſſint, ſed ſolùm ut rigidæ iſtæ ac maximè compreſſæ partes dividi ac ab invicem ſeparari & quidem tanto crepitu poſſint. Vel ſecundùm *Bartholinum*, qui ita ſentit; Quod hyemali tempore iſtæ aëreæ particulæ à ſummo frigore in glaciem coarctentur, includanturque, vernali verò ac æſtivo calore accedente eædem iterum rarefiant & extendantur, hinc majus requirere ſpatium, quod per harum fiſſurarum actiones inveniat, ac libero aëri ſeſe committant. Tanto ergo impetu rareſcunt, catervatim ex iis exeunt, & dum ad quietem aërem impellunt, hic retardatus non nihil à motu vibratur, percutitur, itaque tantum fragorem ac tonitru quaſi de ſe edit & emittit. Nemo, ut ſpero, mihi vitio vertet, ſi mugitum ejulatatum quaſi, aliquando à proximè

Rejicitur.

Vera ipſorum ratio.

habitantibus audiuntur, in *Monte Hecla*, qui *Insulæ Maris Deucalinæ* Incola, scribente *Rodolf. Capel. L.c. p. 176.* eandem ad causam referemus, à continuis nivibus etiam semper tectus est, quamvis & ratio ab Ignibus subterraneis, cavernis Montis inclusis & maximè agitatis peti possit, Incolæ persuasum sibi habent manes & animas demortuorum esse, quibus ibi tanquam in Purgatorio commorandum sit. Quoad fissuras, quòd per easdem Montes isti continui glaciales dividantur, & una quæque pars peculiarem constituat Monticulum, superius acuminatum, inferiùs verò pro basi latiorem & crassiorem, Interstitia facilè intrare possimus, in superioribus jam egimus. Profunditas harum fissurarum á crassitie Glaciei derivanda, quod jam in *Ph. I.* produximus, restaurationem redintegrationemque in *Ph. III.* docuimus. Quomodo venatoribus, Rupicapris, Lagopis &c. insidiantibus summa cautela opus sit, ne in eas præcipites ruant, ex quibus liberationis spes nulla affulget, occasione *Damnorum* specialius agemus.

Caput VIII.

Montium Glacialium usum Medicum communicat.

HUcusque Recensioni, solutionique Phænomenorum, ac Glacialium nostrorum Montium observandis insudavimus. Pauca adhuc de eorum *Usibus* ac *Virtutibus*, tum in *Foro Medico*, quàm *Oeconomico* usitatis adjungamus; Nec minùs & *Damnis* inde descendentibus, ac Incolis illatis. Notum trituum & Vilibus suam inesse virtutem: Summa venena in optimam antidotum redigi posse: Nihil tam vile, atque abjectum esse, quod generi humano emolumentum aliquod non afferat, Glaciei materiam, ex qua congelatur; Aquam puto; si in Scenam producere animus esset, Oceanum certè commodorum ac utilitatum inde haurire possemus. Sed hæc nos nunc non tangunt. Ipsius Glaciei examine contenti, in specie hujus inveteratæ, quale commodum hinc pro morbis corpus nostrum infestantibus, debellandis, sperandum sit. Nonnulli eam quàm maximè extollunt, & ut encomiis usus ejus satis commendare valeant, omnem operam impendunt. Apud *Glaronenses* Annotante *Simler. de Alp. Comment. p. 124.* in Monte *Wepchio* fons est frigidissimus, quem Aquæ solutarum nivium & glaciei in Sinum quendam collectæ conficiunt huic Incolæ sese con-

Glaciei Montanæ usus in nonnullis morbis? Externus.

contra varios morbos immergunt, idque tertio, præ frigore enim diutiùs in aqua subsistere nequeunt; existimant hujus Balnei usu Aciem oculorum juvari, & Auditum in senibus recuperari. Ejusmodi ferè Aquæ frigidæ immersionem in dysenteria &c. *Inde* in usu habent, ac suadet Cl. D. *Joh. Otto Helbigius Eph. Germ. Curios. D. J. A. X. Obs. CXCIV.* Ulterius Alpicolæ Aquam glacialem in omnis generis mor- *Internus.*
bis calidis ac bilioſis, Febribus ardentibus, Nauſea, Cholera, vomitibus bilioſis, Dyſenteria calida &c. in quibus ferè affectibus Cl. *Sigism. Gras. Eph. Germ. Cur. D. J. A. IV. & V. Obs. XCVI. p. 96. 97. & seq.* Aquam fontanam frigidam commendat. Advomitum uſque & abundè bibunt, ita ut ſæpe curentur, quatenus ſcilicet acrimonias in primis viis, ac ipſâ maſſâ ſanguineâ latitantes diluit temperat, atque infringit. In dyſenteria præprimis tam Acidulas, quàm eommunem Aquam frigidam laudant ulterius Dn. D. *Lanzonius Eph Germ. Curioſ. D. II. A. IX. Obſ. LIII. p. 84.* & Clar. *Dn. D. Vicarius L. C. Obſ. CLXXVI. p. 336.* &c. in qua hæc noſtra glacialis aqua aliquo modo adſtringit, tum ob maximum ipſius frigus, quod poros à calore dilatatos anguſtat ac conſtringit, materiam malignam fluidiorem reddit & evacuat, ejusque ulteriorem affluxum impedit; tum etiam ob plurimas terreſtres particulas ſibi admixtas, acrimoniam præcipitat, ipſiusque ſpicula acida primo corroſiva obtundit & abſorbet. Hæc Aqua enim ſemper turbida eſt, & quaſi lacteſcit, in locum repoſita ſedimentum ſatis conſpicuum in fundum demittit; Caute tamen, optimè monente Illuſtri *Schröckio*, *Scholio* doctiſſimo *ad obſ. Cl. d. Lanzoni* *Circa quam modo cit.* procedendum, & imprimis in morbi principio non eſt propi- *tam in ſumnanda*, ſi copia peccantium humorum adſit, ne ii in corpore detinean- *ma cautela opus.*
tur, plurimasve calamitates accelerent. In *Grindelia* homines jejuno etiam Ventriculo, multam aquæ hujus, absque ullo incommodo ingurgitant copiam, imo quantum quisque velit, in æſtu ſummo pro refrigeratione absque damno aſſumere poſſe, contendunt, quod & ipſe vidi, atque hujus periculum feci. In nimia ſiti ad hanc extinguendam, ſeu potius fallendam fruſtulum in ore detinent. Sed certè in hiſce caſibus ac morbis ardentibus, maxima audacia committi videtur, facillimè namque ſphacelum Inteſtinorum hæc Aqua procreare poſſet, quod modo citatus Cl. *Graff. l. c.* animadvertit, ac hiſce verbis improbavit. *Hac methodo ſed auſu, ſi nos judicemus, periculoſiore in Febribus bilioſis, diarrhœis, dyſenteriis Alpium Helveticarum Incolæ ſcribuntur bibere Glaciem* Gletſcher *vocant Idiomate vernaculo* - - -

O dura messorum Ilia! Ventriculi nostrates non tollerarent ejusmodi delicias. Principes aliqui Medicorum pessimum esse, aquam ex glacie & nive collectum pronunciant. Ut *Hipp. Aph. L. V. Aph. 24.* Τὰ ψυχρὰ οἷον χιὼν κρύσταλλος, τῷ σήθει πολέμια μηχέων κηνητικὰ, αἱμοῤῥοικὰ, καταῤῥοικὰ. *Et Simlerus comment. de Alp p. 124.* Ingenue fatetur multos potu & usu nivalis glacialisque Aquæ, præsertim veteris lædi, quamvis propter eximiam frigiditatem, nonnulli eam avidè petant. *Ovidianum* hinc tritum optimè in iis verificatur.

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata,
Sic interdictis imminet Æger aquis.

Relinquamus autem Alpicolis hasce panaceas, ac remedia hæc ancipitia, sufficiantque nobis ea, quorum usum certiorem ac compertiorem habemus. In plerisque locis ut in *Rhetia Grindelia* &c. usus ipsarum feré planè exolevit, paucosque vel nullos reperies, qui in recensitis affectibus confugium ac auxilium ab iis petunt, & præscripta Medicorum ordinariorum strenuè sequuntur. *Schröd. Pharm. Medico-Chymic. L. III. C. III. p. m. 314. & zacut. L. I. Hist. Med. Obs. 46.* Hanc Aquam liquefactam ac in ore detentam in odontalgia pertinacissima commendant. In Doloribus Arthriticis, Podagricis, tumoribus Ulceris expertibus, convulsionibus &c. Si membra iis emmittantur, ac aliquandiu in eis contineantur laudant. *Hipp. L. C Aph. 25. & Dn D. Vicarius l. c. p. 342. Bartholinus de Nivis usu Medico, & in Epist. Cent. III. Epist. p. 626.* Aquæ nivali ac glaciali ob Sal ipsi admixtum vim purgandi, sudorem ac urinam ciendi attribuit, de quibus Auctor modo laudatus, &c. *Ettmüll. Schröd. Dilucid. Mineral. C. III. p. m. 212.* videantur.

Caput. IX.

Usum Oeconomicum Glacialium Montium exhibet.

Inserviunt pro Potus refrigeratione.

ALterum usum oeconomicum diximus, ad quem primo Potus refrigerationem referimus, ubi totum dolium in ipsius caverna deportari curant, ac per aliquot dies ibi relinquunt, vel cantharus vino vel alio potu repletus, pro refrigeratione imponitur, quæ liquori statim stridorem ferè procreat, vel in ipsum potum & vinum frustum glacici,

ciei, eundem in finem injicitur; In noſtris oris non adeò ac in Italia aliisque Regionibus calidioribus frequens eſt, ſed incolis fiſſuræ Montium aſtorum Glacialium, pro ipſarum Carniumtam domeſticarum, quàm fenarũ conſervatone ac â corruptione aſſervatione inſerviunt, nulla muſca, vel aliud animalculum ſeminium verminoſum illuc deportans, huc pervenit, demum enim mactatas in easdem fiſſuras ſuſpendunt, ibique aliquot menſes, usque dum iis opus habeant, relinquunt, & frigore ſoluto, recentium inſtar guſtui & palato gratiſſimæ obſervantur; quod *Munſter. Stumpf. Merian. L. L. C. C.* annotarunt. Cum in iſtis ſummis Montibus pro mortuis ſepeliendis nulla terra, vel alius aliquis locus appropriatus ſit, Fratres Monaſterii D. Bernardi in Penino Monte, eos in profundiſſimam foveam ruptæ glaciei abjiciunt, quæ tum illorum *Sepulturæ inſervit, obſervante Simlero deſcript. Valles: p. 28.* In qua aliquandiu ab omni corruptione immunes permanerent.

Carnium aſſervatione.

De mortuorum ſepultura.

Quoad uſum communis glaciei non multùm ſoliciti ſumus, & non noſtri eſt inſtituti *Ol. Magn. Gent. ſeptentr. Hiſt. Brev.* plurima recenſet, v. g. Ex nive, aqua aſperſa propugnacula ad formam caſtrenſium mœniorum *Septentrionales* exſtruere, ac exercitii gratia ita mutuum voluptuoſum inſtituere certamen. Plurima alia, quæ in dicto Auctore continentur, evolvantur. Unicam adhuc addam; Memini mè à quodam viro doctiſſimo ac in ſcientiis Phyſicis exercitatiſſimo percepiſſe ex glacie in certam formam ac figuram redacta *Speculum Uſtorium* confici poſſe, quod mirandos in rerum accenſione, liquatione, edat effectus, nec id facilè, niſi diu ſolis radiis exponatur, liquefieri, ſed ſi mox iterum removeatur ac in loco perfrigido aſſervetur, aliquandiu à liquatione poſſe præcaveri.

Speculum uſtorium ex glacie.

Sed & hoc commodi Montes hi Glaciales afferre videntur, quatenus *Tempeſtatum præſagia* ex iis haberi poſſe, Incolæ pro verò aſſerunt, pro exemplo veritatem hanc confirmante, ſit Montis Uranienſis illius altiſſimi **Rinder Alp Stock** dicti, & in *Volle Ragazenſium* **Enckel Seiße** nuncupata, ad glaciei hujus inveteratæ mugitum atque boatum, Strepitum Æthneum imitantem certa tempeſtatis gravioris imminentis τεκμήρια, atque hariolationes deſumantur. Alto Silentio præterimus, quod accuratiores & acutiores in hiſce locis, vel ex coloris, ſive in albedinem, ſive in cœruleum, ſive rubrum, ſive alium immutatione nunc εὐδίαν, nunc triſtem tempeſtatem petunt.

Tempeſtatum præſagi ſunt.

Caput X.

Damna Montium Glacialium tradit.

Damna afferunt ob delapsum.

QUanta Alpicolæ inde *Damna* experiantur, satis superque Historiographi nostri annotarunt, quotidieque adhuc querelas movent. *Strabo* periculo plenorum horum Montium his verbis meminit. *Glaciales Crustæ supremæ, & quidem lubricæ illabentes universam occupant semitam, & in subjacentes extrudunt valles.* *Claudianus* etiam jam suo tempore damna sequentibus expressit versibus.

Interdum subitam glacie labente ruinam
Mons dedit, & trepidis fundamina subruit astris.

Munsteri Continuator Cosmogr. p. 689. irreparabile damnum recenset, quod Anno 1595. die 24. horâ secundâ pomeridianâ accedit; dum haud procul à *Monte S. Bernhardi*, olim *Jovis*, vel *Julii*, supra *S. Brancherium* Mons Glacialis sese divisit, ac in aquam seu flumen proximè præterfluens decidit, quæ ipsius ordinarium fluxum impedivit, & in *S Brancherio*, neque hominibus, pecudibus, domibus &c. pepercit, *Bani* Octoginta domos devastavit ac inundavit; *Martinaci*, Veterum *Octoduri*, ac in viis proxime sitis eandem injuriam attulit, quam jacturam hominum, pecudum &c. determinare certè ob maximam copiam nequiverunt, de quibus Auctor cit. consulatur. *Merian. Topograph. Helv. p. 26.* quod ab incremento magni Glacialis Montis in *Grindelia Sacellum Stæ Petronellæ*, quò peregrinationes religiosæ fuerint institutæ glacie tectum ac à loco repulsum fuerit, (ipse etiam locus hujus facti hoc ipso adhuc die digitis monstrari solet.) Nec minus & terram circumjacentem una cum arboribus, pratis amœnissimis ac casis vicinis removerint, ut Accolæ domicilia sua aliorsum transferre coacti fuerint. Non solum autem ab ipsa glacie ita irruente ac omnia cooperiente, sed & rigidissimis perpetuo ac quovis ferè anni tempore afflantibus Ventis, fructibus, frugibus, graminibus &c. maxima inferuntur damna, ut maturitatem justam attingere nequeant. Quantum *oculis* à multo & attento intuitu *obsint*, eorundemque aciem demant ac hebetent, adhuc *cutem*, *faciem* cumprimis per pustularum excitationem *devastent*, & Sole splendente à repercussione ipsius

Propter incrementum.

Frugium maturitatem impediunt.

Oculis & faciei exitiales sunt.

sius radiorum, quasi adustione, (quamvis alii nivi recenter delapsæ, non verò inveteratæ glaciei adscribant,) non solùm in me expertus sum, sed plurimorum Accolarum unanime suffragium ac relationem huc apponere non dubito. Ut porrò hujus glacici damna recensere pergam, Cl. *Dn. D. Muller. Eph. Germ. Cur. Dec. II. A. VI. Ob. CLI.* narrat Exemplum Monialis, quæ ex potu talis frigidæ *contractionem* & incurvationem *dorsi* experta sit. Maximè præterea hi Montes *Venatoribus*, & *Peregrinantibus* sunt exitiosi, qui facilè in vitæ suæ discrimina inducuntur, cùm primis si nive tecti, ac vento quodam vehementiore accedente, nivem conglomeratam in fissuras ac cavernas propellit, easdemque superficialiter solùm tegit, quæ omnem profunditatem mentiuntur, & eæ plane non animadvertuntur, transientes nihil mali quid sibi imaginantes in nivem adhuc laxam & nondum in glaciem concretam decidunt, ac inferiora petunt, itaque vitam misere finire, spiritumque efflare coguntur. Simile triste Exemplum nuper R. Dn. Pastor *Leonhardi* in literis cum Cl. Dn. D. *Scheuchzero* communicâvit. Cum enim Anno 1698. die 12. quidam Rupicapris strenue insidiatus, in tantam fissuram nive tectam, decem Orgyarum altam incidisset, vitam statim exspiravit, Sequenti die nonnulli vestigia ipsius in nive relicta insectantes, quæ ad modo dictam fissuram eos duxerunt, qui funibus aliisque machinis in eam sese dimittentes, ex aquis adhuc duas orgyas altis submersum, hamo extraxerunt. Eandem ferè historiam à. D. Ludovico Molitore Pastore in Schams participatam Dn. D. Scheuchzerus in sua στοιχειολογία *ad Helvetiam applicata Th. XX.* plurimis circumstantiis recenset. Qui ergò, Monente Simlero de Alp. Comment. p. 112. Iter per Alpes faciunt, peritos locorum, qui ipsis præeant, conducere solent, hi se fune cingunt, cui etiam aliquot ex his qui sequuntur se astringunt, qui verò præit longa pertica viam explorant, & diligenter in nivibus hiatus hos scrutatur, quod si forte imprudens in aliquem deciderit, à Sociis qui eo fune cincti sunt, sustinetur & extrahitur.

Venatoribus Peregrinantibus periculosi sunt.

Exemplum.

Quomodo hiatus evitanti sint?

Copiæ

Caput XI.

Montium Glacialium Loca nataliapatefacit.

UNicum inhabitationis locum horum Glacialium Montium constituimus; Cùm enim non omnis omnia ferat tellus, ac ab aliis in Septentrione, alibique sitis, ut in distinctione proposuimus, si fides Topographis ac Historiographis habenda differentia non pauci momenti intercedit, Helvetiam nimirum, in eaque montosam, collibus & vallibus consitam partem, Et quidem primo in Bernensium jurisdictione, inspecie Grindelia, cujusmodi Montes duo conspiciuntur, Prior ac minor ad Interlacum; Interlachen/ à superiore tendit inter duos Montes Eiger & Mentemberg situs, à tergo seu versus Meridiem Montem perpetua nive tectum, Finschhorn dictum, de quo infra, habet; Alter præ cæteris decantatus Mons ille Glaciatus κατ' ἐξοχήν der große Glentscher appellatus, Interstitia Montium Mentenberg & Schreckenhorn/Wetterhorn occupat, qui utrique ut supra jam innuimus per vallem Montis Mentenberg conjunguntur, & propriè hi duo unicum constituunt. De quibus Dn. D. *Wagner. Hist. Helv. Curios. p. 26.* & *Merian. Topogr. Helv. p. 26.* quandam mentionem fecerunt. Lateribus Montis Scheideck *Septentrionem* versus talis Glacialis Mons, minoris tamen considerationis affixus conspicitur. In eadem Regione Mons Benderen ejusmodi Monte gaudet. *Urania* primus ex tribus primis *Confœderatis Helvetiæ* locus, aliquot præaltis Montibus talibus Glacialibus superbit, maximè Wind-gällen/ puta, Rinder Alp-Stock/ Beistenberg & Göschener Alp. In vicinia Montes Ditlisburg & Surner-Alp/ ad Reverendiss. *Abbatem Montis Angelorum* pertinentes versus *Meridiem* ejusmodi ostentat, ut ex Cl. Dn. D. *Scheuchz.* fidelissima relatione percepimus. In *Valle* quadam *Ragaziensium* Enckel-Feiße dicta iidem videntur. *Rhetia* hisce Montibus refertissima, nec talibus glacialibus hospitibus in habitationem denegat; In *Engadina* magnus hujusmodi Mons Hettschiel appellatus, observatur. Montis *vertex Piz di Doan* continua glacie tectus præsertim pars ad *Septentrionem* sita, horrenda glacie obsita animadvertitur, è quo fluvius, Lacum alpinum *di Doan* constituens profluit. Ex communicatione Literarum Dn. D. *Piccenini* ad Dn. D. *Scheuchz.*

Observantur in Ditione Bernensi.

Uranienſi.

Rhetia.

Scheuchz: datarum; Porrò satis frequentes in Rheni valle, Test. Dn. D. Wagner l.c prope Taminum & daveisch: Excell. D.D. *Muralt in Act. Philos. Transact. Angl. Anno 1669. p. m. 250. Solii* præ Oculis semper versus Meridiem, ingentis molis ejusmodi glaciem inveteratam habent, quæ in *vallem Bondascham* nuncupatam sese dimittit. In monte Kibhalpen ejusdem generis Mons, minoris tamen altitudinis occurrit. Ad *Fontem Rheni posterioris* insignis magnitudinis est Mons, cujus latitudo unius, longitudo duarum leucarum, altitudo verò duarum vel trium Turrium altitudinem superat, ac sese ad pagum Augerthe / extendit Ex liter. D. Leonhardi, Ad Fines Helvetiorum, ac in *Ducatus Mediolanensis* principio Im Eschenthall / in Monte Grieß viatores ingentem talem Montem offendunt. Nulla temen Regio frequentiores. Montes Glaciales posidet, quàm *Vallesia* Vallis certe Auctore *Munst. L. C. p. 681.* omnium naturæ miraculorum fœcundissima, ac quasi compendium, nulli cedens; In superiore Vallesiæ parte prope Furcam ad Originem Rhodani fluminis talem præter Munstet. L.C. p. 691. & nos conspeximus. Inter eos tamen Sylvium Montem eminere annotat. Dn. D. Wagn. L. C. In Valle Augusta existentem describit Tschud Beschreibung Des Alp-Gebürgs *p. 52.* In ipso Montis Gemmi culmine, talem etiam contemplati sumus. *Munster. L. C. p. 683.* recenset magnum glacialem Montem den großen Glettscher und Arolla dictum non longè seduno distantem, per quem in Vallem Pœninam itur. Haud longè *Brigâ* Al. tsch Gle scher Alpicolis referentibus ad IV. &c. milliaria in longitudinem sese extendit. *Monti S. Bernhardi majori* sese etiam rigidas talis Mons associat, qui Anno 1595. tantâ damna intulit, ut ex Munstero supra jam indigitavimus. De Graiis Alpibus quæ hodie *S. Bernhardi Mons minor*, ad majoris modo recensiti distinctionem, dicitur, *Gaudentibus Merula* ita refert, *Vallesia.*

--- ---- Non verni temporis aura
Sed glacies concreta rigens, hyemisque pruinis
Totum ferre potest humeris minitantibus orbem.

Caput XII.

Circa Montes Glaciales occurrentia explanat.

Reperiuntur Rupicapræ.

QUid tandem circa eosdem observandum occurrat, breviter recensebimus: Alpicolis recensentibus sæpissimè *Rupicapræ*, imò & aliqando *Ibices* eos supersaltant, ac transgrediuntur, hyemali præsertim tempore, nive tectis eis existentibus, ea verò remota, resoluta ac cœrulescente eorum colore micante, cane pejus & angue tam ob fissuras profundissimas, quam summam eorum lubricitatem eos evitant, hinc à Venatoribus harum rerum gnaris, facilè in his Montibus capiuntur, vel glande plumbea trajiciuntur. Ibicum præsentiam non solùm in Vallesia haud rarò deprehensi, sed & cornu ejusdem animalis in supra nominato *Monte ad Originem Rheni posterioris* repertum, satis superque indicat; Scribente D. Past. Leonhard: In eorum vicinia. Mures alpini sua etiam quærunt domicilia. *Lagopi* frequenter & ibi capiuntur. In superiore *Vallesia*, *Fonti Rhodani* Mons ille glacialis magnum incrementum largitur. Hinc *Silius* ita fese de eo explicavit.

Ibices.

Mures alpini.

Lagopi.

Rhodani Origo.

Aggeribus caput alpinis, & nepe nivali
Prosilit . . . . . .

Crystallorum proventus.

Circa ipsorum pedes ac Montes proximè positas Crystallos magno labore Incolæ effodiunt.

Fragorum copia.

Plantas, aliaque quæ circa eos occurrunt studio prætermimus nec nostri instituti ratio id exigit. Fraga solùm excipio, quæ circa Montes Glaciales in Grindelia ita feliciter & copiosè proveniunt, ut absque summa admiratione ipsa minime contemplari licitum fuerit, una manu glacies frigidissima tangitur, altera suavissima fraga decerpuntur. Ea ulterius quæ proprie in vel ex iis consideranda veniunt, indagabimus. In Grindelia Monte glaciali minore, est Petra seu Mons Finschhorn dictus, quem etiam vulgus Gletscher vocare solet, in quo Teste R. D. Hallero, Loci Pastore vigil: Foramen animadvertitur, per quod *Mense Februario die 5. St. V. Festo Ste Agatæ Sol* exacte circa *Meridiem* transit, & in, *Vallesiam* usque pertingit: Phænomen hocce unico loco, scilicet prope Templum *Grindeliæ* conspicitur hinc Templa

Foramen in Monte Finschhorn dicto.

Haßlet

Haßle/ Grindel-Wald & Finsch in Vallesia exactè in linea recta posita esse, & sibi correspondere, observant. Idem Foramen H. Rudolff Stebmann Poetisch Gastmahl p. 201. recenset, quod tamen male Monti Eyger / adscribit, cum ipse, Monti Finschhorn dicto, proprium id esse animadverterim.

Circa eundem Montem, seu potius ex eo, Flumen aliquod statis ac certis periodicis temporibus effluit, quod ob ipsius incertitudinem seu potius inconstantiam Alpicolæ Lugenbach/ quasi *Torrentem Mendacem* appellant, nonnunquam enim plane exsiccatur, mox iterum copiosissimam fundit aquam, nulla tamen exacta temporis ratione habita, hyeme plane fluere cessat, & sicco pede transiri potest. Cujus causam, modo Laudatus D. Pastor Haller, dedit; Quod sub terra ex qua prodit, receptaculum, vel vas quasi aliquod mobile lapideum sit, quod temporis successu ita fuerit formatum, *Torrens Mendax.* J. Lugenbach *Quenam ipsius Ratio?*

Gutta cavat lapidem, non vi sed sæpe cadendo.

Quod si Aqua ex Montibus Glacialibus soluta huc deferatur, ibi colligatur, ac vas illud repleatur, versus anteriora sese movere, inclinare, aquamque effundere, evacuatum vero recurrere, ac ad justum æquilibrum revocari, aquæ hinc effluxum desistere & quiescere, usque dum iterum repletum fuerit; hoc Phænomenon repetitis observant vicibus. Rationem hanc Fonti temperario decantato in Monte Engstlen etiam applicat, eundemque eandem agnoscere causam putat, quam verò suo loco relinquimus, materiamque ulteriore inquisitione dignissimam esse censemus. Alias de Fontibus hisce temporariis ac Periodicis doctè ac diffuse *Athanas. Kirch. Mund. Subterran: T. I. L. V.* egit, rationesve latis probabiles adduxit.

Ex majore Monte impetuosissimus Torrens, & quasi Catarrhacta æstate semper, cùmprimis circa vesperam die continuato calore, prodit, qui pro Fluminis Glitsch / forsan quasi à Glacialibus deveniat Montibus, dicti, incremento, non ultimum tenet locum.

Sed vela contrahamus; Hactenus ex tot tantisque Montium Helveticorum Alpinorum miraculis Montes Glaciales in medium protulisse, sufficiat. Quod si B. L. specimen hoc, ad gustum fuisse, frigida hæc palato arrisisse sitimque extinxisse vel saltem refelliss. percepero, alia fortè graviora, DEO porrò vires & animum conservante videbit. In his verò ἐν τῷ τῶν Candidum Lectorem τὰ παρόντα σέβε jubeo.

ANATOMIA CEREBRI,

MECHANICAM HUJUS ATQUE

PHYSIOLOGIAM

COMPREHENDENS

UNA CUM NOVIS INVENTIS ATQUE VETERUM

ET

MODERNORUM AUTHORUM CIRCA IDEM SUBJECTUM EMENDATIONIBUS

ANGLICO IDIOMATE

EXHIBITA

Ab

H. RIDLEY COLL. MED. LOND. SOCIO & LATINITATE DONATA

a

MICHAELE ERNESTO ETTMULLERO,

M. F.

Philos. & Medic. Doctore, hujusque Professore Publico Extraordinario in Academia Lipsiensi & Academiæ Naturæ Curiosorum Collega,

De

ALEXIA.

EX

EX TRANSACTIS PHILOSOPHICIS ANGLICIS.

Anno 1703. Num. 287. pag. 1480.

Experimentum Anatomicum ad veram Duræ Matris motûs causam detegendam institutum ab H. Ridley. *M. D. & Reg. Coll. Medic. Lond. Socio. Septembr. 20. 1703.*

CUm novam plane, & ab ea, quam olim in *Anatomia mea de Cerebro cap 6.* evulgata protuleram, alienam, de Motu illo duræ Matris reciproco, qui in Vulneribus cerebri vel in animalium vivorum sectione visui se offert, à *Clariss. Viro, Domino Georgio Baglivo Theor. in Roman. Archi Lyceo Professore* excogitatam in *Specimine suo quatuor Librorum de Fibra Motrice* edito sententiam nuper legerim; mearum partium esse duxi, (nullo prorsus ad consectaria illa, quæ illius hypothesi nitantur, respectu habito, quæ adhuc forsan, licet aliunde quam à se ipsa, uti in sequentibus innuiturus sum, motum suum membrana hæc mutuetur, veritate sua gaudeant,) ut eorum gratia, qui hactenus sententiæ meæ acquieverunt, denuo, quod super hac re statuissem, ad examen revocarem; eo scilicet fine, ut eos vel ab errore, in quem culpa mea incidissent, extricarem, vel ab aliorum præmunirem.

Quid igitur hic statuit Cl. præfatus Vir, videre est, præterquam in pluribus aliis libri sui locis pag. 20. ubi hæc sunt: *Quo puero viso, statim suspicari cœpimus, quod dura Mater fortes eos atque ordinatos motus non effecerit per arterias, quæ in ipsa disseminatæ sunt, verum per suam præcipuam texturam. quæ cum textura cordis æmulatione contendit*: uti etiam paulo supra *Cor Cerebri* eam vocat: Postea pag. 29 sequentia: *Quare causa pulsus Duræ Matris in tota ejus mole & propria ejus substantia est, nec ab extra quæsita.*

Quid ego qua authoritate, & quo experimento suffultus, in sequentibus è vernaculo sermone, quo liber meus prodiit, transscriptis capite prædicto.

Hisce sinubus è Veteribus plurimi, ut etiam è Recentioribus aliquot, speciatim Clarissimus Willisius & Vieussenius systolen more arteriarum à quibusdam, ut senserunt, arteriis in iis terminantibus oriundam attribuere. Cum autem de horum assertione aliquantulum ambigebam, experimento sequenti, quo controversiæ finem imponerem, usus sum. Ligato apteque composito cane & portione quadam cranii ejus sublata; nullam omnium oculis conspicere potuimus vel duræ matris, vel ejus sinus longitudinalis pulsationem; Postea vero tantilla mora injecta è prædicto sinu fortuito ferri candentis usibus aliis destinati occursu disrupto, violenta sanguinis insequenti effusione, non nisi post insignem vasorum depletionem salienter profluxit sanguis cum pulsu istius sinus totiusque membranæ sat notabili. Sinum hunc per totam ejus longitudinem dissecui, (irrito licet prorsus conatu,) quo forsan ex salienti rivo cruoris aliquarum arteriarum insertionem (quarum plures juxta Vieussenium & ante illum à doctissimo Wepfero illi insertas fuisse per autopsiam dicebantur) internoscerem.

Hinc satis constare videtur, contra Clar. Bourdon, nullum alium sinubus his motum competere, præter eum, qui iis pariter ac duræ Matri ab arteris per totum cerebrum dispersis (coadjuvantibus, ut ego existimo, quadam sympraxi, iis, quæ per membranam ipsam ramificantur) *communicari solet;* uti olim peritissimus *Fullopius & Volcherus Coiter* & alii statuerunt.

Hanc igitur sententiam meam, quo vel adhuc amplectar, vel deseram, (nudam enim solum veritatem veneror,) ulterioris scrutinii ergo experimentum sequens institui.

Canis superiori parte bregmatis terebrata membranam duram non sine aliqua sanguinis jactura denudavi. Statim prius linteis carptis cohibita hæmorrhagia, ablutaque sanguinis aspergine, apparebat membranæ istius ejusque sinus longitudinalis, qui per marginem foraminis decurrebat, motus systalticus cordis vibrationis, quæ citatior ordinario erat, æmulus, ejue rhithmo ad amussim respondens.

Hanc mecum adstantes vibrationem per spatium unius horæ quadrantis conspexerunt, quo elapso eam hamulo acuto prehendere tentabam, ut ita ea super ipsum susperſa & cultro divisa cerebri subtus motum satius expiscarer, & ediscerem: facta autem ejus per foratione (quam acute canis persentiscere videbatur,) cujusvis autem convulsionis expers, insecuta est hæmorrhagia, ut prius, brevique similiter restricta.

Eloto

Eloto sanguine, particulari isto foramine à punctura hamuli in membrana facto, comparuit cerebri motus systalticus, parum id sanguinis qui in eo hærebat, extus propellens.

Postea cuspide forficis obtuso caute in aperturam membranæ vulneratæ immissa eam transversim parte ejus à sinus longitudinalis transitu maxime remota dissecui, quo facto se protrusit cerebrum, pia Matre tectum per istam aperturam, adhuc manente motu ejus ad tactum satis forti, licet membrana ipsa ob vim restitutivam suarum fibrarum à plaga accepta diminutam ad oculos obscurius vibrari videbatur.

Toto hoc tempore vegetus erat canis, levibus tantum tremoribus cum quodam horrore per universum corpus affectus.

Post horas aliquot hisce observandis transactas, quo tempore variis modis excruciatum fuisset animal, multumque sanguinis effudisset, tandem ut omnem vim pulsificam, quæ vel huic membranæ inesse, vel ei alinnde donari supponi potest, ratione fibrarum suarum, quarum in capite primo libri supra citati descriptionem fidelem cum earum varia propagatione & usu dedi, quarum & beneficio motum primo à cerebro sibi impressum validus absolvit, adimerem, guttulas aliquot olei Vitrioli, unde nigro tingebatur colore, in eam leniter illinebam; Hinc nulla, saltem exigua & obscura ejus perrepta est vibratio; non obstante autem hac ejus ad impulsum cerebri obsequendum ineptitudine, admoto digito satis distinctus cerebri pulsus sentiebatur.

Peractis his, adhuc alacri manente cane, cum cultri mucronem ad unius unciæ crassitiem in cerebri molem intrudissem, vehementer se agitabat canis, & in horribiles corporis jactationes & pedum anteriorum & posteriorum convulsiones incidebat, quo tempore immisso ut prius in aperturam præfatam digito, fortius se movebat cerebrum, quam antea: postea specillum profundius adigebam, unde sensus dolorifici indicia maxima dedit; tandem cultro integro usque ad latus cranii oppositum trajecto horrendi exoriebantur spasmi; & jam quo omnis de cerebri motu dubitatio amoveretur, digitis nostris tum ego, tum adstantes pari modo, quo alias indentes, systolen, diastolenque ejus cum maximo renixu factam persensimus. Quid amplius ad veram genuinamque motus hujus partis causam proximam eruendam detegendamque desiderari potest, non video, modo ad phænomena in hoc experimento occurrentia, quæ omnia absque

que ullo succo, ut naturalitet se habebant, coram testibus omni fide majoribus fideliter enarravimus, sedulo attendatur.

Ceterum ne desint aliorum authoritates, inter plurimas, quæ lucem aspexerunt, observationes sequentem instar omnium juvat hic annectere extantem in Miscell. Curios. German. Dec. II. Ann. IV. Observ. 129. à Theod. Moeren, quæ sic se habet: *Grandis hæc contusio & duram Matrem piamque membranam ruperat, ipsamque Cerebri substantiam confuderat, & sanguis se ipsis cerebri glanduloſis cavitatibus inseruerat, quem stylo adaptato bombycino flore suaviter exsuximus, vulnereque depurato debitis medicamentis extra intraque adhibitis caput ligamentis involvimus.*

Indies æstimavimus mirandum, protuberabat enim continuo suo pulsu cerebri substantia utut fungosa, quæ sui causæ ablationem indies duplicatis etiam vicibus requirebat, ubi apto licet forfice non potuimus cavere, quin non quandoque hæmorrhagiam causaremus, quæ cogeret, ut stylo etiam ad ipsos oculi tubos descendente sanguinem à cerebri cavernis purgaremus, graviora sui alias stagnatione symptomata causaturum.

Huic mihi olim conformem vidisse contigit, cujus ad multos dies quotidie tractationem à Chirurgo peritissimo cum singulis, quæ notæ rarioris occurrebant, symptomatis speciatim & fideliter calamo exaratam adhuc servo.

Quod spectat ad hujus membranæ officium, ei à Clariss. Viro assignatum, quo scilicet strictius compresso cerebri Cortice copiosius gignantur, dispensenturque spiritus animales ad nervosas integri corporis partes, Primo animadverti velim, quam profusa sobole arteriæ carotides, cum cerebrum appellant, per singulas ejus partes tum medullosas, tum corticales propagantur, ita ut juxta oculatissimum Malpighium tertiam ad cœteras omnes in toto corpore proportionem gerere judicentur, quam egomet assertionem cum eas, postquam primum ceram rubram in cœteras etiam universi corporis injeciſſem, ea repletas contemplatus essem, haud longe à vero abfuisse judicabam.

Secundo, Medullæ spinalis (ubi etiam spirituum animalium generationem tum dispensationem continuam dari, necesse est, ut concedamus,) corticis inversum prorsus situm, cum scilicet ille, intus est & pars medullosa, ubi egrediuntur nervi, extus; applicatio per se patet.

Hæc

Hæc pauca habui ad quorundam doctorum Virorum olim sententiam traditam stabiliendam, & cui me cogit experimentum olim factum etiam & supra recitatum dare suffragium, & cujus gratia solum hoc novum insuper adjeci, quæ qualia qualia sunt, animo ab omni invidia, contradicendi studio, seu æmulatione libero publici juris esse volui.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

EA ipsa ratio, quæ maximâ vi pollere initio videbatur absterrendi me à proposito, quod circa hoc subjectum in sequentibus plagulis suscepturus eram, (quod scilicet hoc duo tam clari Viri, defunctus *Willisius*, & superstes adhuc *Vieussenius*, tractare jam ausi fuerint) maximè deinceps ad idem prosequendum me incitabat. Videbam enim, quòd, quamcunque etiam peritiam & industriam circa hoc subjectum adhibuerint, multa tamen residua sint, quæ ab illis non detecta fuerunt tàm ratione apparatûs, quem natura ad formandas partes suppeditare solet, quàm ratione ordinis, quô singula singulis ad conservationem totius suam adferunt symbolam.

Certior hâc de re factus, postquam per aliquot tempus dissectiones frequentiùs adornassem, animum induxi, accuratiori scrutinio plura in lucem producere, quæ hactenùs in tenebris adhuc latitârunt; ac eò majori cum ardore eum suscepi conatum, quò certiùs credebam, consultius esse meum talentum operi tàm feliciter jam inchoato, & tàm egregiè continuato, perficiendo tribuere, quàm circa aliud thema glaciem frangere, (quod commune fatum est prioris conatus.) Quô cum successu hoc peregerim, Lector judicabit.

Circa partium descriptionem nihil adduxi, nisi materiam facti, & maximam adhibui curam, ne mihimet ipsi imponerem experimentis dubiorum meorum gratiâ institutis. Horum quædam facta sunt in subjectis sanis, quædam in morbosis, quædam violentâ morte interemtis; & in his ultimis quidem vel fluida naturalia in propriis adhuc vasis, præternaturaliter licet propter strangulationem, continebantur, vel in eorum locum alia fluida injiciebantur, e. g. cera colorata & ℔., quorum illa ratione consistentiæ potissimùm, hic ratione permanentis naturæ & coloris multum ad oculis sistendum minu-

tissimas ramificationes vasorum & secretissimos recessus naturæ facere solet.

Propter variam hanc subjectorum dispositionem, difficile admodùm erat veritatem cognoscere, cùm quædam quandoque in hôc statu evidenter apparerent, quæ in aliô vel penitus abscondita erant, vel aliter modificata videbantur.

Figuræ delineatæ sunt opera Exacti Anatomici, *Cowperi*, Chirurgi, cujus magna dissecandi peritia sibimet tàm ipsi, quàm amicis ejus maximoperè prodest; & quàm exactè sint expressæ eædem, reInquo justissimæ censuræ eorum, qui eas cum partibus ipsis comparare non gravabuntur.

Quæ dixi circa Physiologiam, quoad Nutritionem & Motum muscularem, ea dependent ex observationibus Microscopicis.

Et quanquàm postulatum, à quô utraque dependet functio ad primum intuitum minùs forsan arrideret, certus tamen sum majorem applausum hoc meriturum apud illos, quos non latet, quæ de compage vasculari plantarum à *Malpighio* & *Grevv*, & de quibusdam aliis subjectis à *Levvenhoeck* notata sunt.

Sed ut finem faciam, fateor, me magis confirmatum esse in hac sententia, postquam quædam loca in Operibus Eruditissimorum Micrographicorum, D. *Povver* & *Hoocke*, rem hanc concernentia offenderam, apud quem ultimum modus solvendi tritum phœnomenon plantæ, ad levem tactum objectorum externorum se contrahentis, æque ac ratio hujus actionis eadem sunt, quæ hic pro postulato assumsimus, cui, quicquid de Motu musculari diximus, superstruitur; quanquàm insimul me non lateat, illud non ita applicatum esse dictô in locô ab Authore, cujus opinio circa motum muscularem (quæ eadem est cum *D. Mayovv* inferiùs alleganda) penitus diversa est à mea, dum eum comparat cum hygrometris naturalibus, barbis avenæ sylvestris, omnibus geranii speciebus, & intestinis felium, quorum corporum varias tempestatum mutationes pro majori vel minori sui distorsione indicantium actioni similem declarat Motum muscularem.

Citavi Authores non ostentationis gratia, sed tam ut veram eorum opinionem confirmem, aut errores detegam, adeoque dum Scripta eorum legimus, cauti evadamus in fide ipsis adscribenda, quàm ut memores simus, dum aliquid invenimus in Antecessorum lucubrationibus, quod ad scopum nostrum pertinet, idem nobis incumbere munus peragendi aliquid in gratiam eorum, qui nos sequentur.

IN-

INTRODUCTIO.

QUôcunque etiam modô controversia se habeat, quæ inter Eruditos circa Methodum & ordinem tractatur, quem Natura in formandis diversis animalium partibus usurpat; siquidem quod inprimis temporis prærogativam attinet, quidam rudimentorum delineationem sivè præexistentiam totius supponunt; (quæ tamen opinio, ut ingeniosissimus *Brunnerus* probè observavit, necessariò actualem existentiam totius omninò generis humani vel in testiculis seu ovariô Evæ, juxta eruditissimum *Harveum*, *Malpighium*, *Swammerdam* &c. vel in testiculis Adami, juxta *Levvenhoeck*, Dr. *Garden* aliosque, concedit; ac proindè extinctionem ejusdem progeniei, quam primùm numerus horum germinum humanorum vel animalculorum sit exhaustus, statuit,) quidam verò gradualem & successivam partium formationem per motum intestinum ab imprægnationis tempore per materiam subtilem in ovi cicatriculâ contentam excitatum adstruunt, non tamen arbitrum me harum sententiarum offerre volo, siquidem elegantia structuræ & dignitas functionum sufficienter uni præ altera prærogativam concedit, & peculiari consideratione dignam reddit. Atque hanc partem puto esse Cerebrum, cujus teneritas tanta est, ut divino suo Authori non parum similis, quanquàm ad detegendas alias res magnum nobis affundat lumen, ipsa tamen plurimùm in tenebris lateat. Et quoniam omnis illa scientia mystica, quæ quondam oculis saltem vulgi apparebat non nisi necromantica & magica, æque ac omnia, quæ modernô Seculô circa totam naturæ substantiam inventa & detecta, nunc sub magis familiari & proprio sententiæ purificatæ vel Philosophiæ nomine veniunt, solummodô magis accuratæ partium materiæque hac vel illa ratione modificatæ investigationi in acceptum sunt referenda; non magis conformem deprehendo viam inquirendi difficultates, quæ adhuc circa unum alterumvè subjectum particulare restant, quam eam, qua instituto ulteriori & accuratiori scrutinio res investigatur per talia media & experimenta, quæ minutissimas partes & texturas sensibus exponunt, quibus adjuti eadem, quæ vitrorum alias artificialium

ope, præstare valemus; Sic enim objecta & judicium tàm propinqua sibi sistuntur, ut primæ catenæ fibulæ conspici & mechanicæ actiones naturæ, quæ intellectum ad inveniendas & assignandas effectibus certas causas egregiè instruunt, magis obviæ & intelligibiles evadant. Tractabo itaque nobilem hanc partem juxta modò dictam methodum eâ, quâ possum industria, relictis invisibilibus & propemodùm divinis corporibus, Spiritibus animalibus, ulteriori & prolixiori examini magis illuminatorum Philosophorum, qui occlusis oculis meliùs vident, modò inquisiturus & descripturus ea, quæcunque circa hoc subjectum mediante sectione se nostris sensibus offerunt.

CAPUT I.

De Anatomia Cerebri.

SUperiore cranii hæmisphæriô remotô Dura Mater inter Cerebri partes primùm conspiciendam se præbet; quæ unà cum subjacente Pia Matre minùs propriè ad Cerebri strictè sic dicti partes refertur, quanquàm non exilia sint commoda, quibus se illi utræque commendant.

Dura Mater *Spigeliô* aliisque Anatomicis non immeritò pro crassissima ac duriſſima totius corporis membrana habita, integrum Cerebrum proprio significatu ita appellatum paulò laxiùs involvit, basi cranii usque adeò affixa, ut vix indè separari queat, summitati verò, & lateribus ejus propè futuras coronalem, sagittalem, & lambdoideam per sinus, quorum descriptionem inferiùs tradam, satis firmiter cohærens.

In Cranio superiore Dura Mater ossibus bregmatis, ad latera futuræ sagittalis vel verticis sitis, non cohæret; licèt contrarium asserat *van Boonbuysen in literis ad du Foy datis pag. 149.* eamque ob causam trepanum & triploidem applicare dubitet, ac Decussorium admovere prohibeat; quod Chirurgi longâ experientia edocti in diversis cerebri affectibus ad materiam sub cranii fracturis cumulatam eliminandam non rarò in usum vocant.

Duplicatura ejus ad oculum patet, ut *Columbus pag. 348.* & plerique alii olim, ac non ita pridem *Vieussenius pag. 3.* observarunt: fi-

bræ-

bræ satis validæ & amplæ, quæ interiora spectant; sed exiles valdè, vixque conspicuæ sunt, quæ cranium respiciunt; prout mihi apparebant, postquàm membranam ad breve tempus in bullientem aut calidissimam aquam immerseram.

Quod verò attinet distributionem duplicis generis fibrarum, quæ in utrâque hujus membranæ laminâ decurrunt, nunquàm talem earum tractum invenire mihi licuit, qualem *Vieussenius* descripsit; quasi tàm externè à parte anteriore ad posteriorem, quam internè à posteriore ad anteriorem oblique in hemicycli figuram abirent; quin potiùs advertere contigerit, fibras internas, quas validas dixi, triplicem nancisci à processus falcati superficie originem, à parte scilicet hujus antica, postica, & media; ita quidem, ut, quæ ab antica oriuntur, incurvatæ versus regionem posticam abeant, & dimidiam juxta longitudinem viam emensæ in duram Matrem largè extendantur; quæ verò à postica propullulant, eundem sequantur tractum versus regionem anticam, ea tamen cum differentia, quod magnus earum numerus statim ab exortu suo per viam semicircularem reflectatur, ad eundem processum, haud procul à principiô fibrarum mediarum, mox commemorandarum; reliquæ verò ampliore formato arcu per duram Matrem latiùs expansæ recurrant, & in falcem paulò supra mediæ fibrarum seriei exortum terminentur.

Quæ ex mediô falcis exsurgunt, versus regionem posticam tendunt, minùs tamen incurvantur, quàm reliquæ, & eundem terminum, ac fibræ à parte posticâ ortæ, ad aliquod intervallum à processu, quem format interior duræ Matris superficies, nanciscuntur.

In latere externo, seu secundâ duræ Matris lamina, fibræ valdè exiles & obscuræ ex postica ad anticam regionem vergunt.

Præter has non minùs notatu dignæ occurrunt fibræ in falce ipsâ, duplicem tractuum seriem formantes; quarum una ad dimidiam circiter longitudinem rectà versus superiora à regione antica ad posticam ascendit, altera transversim ab inferiore seu quinto ad superiorem seu tertium sinum circa partem posteriorem processus decurrit; hæcque magis conspicua est hoc in loco, quàm altera circa partem suam anteriorem.

Ad usum harum fibrarum quod attinet, in memoriam revocemus, necesse est, membranam istam ex duabus laminis esse coagmentatam, inter quas venæ residuum sanguinem ab arteriis, integrum Cerebrum eò prospicientibus, reducentes, in amplos priùs

abeunt truncos, Ureterum instar vesicam intrantium, quàm in Sinus desinant; ita ut fibrosa hujus membranæ textura, vasis sanguineis, hic loci existentibus amplissimis, pondus suffulciat- sanguinis ascensum promoveat & munus obeat valvularum, ad quod curvus venarum in sinus introitus erectum potissimum corpore situm obtinente, suam symbolam concedit. Quod si enim, quod maximè hic notandum venit, interior hæc lamina, inferiorem & lateralem sinûs partem formans, non aliundè additicium aliquod robur in hôc latere nacta fuisset, quale in altero cohæsioni cum cranio in acceptum refert, certè sanguis continuo ductu & summâ velocitate per eam currens, potissimùm si copia & ebulitione p. n. peccet, latera frequentiùs disrumperet, aut eum in modum distenderet, ut periculum huic parti sensu tàm exquisitô præditæ non spernendum immineret. Quanquàm igitur natura duplex hoc munimentum ejusmodi injuriis præcavendis per transversa ligamenta intra sinus, & per dictas validas numerosasque fibras extra eos opposuerit; nihilominùs tamen rarò aperui corpus fune peremptum, in quô talem vel rupturam vel saltem distensionem non observaverim.

Membrana hæc magnâ nervorum à primo paris quinti ramô derivatorum copiâ, hincque exquisito sensu donata est, undè fit, ut, sanguine vel crasi vel motu peccante, pariter afficiatur eadem. Et quemadmodum in statu naturali variæ fibrarum distributioni debetur, quod vasa sanguine turgida & intra membranæ hujus laminas, decurrentia ad promovendum eò commodiùs laticis hujus circulationem subsiliant, seu pulsum edant; ita in statu p. n. easdem fibras spasmô tentari non dubito, undè motus sanguinis usque adeô sufflaminatur, ut in quâdam Cephalalgiæ specie, quæ à nimiâ sanguinis copia, & potissimùm, quæ à vaporibus sic dictis, vel convulsivis partium nervosarum motibus oritur, constans faciei rubor, cum oculorum torvitate & dolore conjunctus notetur, id quod procul dubio ab humoribus lentè nimis ad vasa reductoria seu sinus refluentibus, & hiscé in locis aliquatenùs stagnantibus est deducendum. Et ab hoc p. n sinuum statu alia pariter Cerebri symptomata dependent, non autem ab irregulari Systole & Diastole membranæ ipsius vel convulsæ, vel paralysi affectæ, quod *D. Mayovv*, curiosis clarus speculationibus *Tract. IV. pag. 49.* statuit, siquidem nulla unquàm sectio in animali vivo adornata talismodi sententiæ authoritatem conciliavit.

Duos

Duos habet membrana processus, quorum prior oritur à parte ossis Ethmoidei, Crista galli appellata, & hinc usque ad concursum quatuor majorum sinuum, Torcular Herophili communiter dictum, retrò extenditur, & ob figuram, quam describit, Falx nuncupatur. Cerebrum hæc in naturali conformatione suspensum servat, intervenìente connexione, quam mediantibus quibusdam membranaceis fibris cum craniò sub futuris, & ope piæ Matris cum Cerebro habet. Piæ enim Matri conjungitur non solùm per ampla vasa sanguifera, exindè ad sinus longitudinalem & laterales protensa, & per certas adnascentias carnosas; (videlicet ubi inter duo hæmisphæria Cerebri descendit, & ad dorsum corporis calloši, super quod membrana hæc laxè expanditur, appropinquat,) verùm etiam per continuitatem membranosæ suæ substantiæ & per ramificationes vasorum sanguineorum, in sinum quintum ad processus fundum se insinuantium; ita ut aliquandò in Cerebro morboso falcem ad pollicis longitudinem à dicto Corpore calloso in modum subtilis membranosæ productionis ad quintum usque sinum pertingentis retractam conspexerim. Hinc apparet, non necesse esse, ut fornicem, Veteribus dictum, vel corpus callosum cum *Vieussenio* tanquàm Cerebri fulcimentum respiciamus.

Prætereà defendit etiam hic processus Cerebellum cohæsione suâ cum Crysta galli contra compressionem: quam pariter injuriam arcet à duobus ejus hæmisphæriis, hæc ad quemvis corporis situm, ut in somno &c. à se invicem disjungendo; atque hanc ob causam quædam Creaturæ, ut vituli, oves, &c. eo carent, utpotè quæ non solùm parùm dormiunt, sed vel maximè dormientes caput plerumque pronum servant.

Alter processus oritur tàm ab anteriore, quàm posteriore processu ossis Cuneiformis, quod posteriorem & superiorem sellæ equinæ partem constituit; elevatur hic inter Cerebrum & Cerebellum, ubique adhærens internis ossis petrosi eminentiis versus sinus laterales; quò pacto non solùm immediatè Cerebellum, ut hactenùs observatum fuit, sed per consequens etiam omnes partes intra Sinum quartum seu Glandulam pinealem & ultimum foramen Cranii comprehensas, ut caudicem medullarem cum suis appendicibus, nativus & testibus, (quò supra medullam oblongatam collocatæ Isthmi speciem inter Cerebrum & Cerebellum constituunt,) quin & nervos per

fora,

foramen egredientes defendit, quò minùs à posterioribus Cerebri tractibus comprimantur.

CAPUT II.

De Piâ Matre.

SEcundum Integumentum Cerebri, Pia vel tenuis Mater communiter appellatum, *Galeno* & aliis quibusdam Choroides audit, à similitudine, quam non minùs ratione substantiæ, quàm ramificationis vasorum sanguineorum cum membrana Secundinarum, Chorion dicta, habet; quæ denominandi ratio majorem præ se fert speciem, quàm qualem allegat *Vesalius*, quasi plexus choroideus ad eam accederet. Hoc omnibus Veteribus pro simplici & secundo Cerebri involucro habebatur; cum sit membrana valdè tenuis & pellucida cum Cerebro coëxtensa; Cingit enim hoc non tantùm in superficie, sed etiam in texturâ ipsius interiore per omnes plicas, interstitia & cavitates explicatur, imò corpus callosum laxius, magnò licet *Vesaliô Lib. VII. cap.* 3. contrarium affirmante, attingere observatum fuit. In ultimô cadavere, quod mihi suppetebat, cum, superiorem Cerebri partem ad ventriculos usque laterales remoturus, cultro hanc membranam casu dissecarem; demonstrandi eam mihi dabatur occasio in hisce ventriculis, tanquàm ampliſſimam totius corporis membranam, licet *Molinettus Dissert. Anatom. & Pathol. Cap. 17. p. 78.* omnes eos, qui tale quid invenisse se jactitant, falsè rideat; In conspectum tamen venit vel in corporibus recentibus, vel talibus, in quibus ante mortem serum extravasatum fuit, ut in hydrope, Ischuria, quâdam Apoplexiæ specie &c. Deficientibus tamen aliis occasionibus hâc methodô optimè detegitur hoc integumentum, si septum lucidum circa suam originem, videlicet propè Fornicem, à cujus duabus radicibus, ubi medulla Cerebri ad corpora striata accedit, propullulat, separetur. Ab hôc enim locô, ubi retrocedit versùs posteriores Cerebri tractus, ad dimidiam circiter cursûs sui viam concavum evadit; mihi tamen duplicatura esse videtur aliquatenùs medullosa, hincque ratione suæ diaphaneitatis nomen Septi lucidi nacta.

Opinioni huic Veterum, membranam hanc simplex & secundum Cere-

Cerebri Integumentum esse, perhibentium, tanquàm veræ unanimiter subscripserunt duo ultimi eruditissimi & curiosissimi Anatomici, *Willisius* & *Vieussenius*, unà cum omnibus modernis Authoribus, exceptis *Bidloo Tab. VIII. Fig. 5.* & *Bohnio*, *Circ. Anatomico-Physiolog. Progymn. XXI. pag. 333.* qui aliud membranosum Cerebri Integumentum inter externam duram & internam piam Matrem interjacens, ille quidem tres horas, hic quindecim dies post mortem se conspexisse asserunt, illudque pro origine secundi proprii Integumenti Spinalis medullæ habent, quod à *Tulpio Cent. 1. Observ. 29.* primùm detectum, à *Vieussenio Nevrograph. universf. Lib. II. Cap. I. pag. 143.* piæ Matris duplicatura hâc tantummodò in parte esse creditur.

Jam, dari mediam quandam membranam, in quibusdam Cerebri locis, potissimùm circa basin Cerebelli & indè ad medullam spinalem pro secundò ejus formandò propriò integumento, (ut modò diximus,) dudum jam observaveram; Verùm num hæc membrana ab alterâ subjacente, quæ propriè à dictis Authoribus Pia Mater vocatur & Spinali medullæ cum Cerebrò ipsò communis est, reverà distincta, an verò una eademque membrana duplex, ex duabus consistens laminis, sit, valdè abiguum est.

Huic itaque satisfacturus dubio, scrutinium nuper institui summa industria in subjectò decidendæ talismodi controversiæ valdè aptò, in Cerebrò scilicet humanò summè hydropicò, in quò ne minima conspiciebatur cavitas vel interstitium, quod non aquam extravasatam abundè contineret; ita ut ubicunque in statu naturali paulò amplior, quàm ordinariò esse solet, deprehendebatur hujus membranæ duplicatura, e. g. in fine calami scriptorii, inter Cerebellum medullam spinalem, in Isthmo seu spatio, inter Cerebrum, super processus, Nates & Testes vocatos, ut & in parte depressa Cerebri exortum processus annularis & primam apparitionem seu exitum nervorum olfactoriorum, à *Vesalio Lib. VII. cap 13.* commemoratum & processum piæ Matris nuncupatum; magna aquæ copia reperiretur duplicaturam ejus supra naturales limites distendentis; Quod si igitur hæ cavitates essent solummodò interstitia duarum diversarum membranarum, distinctè Cerebrum investientium, non autem unius ejusdemque membranæ duplicatura; aqua certè se probabiliter insinuasset inter eas, & aliam produxisset formam, quam tùm præsentabat; quemadmodùm videre est in quibusdam abdominis hydropibus, ubi aqua duplicem quandoque membranam peritonei adeò divisit, ut

centum & viginti libras aquæ continuerit ; quæ postquàm, dissectâ primâ laminâ, post mortem fuerat exhausta, alterâ illæsâ, Spectatores ad primum intuitum, & inter hos etiam sagacissimi crediderunt, deesse interna partis hujus viscera, donec re accuratiùs pensitatâ alteram pariter dissecuerint laminam ; vid. *Job van Meeckern Observat. 49.* Jam verò contrarium in hóc subjectô reperi ; membrana enim erat integra, & ab omni divisione per totam circumferentiam libera, exceptis locis superiùs commemoratis. Nihilominùs eandem hujus cum aliarum partium membranis conformationem supponens, eam dividere conabar, idque non sine successu in diversis ejus locis, maximè verò circa initium plicarum superficialium in cortice Cerebri, ubi exilia quædam naturaliter relinquuntur interstitia, inter quæ vasa sanguifera prorepunt & in corticales & medullares partes immerguntur ; Quibus positis existimo, cuilibet innotescere, Piam Matrem duplicem esse, non autem ex duabus distinctis conflari membranis.

Bidloo verè observat, membranam hanc, quam ille mediam, ego primam duplicis membranæ laminam nuncupo, esse tenuiorem superincumbente Durâ Matre, & crassiorem, subjacente membranâ seu alterâ laminâ. Atque hæc inferior lamina potissimùm per omnes arctissimas plicaturas Cerebri texturâ suâ non quidem continuâ, sed ut sæpiùs observavi, retiformi se insinuat, & in hôc sensu illis, qui duris expressionibus seu terminis technicis delectantur, eôdem modô ac membrana crystallinum oculorum humorem investiens appellari potest Arachnoides.

Commoda, quæ ex istâ partis dispositione ad totum redundant, sunt veldè insignia, (ut jam observavimus.) Pia enim Mater integumenti munus præstat, involventis non modò Cerebrum & vasa sanguinea ad hoc in genere spectantia, verùm etiam dictis in locis, ubi talismodi partium structurâ opus erat, contra injurias se expandendo, robur partibus concedentis. Primo enim ejus officio debetur, quod Cerebri non solùm calor conservetur, textura arctius & compactiùs coërceatur, & partes propendentes contra ossis subjacentis asperitatem muniantur, verùm etiam vasa validè suffulciantur, & ab omni laceratione aut ruptione immunia præstentur; quatenùs hæc inter ejus duplicaturam ad Cerebrum ascendunt, cujus teneræ & subtiles fibræ aliàs ab arteriarum amplitudine & pulsu, ut & harum

harum & vaſorum reducentium quæ ex ſinubus oriuntur pondere injuriis affici potuiſſent.

Alteri ejus officio in acceptum refertur, quod tenellum infundibulum, ubi Cerebrum relinquit, & ad glandulam pituitariam vergit, ab exteriore hâc lamina circumtenſa robur accipiat ad evitandas diſruptiones, & quòd Cerebrum & Medulla oblongata, ubi laxè ſibi invicem ſaltem accumbunt, in debitâ ſuâ connexione perſiſtant. Quæ emolumenta cum à membranâ quâdam duplicata potiûs, quàm à duabus invicem junctis, eodem licet robore præditis, ſint plicatui nda; non contemnendum exindè opinioni de membranæ duſtratur. a argumentum accidit, & tertiæ ſeu novæ introductio fruſtratur.

Tandem quod concernit glandulas & plexus, quos *Dr. Williſ. Anat. Cereb. Cap. 7.* ſuper totam hanc membranam diſperſas refert, priores nunquàm conſpicere potui; adverti tamen, partem corticalem cerebri in externâ ſuâ ſuperficie in corporibus ſtrangulatis per integumentum hoc transparens, glanduloſam omnino apparuiſſe, id quod ad primum intuitum neglecta ulteriore inquiſitione Spectatori minùs cauto facilè imponere poteſt.

Plexus verò quod attinet, & diſtributionem vaſorum ſanguineorum, quæ ab his, ſeparatâ in glandulis antè dictis ſeroſa & ſpiſſiore ſanguinis parte, verſûs Cerebrum ad ſubtiliores producendos Spiritus animales, prout *Williſio* videtur, abeunt; ſententiam hanc ſolâ conjecturâ niti mihi tamdiu perſuaſum habeo, donec non ſolùm Glandulæ, verùm etiam harum ductus excretorii unà cum emunctoriis ſuis, (ſiquidem glandulæ lymphaticæ vel reductoriæ, ſi quæ inveniantur, tali uſui à naturâ nunquam ſunt deſtinatæ,) fuerint detecti.

Membrana hæc ſtipata eſt vaſis ſanguiferis duplicis generis.

Ad primam Claſſem illa ſpectant, quæ ad Cerebrum ipſum referuntur, &, ut jam obſervavimus, inter illius duplicaturam decurrere videntur; quô pactô occaſio eis ſuppetit, poſt tot contortos & ſerpentinos tractus in ſubtiliſſimas abeundi extremitates, antequam ipſum intrent Cerebrum; & hæc potiſſimùm ſuper totam inferiorem vel ſecundam membranæ hujus laminam diſtribuuntur.

Alteram claſſem ea conſtituunt, quæ huic ipſi parti nutrimentum afferunt; hæcque poſt ſedulam inveſtigationem, ſeparata ſecunda lamina, copioſè diſperſa ſuper partem convexam exterioris

seu primæ laminæ vidi ; Utraque genera optime in *Bidloo Anat. Tab. VIII fig. 5. Litt. M. & G.* delineata conspiciuntur.

Duplicatura hæc pariter omnibus nervis communicatur tàm intra, quàm extra cranium, concedens toti fasciculo nervorum laminâ suâ exteriore integumentum aliquod secundum, sub primô, à Dura Matre accepto, locatum, & tertium, laminâ interiore; hæc enim in integumentum faceſſit singulis fibrillis, quæ collectæ integrum corpus nerveum constituunt. Atque admirandæ hujus membranæ, fibrillas istas medullares in se nullo sensu præditas, involventis, subtilitati in acceptum refertur celer ille consensus, qui inter partem & partem, & inter totum & Cerebrum sæpè intercedit.

CAPUT III.

De Vasis Cerebri in genere.

VAsa, quæ Cerebrum cum universô corpore communia habet, pro diverso, quod vehunt, fluido communiter sub arteriarum, venarum, sinuum & lymphæductuum nomine veniunt; Accuratius tamen loquendo hæc vasa unicum duntaxat continuatum & diversimodè modificatum formant canalem ad quam pariterelassem nervos referre non incongruum foret. Priora duo vasa ratione diversæ suæ distributionis non immeritò sub duplici considerantur respectu, quatenus vel ad primum Cerebri integumentum, vel ad Cerebrum ipsum distribuuntur.

Arterias itaque duræ Matris seu primi integumenti tres insignes constituunt rami ex utrôque latere provenientes.

Prior & anterior eorum ramus emittitur ab arteria Carotide, dum in quartô Cranii foramine commoratur, & propagatur potissimùm per anteriorem partem basis duræ Matris, ut in fig. II. lit. h. h. delineatur ; perperam idem describitur à *Dr. Willisio Anat. Cerebr. Cap. 1.* authoritati forsan *Wepferi* nimis fidente ; Hic enim *Observat. Anat. pag. 105.* exilem eum nuncupat ramum arteriæ Carotidis, inter duos priores Cerebri lobos decurrentem ; qui tamen tantum abest, ut juxta assertum ejus per foramen syncipitis egrediatur, ut potius illud ingrediatur, nullos ad membranam hanc ramos distribuens, sicut antè citatus accuratissimus *Vieussenius Lib. 1. Cap. 6. Fig.*

6. *Fig. XVII. d. d. b. b.* optimè eum delineat & describit. Atque hanc arteriam non solùm perperam descriptam, sed incognitam penitùs fuisse antedicto *Wepfero*, ex eô patet, quod hanc à processu styliformi, ubi arteria carotis longum illum canalem ingreditur, usque ad eum locum, ubi perforata dura Matre in Cerebrum se abscondit, integram manere nec unicum quidem ramum à se spargere perhibeat, qui tamen Error, factâ injectione, per ceram, vasa distenta diutiùs & clariùs, quàm coloribus tincti liquores, oculis exhibentem facillimè evitari potuisset.

Ramus secundus arteriarum in duram Matrem ascendit per sextum Cranii foramen, unà cum ramô venæ jugularis internæ, & dispergitur lateraliter super totam membranæ hujus partem anticam ad sinum usque longitudinalem, quem tamen non ingreditur, (quemadmodùm paulò post tradam,) ut in figura I. 11. delineatur.

Tertius ramus arteriarum se insinuat in duram Matrem per octavum Calvariæ foramen, unà cum exiguo ramo reducente venæ vertebralis, ubi sinus laterales internam jugularem intrant, (quod induxit Ingeniosissimum *Highmorum in Corp. hum. disquisit. Anat. Lib. III. Part. I. Cap.* 5. ut eum in ipsos sinus laterales terminari credat,) & par octavum nervorum Cranium relinquit; quem arteriæ hujus tractum hactenùs à nullô, quod sciam, descriptum, nec unquàm, nisi in *Vieussenii Tabula I. K. K.* obiter, delineatum vidi. Vidi Fig. II. K. K.

Oritur hic ab externô ramô arteriæ vertebralis, juxta *Vieussenium Tab. XVIII. Fig. I. C.* quanquam *Bartholinus p. 431.* eum pro arteriæ Carotidis propagine habeat, adeoque hujus minorem ramum vocet, in quô tamen erravit.

Venas huic membranæ *Riolanus*, & post eum *Willisius loc. cit.* denegare videntur, quanquàm ultimus valdè obscuris se explicet terminis, dum ait: *Tam crebris Venarum propaginibus, quàm arteriarum nusquàm consita est* (crassa Meninx,) quibus verbis aliquales ei concedere videri posset, verùm aliô in locô differtè sinus, tanquàm vasa reducentia sanguinem tàm à Cerebro, quàm à membrana, venis substituit, prout clarè *Cap. 6.* patet.

Vieussenius certè ei venas concedit, hasque, *Lib. I. Cap. 6.* semper arterias comitari, & juxta *Veslingium Cap. 14.* in jugulares internas terminari dicit: verùm *Lib. I. Cap. 2.* quosdam ramos venosos exonerare sanguinem in sinum Longitudinalem docet. Quod ultimum

assertum è diametro repugnat priori, ubi eas arteriarum quocunque modô distributarum, vel in ramos divisarum comites semper esse asseruerat : quod si verum, quis non videt, eas necessariò versus sinus in extremitates capillares abire debere, & per consequens minùs esse capaces, reducendi sanguinem in illos, cum nunquàm non vasa reductoria in loco, à quô, non verò ad quem vehunt fluidum, sint capillaria.

Neutrius igitur assertum locum habere potest : quod si enim *Willisii* opinio veritati esset conformis, sequeretur, quod omnes arteriæ per hanc membranam dispersæ in aliquem sinum terminarentur; deficeret enim aliàs vas reductorium ; jam autem prius cum demonstratione oculari, posterius cum ratione pugnat.

Sin autem *Vieussenii* sententiæ foret, subscribendum venas scilicet duræ Matris constantes esse arteriarum comites, præter id, quod contra eum jam monuimus, sequeretur, quod illæ respondere deberent aliarum osculis per totum corpus in reducendò sanguine per arterias apportatô, præterquàm quod arteriæ, quas stipant, sanguinem suum in sinus exonerare dicantur, (quod tamen non agunt, prout paulò post demonstrabimus,) alias enim, cum utræque à cranii basi ascendentes capillares evaderent, utræque essent vasa adductoria, quo tamen, positis circulationis legibus, magis absurdum tradi non potest.

Wepferus, quem hæ Venæ latebant, aliter existimare vel affirmare non poterat, quam arterias relictâ circa extremitates suas durâ Matre in piam Matrem terminari, ut earum sanguis per hujus venas reducatur : sed manifesto hoc falsum esse, unius cujuslibet oculis patebit, qui hanc membranam ab alterâ studiosè separaverit.

Antequàm igitur juxta methodi institutæ ordinem vasa sanguinea ad Cerebrum ipsum abeuntia describam, veniam impetraturum me existimo, si breviter in distributionem vasorum sanguineorum, quam natura præter consuetudinem in Cerebro adornavit, inquiram, ejusque rationem adducam.

In eô igitur veritas hujus rei consistit, quod, secùs ac observatum hactenùs fuit, vasa sanguinea, quæ ad hanc partem in genere spectant, duplicis sint ordinis, uti jam diximus, quorum unus Cerebrum ipsum, alter exteriora ejus integumenta respicit.

Quoad primum notandum est, venas non ingrëdi Cerebrum, nec arterias comitari, prout quidem in aliis corporis partibus contingit.

tingit. Arteria enim Carotis ascendit per foramen quartum in cranii basi, & jugularis interna per octavum; arteria vertebralis per ultimum & ampliſſimum cranii foramen, & vena vertebralis per nonum; (quod *Vieuſſenius* perperam decimum vocat *Lib. I. Cap. V.*) hæcque in jugularem internam propè introitum hujus venæ in foramen rotundum in basi cranii sub processu styliformi, ubi sinus lateralis ei occurrit, se abscondit. Venæ igitur in certas venosas productiones, sinus vocatas, dilatatæ descendunt amplis truncis & capillares sensim evadunt, donec arteriarum extremitates attingant; nec quicquam aliud sunt, quàm rami sinuum, sicut per consequens sinus ipsos pro amplis habeo venis.

Cur vasa sanguinea in cerebro aliter ac in reliquis corporis partibus distribuantur, declaraturi recentiores Authores, id factum esse, dicunt, ut æqualem Cerebrum tàm in summitate, quàm in basi calorem ad producendam æqualem spirituum animalium proportionem exindè fœneretur; Atque huic sententiæ facilè subscribo; verùm alium adhuc naturæ scopum fuisse præfixum, patebit considerantibus, quod, si venæ per idem foramen in fundô cranii cum arteriis ascendissent, pulsus certè arteriarum in quâvis sanguinis ebullitione vehementiore liberum hujus reditum per venas in hâc vasorum coarctatione ab ossibus productâ valdè impediret, & per consequens stagnationem sanguinis in toto Cerebro cum omnigena omnium Facultatum subversione inferret; cum certô certius sit sufflaminatâ circulatione per stagnationem aquosas & subtiles partes à sanguine crasso & rubicundo secedere.

Alter modus, quô venæ cerebrum ingrediuntur (quæ scilicet ad exterius ejus integumentum spectant, & altera per sextum, altera per octavum foramen in basi cranii ascendit, prout dictum est,) valde contrarius est à priori, cum arteriis enim ad capillares suas abeunt extremitates, certo indicio, eas ad tantam sanguinis quantitatem reducendam, quantam primum vasorum genus, arteriæ, attulerant, esse destinatas; & quanquam natura hic loci propter venarum exilitatem non adeò sollicita fuisse videatur in avertendis incommodis, quæ ex arteriarum per idem foramen Cerebrum intrantium sodalitio expectanda esse superiori paragrapho, ubi de amplioribus loquebamur venis, indigitavimus, nihilominùs natura non destitit de alio eis contra has injurias prospicere remedio, ut in sequentibus patebit.

Ab

Ab hôc venarum unà cum arteriis per eandem viam in Cerebrum introitu commodè, ut mihi videtur, turbæ illæ & moleſtiæ deduci poſſunt, de quibus multi in intemperiebus à ſanguinis turgeſcentiâ ortis & præternaturalem arteriarum pulſum excitantibus conqueruntur. Symptoma enim hoc dependet ab antè dictâ coarctatione, quam oſſis circumferentia cedere neſcia, in diverſis vaſis ſanguineis unum idemque foramen tranſeuntibus producit; ad quem pariter effectum vicinia oſſis petroſi, per quod nervi acuſtici egrediuntur ex foramine, quod in eâ oſſis cuneiformis parte cernitur, quæ illi jungitur aut accumbit, non parùm tribuit.

Et eidem forſan cauſæ cephalalgiæ febres tam frequenter comitantes debentur; arteriæ enim ſanguine tum turgidæ venas ad oſſium partes adigunt, ut ſanguis per eas debitâ proportione tranſire non valeat, & per conſequens eô ſtagnante membrana inflammetur, ac iſtius doloris author evadat.

Poſitis his; quæ circa providam naturæ curam vaſorum ſanguiferorum diſtributionem ita adornatis, ut varia incommoda, cerebro per compreſſionem vaſorum reductoriorum ab arteriis per unum idemque foramen intrantibus imminentia declinentur, dicta fuerunt, notatu dignum eſt, quod præter has venas duræ Matris, quæ arteriis aſſociantur & hactenus commemoratæ fuerunt, aliæ ſint ad hanc membranam ſpectantes, quæ peculiari modô oriuntur & deſcendunt à venâ paulò poſt deſcribenda, ex utrôque latere ſinus longitudinalis, uti videre eſt in Figura Quartâ d d. n n. &c. & per conſequens in vaſa, capillaria abeunt, ubi ab ea deſcendunt, ſecùs ac in reliquis omnibus; hæque evidentes formant anaſtomoſes cum quibusdam capillarium antedictarum arteriarum extremitatibus, eundem in modum, ac amplæ illæ venæ piæ Matris cum arteriis, quæ tam ad Cerebrum, quàm ad hanc membranam feruntur. Quô pactô contingit, ut magna ſanguinis pars per Menyngis arterias allati, per has venas revehatur, eum in finem, ut in præternaturali inprimis ſanguinis orgaſmo compreſſio, & reliqua incommoda, à vaſorum horum turgeſcentia metuenda, magnâ ex parte evitentur.

CAPUT

CAP. IV.

De Vasis ipsius Cerebri.

POst brevem hanc digressionem methodi ratio vasa sanguinea ad Cerebrum ipsum spectantia nostræ subjicit considerationi.

Curiosus Anatomicus, *Malpighius in Epistolâ ad Fracassatum de Cerebro pag* 22. ea triplam servare proportionem ad vasa totius corporis pronunciat; quod cur ita sit, cùm pars ipsa non eandem ad totum habeat proportionem, dignum videtur, quod examinetur.

Horum quædam constituunt arteriæ, quædam venæ, de quibus jam egimus; Illæ sub nomine Carotidum & vertebralium veniunt.

Quarum priores sub incurvato tractu, à *Willsio in Figura I.* optimè expresso, â processu styliformi ossis petrosi, ubi cranii basin intrare incipiunt, usque ad processum primum interiorem ossis Cuneiformis, ubi interius perforatâ durâ Matre in Cerebrum ascendunt, unius cum dimidiô pollicis spatium emetiuntur. Dico eas post hunc incurvatum introitum in Cerebrum per totam substantiam esse dispersas, postquam mutuatitiam membranam crassam â durâ Matre per antedictum locum transiens, accepit; non tamen absque interventu piæ Matris; hæc enim omnes ramos tàm hujus, quàm vertebralis arteriæ priùs suffulcit, antequàm hæ ferantur vel dispergantur per Cerebrum ipsum; id quod bene expressum in Figurâ quâdam *Placentini apud Spigelium p. 179.* adeò ut *Molinettus p. 77.* & cum hoc *Marchette p. 191.* eam habeant pro productione copiosorum horum vasorum; siquidem omnes exiles ramificationes arteriarum carotidum & vertebralium, videlicet quæ â carotidibus, perforata dura Matere, ascititia cinctæ membrana, ad infundibulum, nervos olfactorios & opticos ablegantur, & quæ â vertebralibus, propagatæ tertium, quartum, quintum, sextum, septimum, octavum, nonum & decimum par nervorum comitantur, quamdiu in ipsum Cerebrum non absconduntur, omnimodè â membranâ hâc sunt exemtæ; quarum jam nominatarum ramificationum quædam apud *Vieussenium* vel delineatæ in Tabula XVII. vel diversis in locis commemoratæ sunt; quæ licèt in rerum natura existant, nimis tamen firmè & formaliter eas depictas esse suspicor, cùm tamē nisi injecto Mercurio præter ea, quæ nervos Olfactorios & Opticos stipant, rarò conspici possint; Cera enim nimis multo crassius est corpus, quàm quòd exiles tales stolones intrare valeat;

cum è contrario injecto Mercurio vix illos inveniam nervos, qui non ejusmodi exiguas vaſorum ſanguineorum ramificationes contineant.

Si ulterius progrederer, & diſtinctè univerſam ramificationem arteriarum per hanc partem diſtributarum, quæ hic loci & copioſiores, & majores ſunt, quàm in ullâ corporis parte (ùt jam diximus) deſcriberem, non ſolùm actum agerem, ſiquidem Vieuſſenius eam in Sexto Capite ſatis diſtinctè tradidit, verum magis oſtentationis, quàm utilitatis gratiâ hæc adduxiſſe viderer.

Eas itaque ſolummodò propagationes commemorabo, quæ vel ratione magnitudinis, vel curioſæ ſtructuræ, vel ſingularis utilitatis reliquas antecellunt.

Et ex hâc Claſſe meritò proximè arteriis carotidibus hactenùs deſcriptis junguntur vertebrales. Intrant hæ Cerebrum per ultimum & largiſſimum foramen Cranii, (ſecus ac *D. Williſius p. 29.* & ante eum *Wepferus p. 112.* affirmant) ex foramine proceſſus transverſi vertebræ primæ ab utraque latere per inſignem curvaturam huc appulſæ, ut ex Fig. I. E. E. apparet, (quem earum tractum perperam *D. Lovverus* & *D. Williſius* delineant & deſcribunt) & lateraliter ſuper medullam oblongatam usque ad proceſſus annularis principium aſcendunt, ubi concurrentes invicem unô trunco (quem *Vieuſſenius* Tab. IV. b b. arteriam cervicalem vocat) ſupra ejus longitudinem decurrunt, exindè autem emittunt aut recipiunt duos ramos ab arteriis carotidibus; quo pacto communicatio inter eas magnum in Cerebri emolumentum intercedit. Quodſi enim tres ex his magnæ arteriæ ſanguinem ad Cerebrum deferentes obſtruantur, quartus ramus adhuc apertus in ſufficienti copia eum ſuppeditare poterit. Hoſque ramos voco Communicantes, à *Bidloo in Tabulâ Nonâ* perperam, à *Vieuſſenio* vero *in Tabula Quarta b. b.* optimè depictos ut patet ex noſtra figura d. d. prout in rerum natura eſt, delineata.

Hac arteriarum ſtructura & exilitate præter hunc ſcopum duos adhuc natura intendiſſe videtur.

Quorum primus eſt idem, ad quem natura in diverſis aliis locis, ut in aſcenſu ſanguinis per arterias Carotides collimavit; utræque enim Cerebrum, prima in baſi cranii per octavum foramen, altera per foramen in proceſſu transverſo primæ vertebræ Cervicalis, per curvaturam, ut in utriuſque locis deſcripſimus, intrant. Simili modò hic etiam ſanguis propter anguſtiam horum ramorum in progreſſu ad arteriam caronidem, & per conſequens etiam ad Cerebrum ipſum retardatur, ne hoc ex rationibus in ſinuum deſcriptionibus allegandis ſanguine extravaſato & ſtagnante inundetur.

Alter eſt, ut ſanguis eò copioſius in arteriam ſpinalem propellatur. Quanquàm

quàm enim sanguis aliqualem aditum propter structuram arteriarum conicalem ad hanc inveniret, in sufficienti tamen copiâ propter nimis reflexum hujus situm influere non posset, nisi antedicti Rami inter duas magnas arterias communicantes angustiâ suâ sanguinem quasi ad motum retrogradum repellerent.

Arteriæ certè si non eodem, simili tamen modò conformatæ sunt in ramis mammariis & epigastricis, & notandum est, in utrisque hisce locis arteriam magnam, â quâ rami hi proveniunt, magis esse conicam, & vasa eductoria minus copiosa & magna, quam arteriam carotidem, cujus laterales anteriores & posteriores ramificationes inter Lobos Cerebri superant proportionem ad truncos, â quibus propullulant, adeoque necessariò juxta antedictam observationem *Malpighii in Epistolâ ad Fracassatum* sanguinem huc allatum magis liberè & copiosè recipiunt.

Nam tantum abest, ut arteria cervicalis hic loci sit conica, ut cum sit conflata ex duabus arteriis verticalibus invicem conjunctis, amplior sit, quàm alterutra, ut ex figura l. g. apparet, & per consequens, sanguinem hæc ab arteria spinali liberius ad anteriora deferret, nisi natura hic loci aliam formâsset vasorum structuram, quam quæ in reliquis corporis partibus quæ tali non indigent texturâ observatur.

Venia mihi concedetur, quòd unius adhuc rami mentionem faciam, qui â nullo hactenus fuit descriptus, hicque est arteria exilis cum vena per lateralem ossis cuneiformis partem, posteriorem orbitæ oculi regionem constituentem, sub processu hujus ossis valde exiguo abiens, & elevatis anterioribus Cerebri lobis industriis Observatoribus se prodit; ac credo eam propter sui exilitatem visum hactenus effugisse, aut, cùm utilitas, quam affert, non sit insignis, minùs dignam æstimatam fuisse, quæ describatur.

CAP. V.

De Sinubus Cerebri.

TErtia se nunc vasorum species nostræ offert considerationi sub generali nomine Sinuum.

Horum quatuor tantùm initiò numerabantur, quibus *Vesalius Lib. III. Cap. 14. Fig. III. F.* quintum addidit in fundo falcis, eumque venæ nomine notavit, qui licèt sæpe inveniatur, in quibusdam tamen subjectis desideratur. *Bourdon* adhuc duorum mentionem injicit, quos utroque in latere secundi

processus duræ Matris in fundo sub lateralibus conspexit; ego vero non nisi semel observavi, ita ut credam cum *Vieussenio*, eos communiter desiderari.

Vieussenius præter hos adhuc quatuor describit, quos dudum commemoratos & exactè descriptos apud *Fallopium*, & post eum, quanquam crasso stylo expressos apud laboriosum Collectorem *Vidum vidium Anat. Lib. VII. Cap. 2.* reperio.

Adhuc unum demonstrare mihi posse videor; verùm quam copiosi etiam sint, rationi conforme credo, eos non nisi tanquam venas respicere, sivè eorum structuram, sive officium advertamus. In eô rei cardo vertitur, ut contemplemur, quem in finem tàm ampli canales, in quos omnes venæ Cerebri, tanquam totidem exiles rivuli, præter consuetudinem se oxonerant, appareant, quod, cognito diverso, quô â se invicem discrepant, situ, investigabo.

Priores duo vocantur Laterales, qui intra validam processus posterioris duræ Matris duplicaturam ad os occipitis supra Cerebellum descendunt, donec ulteriùs tortuosè progressi super inferiorem ossium petrosorum productionem extra cranium per octavum foramen, octavo pari nervorum exitum, & tertio ramo arteriarum ad duram Matrem decurrentium cum jugulari interna introitum concedens & â duobus rotundis osseis cellulis ossis petrosi formatum, sub processibus styloideis se evolvant in venam jugularem internam, in quam & vertebralem omnes reliquæ Cerebri venæ & Sinus sanguinem refluum exonerant, vid. Fig. IV. B. B.

Proximus ab his vocatur Tertius vel Longitudinalis, quia â processu osseo, Cristagalli dicto supra integrum cerebrum ad posteriores & paulo declinantes ossis occipitis partes fertur, ubi in Laterales desinere videtur. vid. Fig. IV. A A.

In hunc tertium Sinum venæ non solum internæ Cerebri, verùm etiam quædam ad exteriora integumenta spectantes inseruntur, id quod Fallopius, magnum illud lumen Anatomicum, primus, & tum Vieussenius observârunt; Wepferus equidem de Loco affecto in Apoplexia p. 42. perperam pro arteriis eas habet non tamen sine ratione, prout mihi videtur asserit, pororum cranii sanguini refluenti transitum ad sinus concedentium constipationem quâcunque ex causâ ortam frequentem inveteratæ & pertinacis Cephalalgiæ existere Authorem.

Quartus propter situm suum non immeritò Internus nuncupandus, oritur ab inferiori processus falcati parte, ubi hic continuus redditur secundo duræ Matris

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

tris processui, & ampla duplex vena ad plexum choroideum spectans una cum quintô sinu (si quis datur) in interstitio quôdam, inter corporis calloſi terminum, Nates, testes, & Cerebellum relicto, eum intrat, undè super Cerebellum protensus tandem ad eum pertingit cum reliquis tribus Sinubus locum unionis, qui ab Inventore suo torcularis Herophili nomen hactenus retinuit. vid. Fig. IV. C.

Ex quatuor reliquis *Fallopii* & *Vidi Vidii* seu *Vieussenii* Sinubus duo longiores & angustiores, (superiores ab hoc vocantur) oriuntur in basi cerebri ex ejus mente â Receptaculis Sellæ equinæ ab eòdem ita nuncupatis & inferius describendis, mihi potiùs ortus eorum â Sinu circulari deducendus esse videtur, quod suò loco demonstraturum me fore spero) unde descendentes super processum internum ossis petrosi terminantur in sinus laterales eô in locô, ubi hi declives & tortuosi fiunt ad Jugularem internam abeuntes vid. Fig. II. D. D.

Reliqui duo seu Inferiores breviores sed magis ampli sunt superioribus, & ab eôdem locô ac priores inter os petrosum & occipitale descendunt ad antedictum foramen octavum cranii, ubi jugulares in Cerebrum ascendunt & ibidem terminantur. vid. Fig. II. e e.

Alium mihi detegere licuit, postquàm venas cerâ repleveram, glandulam pituitariam cingentem. Conspiciebatur hic in glandulæ parte superiore versùs anteriora intra duplicaturam duræ Matris & versùs posteriora inter duram & piam Matrem laxius paulò super glandulam expansus; & lateraliter eandem instar canalis â dura Matre superius & ab arteria carotide ex utroque glandulæ latere formati ambit: hæc enim superiùs duræ *M*atri & inferiùs basi cranii affixa parvum relinquit interstitium inter se & glandulam, & constituit cavitatem, cum duabus antedictis anterioribus & posterioribus communicantem; & ab hoc quatuor superius commemorati Sinus parvi continuitate satis conspicuâ ex utroque latere paulò infra processum posteriorem sellæ turcicæ descendunt; hicque â figurâ suâ commode Sinus Circularis dici potest. vid. Fig. II. E. E.

Conspexit forsan Vieussenius aliquam hujus Sinus portionem, ubi reliqui quatuor eum intrant, in parte scilicet postica Receptaculorum sellæ equinæ lateribus adjacentium indeque receptacula cum eis communicare & formata esse existimavit, ut sanguinem â nutritione ossis subjacentis Cuneiformis superfluum unà cum aquâ per glandulam pituitariam sepatatâ in hos quatuor inferiores Sinus revehret.

Jam quod Receptacula hæc concernit, certum est, talia nullibi in Cerebris humanis existere, qualia ille Lib. I. cap. 2. describit; Nervorum enim par ter-

tium, quartum, duo anteriores rami quinti, æque ac tertius ejus posterior, ut & sextum par non solùm egrediuntur è Cerebro, in totidem parvis capsulis seu involucris â durâ Matre conflatis inclusa, ubi illum locum transeunt, quem in basi cranii Receptacula vocat; verum etiam integra dura Mater una cum suis productionibus membranosis, modo dicta involucra horum nervorum constituentibus, hoc in loco basi ossis subjacentis firmiter adhæret. Processus enim externus ossis cuneiformis inferius, & propè arteriam Carotidem (quæ tàm superius, quàm inferiùs prout dictum per mutuatam suam tunicam duræ Matri firmiter est affixa) ubi glandulam respicit nullum relinquit spatium, quod sanguinem vel serum, prout ille supponit, capere posset; quanquàm in illis locis, in quibus receptacula sua collocat, in quibusdam corporibus cerâ repletis observaverim duas amplas venas quarum una per secundum foramen ab orbita oculi, cujus vas reductorium videtur esse, in cranium alcendit & propè processus lateralis ossis ethmoidei latus ad Sinum circularem tendit; altera ex quintô foramine super idem os decurrit, & cum altera conjungitur; tum utraque constituit brevem ramum qui in Sinum circularem propè eum locum, ubi duo inferiores ex utrôque latere ab eô descendunt, se abscondit; quodsi igitur hic ramus casu discissus fuerit, non mirum, quod sanguis appareat, & ansam antedictæ erroneæ hypothesi suppeditet.

Imò ponamus, dari ejusmodi receptacula, non tamen possibile esse videtur, ea tali præesse officio, quod Author ipsis assignat; Siquidem glandula pituitaria undique tàm durà quam piâ Matre involvitur, quarum prima ab omnibus glandulæ hujus lateribus, (quanquàm contrarium Author defendere nitatur) imò in illô loco etiam, ubi, ùt antè monuimus, Capsula quædam partem superiorem sinus circularis constituens â duræ Matris duplicatura formatur, æque valida & crassa est. Et si vel maximè hoc etiam concederemus, modus nihilominus, quo serum seu aqua ad hæc receptacula infunditur, (quem transcolatorium esse Author putat) hypothesin ipsius valdè dubiam reddit; siquidem natura præter sanguinem nullum serum seu quemvis alium humorem (exceptô eô, qui ad partium nutritionem impenditur) in totô corpore per arterias ad aliquam partem solet deponere, quæ ductibus vel excretoriis, vel secretoriis non sit instructa, quorum tamen neuter hic loci unquam fuit inventus.

Et ad ulterius confirmandum id, quod contra hanc sententiam hactenus allatum fuit, hoc solummodò addam & concludam, me post varias injectiones ad investigandum partium usum adornatas ne unicam tincti coloris guttam in eô arteriæ carotidis loco, in quô sua receptacula sita refert, unquàm invenire potuisse.

Usus

Usus sinus hujus circularis cum reliquis est communis, scilicet ut reducat sanguinem refluum ab omnibus partibus circumjacentibus scilicet â glandula pituitaria, osse cuneiformi, & forsan etiam â rete mirabili, quod cùm in brutis sit valdè amplum, ad aliquam sanguinis copiam vel mediatè eliminandam hoc indigere sinu videtur, siquidem glandula pituitaria nullibi instructa venis ad reducendum anguinem in sufficienti copiâ ab hôc plexu apparet; licet Vieussenius Lib. I. Cap. 7. huic venas penitus deneget, adeoque ad exiles stolones venarum, ramos ab arteria Carotide, antequàm duram Matrem perforet, emissos, & nervos opticos comitantes vel ad eos, qui ad plexus gangliformes conjugationis quintæ abeunt, vel ad eos, qui ex osse cuneiformi egrediuntur, pro vasis hujus partis reductoriis habeat sed quô jure non video.

CAP VI.

De Motu Cerebri & Sinuum.

Hisce Sinubus, inprimis longitudinali & per consequens etiam lateralibus plerique si non omnes, Veterum æque ac Modernorum, & inter hos Willisius & Vieussenius pulsum, qualem arteriis duræ Matris ex illorum sententia ad eos desinentibus derivarunt. De cujus veritate cùm aliquatenus dubitarem, in animum induxi tale instituere experimentum, quod omnia dubia removere & huic controversiæ finem imponere valeat: Erat autem sequens;

In Cane vivo removebam superiorem crannii partem, ut dura Mater cum tertio suo seu Longitudinali Sinu visui & tactui exponeretur â quorum tamen sensuum neutro ullus vel membranæ in genere, vel sinus pulsus initio poterat observari. Paulò verò post accidebat, ut sinus lanceolâ apertus, applicatò ferrô candente, sanguinem cum violentia ejacularetur, ita quidem, ut initio nullus sensibilis, deinde vero tam ratione sanguinis, quam membranæ satis manifestus adverteretur pulsus.

Dissecabam sinum secundum longitudinem, observaturus, an quædam arteriæ salientem propellendo sanguinem in conspectum venirent, quas Vieussenius, & diu ante hunc eruditissimus Wepferus loc. cit. p. 116. experimento quodam hanc in sententiam inductus, in eum terminari & pulsum efficere affirmarunt; sed nullum earum apparebat vestigium.

Ex quibus omnibus manifestum evadit, sinus non aliô gaudere pulsu, quàm quem communicatum habent â cerebro subjacente, quod, secus ac

Bour-

Bourdon affirmat, ratione copiosarum arteriarum per se distributarum tàm vehementem edit pulsationem, ut in integumentis suis exterioribus sensibilem etiam efficiat systolen & diastolen.

Notandum est, pulsum vix ac ne vix quidem deprehendi potuisse, quamdiu vasa sanguinea repleta duram Matrem totam distendebant; depletis autem vasis & membrana paulò laxatâ, pulsum in Sinubus æque ac in membrana clarius fuisse conspectum.

Factò hôc Experimentô Author quidam in manus incidit, eidem addictus opinioni, isque Fallopius erat, qui in Vindicatione Galeni contra Vesalium suum coætaneum eadem perhibet, quæ dixi circa modò allegatum Experimentum; & quodcunque etiam responsi magnus Vesalius se vindicaturus in ingenioso Libro, *Anatomicarum Gabrielis Fallopii Observationem Examen* vocato, respondere conabatur, parum tamen præstare potuit.

Quod attinet Ligamenta transversa, quæ diversis in in locis rotunda in instar chordæ, vid. Fig. IV. r. in quibusdam lata vel membranosa, vid. Fig. IV. x. in longitudinali potissimum Sinu deprehenduntur, & robur ac concurrentibus fibris cruciformibus ligamentosis in parte inferiori & exteriori hujus sinus, (undè fibræ processus falcati superiùs descripti oriri videntur) â Vieussenio commemoratis, elasticitatem huic parti ad validius sanguinem per se decurrentem reducendum largiuntur, ut & cœcas cavitates vel diverticula celerem & violentum sanguinis motum retardantia; cùm ea satis exactè â Vieussenio, quem Lector consulat, descripta cernam, ulteriorem eorum explicationem suppeditare non opus esse existimo.

Modum autem, quô venæ in hunc sinum se insinuant, planè diversum ab eo, quem Lovverus primùm tamen Vieussenius tradiderunt, quorum utrique â parte postica eas versus anticam (exceptis solummodo duabus vel tribus apud Vieussenium) orificiis suis Sinus intrare asserunt, reperio; hancque structuram Excellentioris usûs gratia, quàm hactenùs assertum fuit, ita conformatam esse observo. Scilicet aliæ â parte posticâ versûs anticam, aliæ ab anticâ versus posticam (ut in Fig. IV. dd. apparet) absque ordine tamen in Sinu se abscondunt, postquàm utraque species ad primum in Sinus accessum per aliquod spatium, ductus pancreatici vel ureterum ad instar, intra duplicaturam duræ Matris decurrit, quod primum â Lovverô fuit observatum.

Ex hoc primum apparet, esse hic duos contrarios torrentes in unô eôdemque canali; Hoc enim pacto sanguis refluus, insigni ditissimarum suarum partium in Spiritus animales impensarum quantitate depauperatus, per particularum collisionem, quæ hâc ratione contingere maxime debebat, in debi-

ta suâ mixtura conservatur ; quæ propter languentem motum intestinum seu elasticitatem ad tempus deperdita retardat pariter motum circularem vel progressivum, qui aliquatenus sufflaminatus varias imtemperies, sed omnimodè abolitus, mortem ipsam producit.

Ad hæc Circulatio omninò retardatur non solùm aliquatenùs, & sanguis in erectô potissimùm corporis situ impeditur, quò minùs tantâ cum rapiditate & pondere per Cavam ad Cor ruat; (ad quod pariter cellulæ osseæ, propè quas venæ jugularis internæ sinus intrant, non parum tribuunt;) sed potissimum major injicitur mora circulationi in supino corporis situ, quem homines dormientes ordinariò & juxta naturæ institutum servant; Hæc enim conformatio unà cum Sinubus lateralibus (qui ita sunt formati, ut in jam dictô capitis situ sanguis versùs superiora prius cogatur, quam in venam jugularem se præcipitet) efficit, ut copiosiores generentur Spiritus animales; hocque non infima existit causa, quod post somnum recreatos & per totum corpus meliùs dispositos nos sentiamus.

Ex altero modô, quô Venæ Sinus ingrediuntur (ab anticâ scilicèt parte versùs posticam) id emolumenti provenit, quod in pronô Cerebri situ (quem homines quandoque tenent) circulatio sanguinis per Sinus versus anteriora magis promoveatur; idque verum & â natura eum in finem ita ordinatum esse, confirmatur ex structurâ hujus partis in brutis, quæ ratione hujus situs ad alimentum quærendum necessarii, hâc omnino partis hujus dispositione gaudent, quæ circulationi sanguinis aliàs valdè difficili succurrat. Atque ex hôc apparet, quantam Anatomia Comparativa utilitatem adferat.

Scopus, quem natura, efformando statim canales hos adeò amplos respectu venarum in eos desinentium, de quibus modò tractavimus, intendit, videtur conveniens conformationi partium antè commemoratarum, & idem esse, quem sibi in arteriis superius allegaris tàm amplis & trunco, â quô exsurgunt, minùs proportionatis formandis præfixum habet; scilicet ut sanguis per Cerebrum ad producendos copiosiùs Spiritus animales, tardiùs, quàm ordinariò fieri solet, circuletur. Qui nihilominus maximè proficuus hic naturæ scopus cum magno conjunctus esset periculo, (extravasatione nimirùm seri tanquàm imminutæ circulationis effectu) nisi rami illi duo communicantes inter arterias carotides & vertebrales superiùs descripti angustiâ suâ sanguinis influentis motum aliquatenus reprimerent, & nimiam vasorum turgescentiam declinarent.

Sinus hi ratione suæ structuræ â se invicem differunt; Longitudinalis enim & Laterales variis gaudent transversis ligamentis, quibus reliqui sunt destituti; & Longitudinalis diversis præditus est exilibus cavitatibus seu diverticulis, ut

dictum est, qui in Lateralibus desiderantur; quorum omnium usus in eô consistit, ut singulare robur Sinubus addant, & violentam sanguinis irruptionem eludant; licet hanc semper arcere non sufficiant; siquidem in quibusdam craniis sanguinem ex Sinuum lateribus extravasatum viam sibi inter ejus duplicaturam parasse, & foveam seu cavitatem in ipsô craniô formâsse, ut antea notavi, conspexi, quorum unum adhuc apud me asservo.

Caput VII.

De Plexu Choroideo.

PLexus hic est corpus ex arteriis, venis, membranis, & glandulis aggregatum, duplex ex utroque latere (quod hactenùs â nullô commemoratum fuit) & per consequens duas origines nactum; vid. Fig. V. e. e.

Primam enim ab anteriori arteriæ communicantis ramo procedit; vid. Fig. I. e. e. Hic enim inter posteriores lobos Cerebri (in quos ad spatium aliquod immergitur & quosdam satis amplos derivat ramos) & medullam oblongatam ascendens tandem pertingit ad ventriculos laterales & unam plexus partem in utoque latere efformat. vid. Fig. V. e. e.

Altera pars â ramo posteriori arteriæ communicantis exsurgit; vid. Fig. I. e. e. Hic magis versùs posteriora tendens inter partes cerebri posteriores & Cerebellum ascendit, donec propè Isthmum conjungatur cum priori ramo, atque sic utrique latam reticularem efformant expansionem; nates, testes & glandulam pinealem obtegentem, & secundam vel alteram plexus choroidei partem costituentem; vid. Fig. V. G. G.

Primus ramus in diversas reticulares plicas glandulis refertas dividitur, antequam in ventriculos se conferat, eandemque formam ad suas usque extremitates in utroque latere retinet, ubi utræque sub fornice transversim per ventriculum tertium in mutuam coëunt anastomosin.

Alter ramus eandem assumit faciem seu texturam, cum primùm Isthmum pertingit, eamque servat per integram superiùs dictam sui expansionem.

Ambo in utroque latere duplici connexione conjunguntur; primâ per arteriam sub bombycibus latentem, & inter utrosque decurrentem: quod exprimi in figurâ commodè non potuit; alterâ per productionem piæ Matris, super omnes partes ventriculorum lateralium, & tertium ventriculum extensam, & inter primas duas plexûs hujus partes versûs anteriora & inferiùs ponè reliquas

reliquas duas partes plexus posticas versus posteriora sub fornice & septo lucido sitam, ita ut, quæcunque lymphæ copia ex his ventriculis transmittitur, non solum sub fornicem, sed etiam sub hanc membranosam productionem destillare cogatur. Atque ex hâc structura, & situ hujus membranæ haud obscurè intelligi poterit, quâ ratione ejusmodi hydrocephalus contingere queat, (cujus Eruditissimus *Tulpius Obs. Med. Lib. I. cap.* 25. mentionem facit) in quô plùs quam duas libras aquæ unicus ventriculus reliquis vacuis capiebat; vel talis, quem Wepferus commemorat, ubi in juvenca aqua in cystide inclusa in sinistro tantummodò ventriculo reperta fuit: quod si enim supponamus, membranosam hanc piæ Matris productionem hic loci duplicem esse, prout in omnibus aliis locis reverà est, non difficile conceptu est, aquam extravasatam necessariò se intra duas laminas insinuare, donec aucto ejus affluxu eam instar amplæ vesicæ extendat, qualem Wepferus conspexit & digitis expressit. Atque rem ita se habere, quó minùs dubitemus, confirmamur ex eô, quod in illis locis, tàm superiùs propè corpus callosum, quàm inferiùs circa basin ventriculi aliquas asperitates observaverit idem, quasi vesica aquâ repleta, ubi illi contigua erat, protuberantiis quibusdam exiguis instar seminis papaveris albi, fuisset cooperata; quas protuberantias procul dubio exiles illæ glandulæ per totum plexum dispersæ præsentarunt.

Ut autem hæc intemperies unum tantùm occupet latus, (quanquàm etiam quandoque in utrôque conspiciatur, prout videre est apud antè allegatum Tulpium Cap. 24.) coalitio forsan utriusque laminæ hujus productionis in eô loco, ubi septum lucidum â fornice secedit, â levi incumbentis Cerebri pressione producta efficit.

Præter has venas â *Willisio in Anat. Cerebr. cap.* 2. accuratè descriptas adhuc duas reperi, anterioribus plexûs hujus extremitatibus inter duos priores Cerebri lobos occurrentes, ubi hic sub anticâ corporum striatorum, quibus sub debitô suô situ affixus est, parte terminari videtur; & ab his ramis ex utroque latere diversæ exiliores ad corpora striata & alias adjacentes partes abiegantur.

Ad istum pariter plexum spectant venæ, quæ ab extremitatibus hujus partis in ventriculis lateralibus divaricantur in duos distinctos largos & amplos truncos, descendentes per medium tertii ventriculi usque ad quartum sinum, & inde aliquot ramos ab alterâ posteriore plexus parte supra Isthmum expansa recipientes, sanguinem refluum in hunc Sinum exonerant; vid. Fig. V. h. h.

Præter hanc vasorum reductoriorum speciem Lymphæductibus etiam

stipatus est Plexus Choroideus, quos primum in Cerebro corporis fune interfecti detexi, & quibusdam tùm præsentibus demonstravi; vid. Fig. V. q. q. Abeunt autem hi in diversas ramificationes inter vasa reticularia & glandulas hujus partis: quæ observatio associata illi Magni Anatomici *Antonii Nuckii*, qui in *Adenographia suâ curiosa pag.* 150. se Lymphæductum â glandulâ pituitaria provenientem conspexisse dicit, & ab amico suo pariter Anatomico, cujus nomen reticet, (novi autem fuisse quendam, nomine *Bodivol*, cum quô singularis mihi intercessit familiaritas, nunc mortuum) adhuc alium haud procul ab antedictô loco visum fuisse refert; satis superque horum vatorum, tàm sedulò hactenùs investigatorum, in Cerebrô pariter, ac in reliquis corporis partibus existentiam evincere poterit.

Glandulæ hujus plexus variæ; sed valdè exiles sunt, quarum usus juxta omnes Recentiores, imprimis *Willisium*, *Duncanum* & *Vieussenium* in eô consistit, ut superfluam lympham â sanguine abducant; sed dicti Authores nondum demonstrarunt, quo structuræ suæ modô id agant, siquidem nullus eorum excretorium illis adjudicat ductum, qui tamen necessario requiritur, quotiescunque humor aliquis superfluus est eliminandus.

Postquàm igitur Lymphæductus hâc in parte fuerunt conspecti, non arduum erit, genuinum glandularum usum determinare; per has enim succus nutritius â sanguine influente separatur, & per lymphæductus, relictis nobilissimis sui partibus in Cerebro, ad eum, qui versùs cor properat, refunditur.

Nec absonum videtur cum Willisio statuere, eas calefaciendis vicinis partibus, internæ scilicet Cerebri superficiei, inservire, quia enim hæ penitus sunt medullares, tantam non possident vasorum sanguineorum copiam, ac reliquæ; & per consequens caloris æqualitatem, ad debitum Spirituum vigorem & exercitium conservandum necessariam, retinere nescientes, supplementum ab his petere necesse habuerunt. Situm occupat Plexus supra medium thalamorum nervorum opticorum, juxta horum longitudinem & (secus ac Willisius dicit) mediantibus quibusdam vasis sanguineis, medullæ oblongatæ cruribus immediatè subjacentibus

jungitur.

CA-

CAPUT VIII.

De Rete Mirabili.

REte hoc oritur ab arteriis carotidibus, ad quarum quoque latera interiora in eo potissimùm Sinus circularis loco, qui ad quatuor superiùs descriptos Inferiores & Superiores sinus spectat in basi Cerebri, & certô modô juxta sellæ Turcicæ longitudinem in utrôque latere inter glandulam & arteriam carotidem situm suum occupat. Nullô non tempore & quidem absque difficultate in hominibus inveni hoc; quanquam Recentiores *Wepferus*, *Willisius* & *Vieussenius* unà cum Veteribus Anatomicis omnibus, ut *Vesalio*, *Columbo* &c. contrarium asserant. *Willisius* equidem & *Vieussenius* id in hominibus, nec tamen semper, reperiri affirmant; quodsi tamen juxta *Willisium* verum, non nisi stolidos isto præditos esse, homines eô carere præstaret.

Et hoc exilioris esse molis in hominibus, quàm in brutorum quibusdam speciebus, nemo mirabitur, qui usum considerabit, quem præstat hoc in brutis; Horum enim Cerebrum aliàs ratione pronæ positionis inundationibus sanguinis vel nimia in copia appulsi, vel ruptis vasis prosilientis esset expositum, quod periculum eò certiùs immineret, quò magis eadem causa sanguinem tantò cum impetu ad Cerebrum deferens æque magna ac capax est sufflaminandi sufficientem ejus recursum; ad quam offensam declinandam natura invenit medium, quô faciliùs & securiùs sanguis ad Cerebrum delabi queat, magnum hunc rivum puto, qui ne unico saltem coërcitus canali, sanguis tantô cum impetu fluit, in complures alios distribuitur, (hinc truncus pariter arteriæ carotidis supra duram Matrem in his valdè exilis est respectu trunci inferioris, cum è contrariô hæc arteria in hominibus &c. ubique eandem retineat amplitudinem) qui non solum reticulati & contorti sunt (quam structuram ad magis exactam sanguinis in Spiritus animales faciendis præparationem ita formatam esse Veteres crediderunt,) ad descensum ejus magis lentum & difficilem reddendum verùm etiam quidam eorum per insertionem in glandulam pituitariam venis aliquot exiguis ex hâc provenientibus ad recipiendam aliquam oneris hujus partem, prospiciuntur.

Quod ultimum Controversiam inter *Vieussenium* & *Willisium*, quæ quondam inter *Waleum* & *Rolfincium* erat, renovatam, sufficienter decidere posse videtur; *Vieussenius* enim & *Rolfincius* huic reti venas, utpotè nulli usui destinatas, denegabant. Quodsi enim supponamus, glandulam pituitariam iis gaudere, quas cerâ repletas certè vidi, (quanquam *Diemerbrockius* hypotheseos suæ minùs probabilis defendendæ gratia contrarium disertè asserat,) ea profectò pars sanguinis, in quibusdam dicti retis ramis in glandulam insertis contenti, per has venas æque facilè reduci potest, ita ut ad remotos illos ramos è *Vieussenio* ad hunc usum destinatos refugere necesse non sit.

Atque à modò dictâ positione diversarum Creaturarum primariò diversam retis hujus magnitudinem dependere, rete canum plenariè evincere videtur; hoc enim ratione positionis horizontalis, quæ non adeò prona, ut in quibusdam brutis gramine vescentibus, nec tam erecta est, ut in hominibus, exilius reperitur, quàm in illis, & majus, quàm in his.

Eum etiam usum præstare visum fuit, ut insignem lymphæ superfluæ quantitatem subtiliorum Spirituum creandorum gratiâ à sanguine abducat, idque obstetricante glandulâ pituitaria inter quam & rete magna constansque intercedit affinitas; unô enim existente majore vel minore, alterum quoque servatâ proportione vel majus, vel minus conspicitur, & ramorum quoque distributio à rete provenientium, quæ in omnibus Creaturis observatur, in illis potissimum, quæ utrisque gaudent valdè amplis, inter utraque advertitur. Atque hoc glandulæ pituitariæ officium tanti momenti *Vieussenio* videtur esse, ut in illis Creaturis, in quibus exile nimis est rete ut in hominibus, equis, canibus, &c. varias cavitates, inprimis verò duas in osse cuneiformi sub Sella Turcica ad hunc usum substituerit, in quibus partem illam dicti seri, quod per hanc viam propter retis exilitatem reduci non valet, à quibusdam parvis arteriis à carotidibus proveni-entibus, & sub sellâ Turcica in duas dictas cavitates desinentibus, absorberi, & deponi supponit, ut vel per viam extraordinariam, videlicet per duas cavitates ad nares, & exindè ad fauces, vel per certas venas eô in locô illis occurrentes, tanquam propria vasa reductoria ad cor revehatur.

Jam glandulam hanc isti Officio à naturâ præpositam, aut saltem parem esse, vix mihi persuadere potero, nisi Patroni hujus senten-

si-

tiæ illam ductu excretorio hunc in finem necessario instructam demonstrent.

Et si regerant venas talismodi ductus vices gerere, respondeo, præterquàm quòd non probabile sit tantam sanguinis copiam per arterias carotides continuò ad Cerebrum delatam tam insigni serositatis suæ quantitate per tam exilem partem, ac glandula pituitaria est, posse privari, non consuetam esse naturæ methodum, exturbandi ullam portiunculam succi alicujus nulli ampliùs usui inservientis, cujusmodi hæc lympha est, ex suis vasis, & immediatè eam rursus recipiendi, siquidem non desunt emunctoria, per quæ illa portio possit eliminari.

Prætereà posito hôc, (quod tamen nullô modô concedi potest,) necessariò juxta ordinarium naturæ in omnibus ejusmodi casibus modum agendi requireretur via quædam intermedia instar ductus secretorii, quæ tamen hactenùs à nullo detegi potuit.

Et quatenùs *Vieussenius* eam fovet sententiam (quam lib. I. cap 16. fovere clarè testatur,) lympham hanc tam crassæ ac viscidæ esse naturæ, ut per emunctoria narium debeat excerni; idem quod diximus, responsionis loco sufficiat; quatenùs autem apertè sibi contradicens *Cap. 9.* hunc crassum humorem pro subtilissimâ habet lymphâ responderi poterit, non necesse esse, eum liquorem hic loci in antecessum debere eliminari, utpotè qui unicè per lymphæ-ductus Cerebri separatur.

Cum igitur tanta intercedat affinitas, ut anteà diximus, inter Rete mirabile & glandulam pituitariam, & ponatur, non illud esse glandulæ hujus officium, quod communiter ei hactenùs adscriptum fuit, adeòque accuratior ejus exigatur notitia; non videbimus Methodi legibus vim inferre, si proximum Caput Ei cum Infundibulo destinemus; quod non solum majorem habet relationem ad glandulam, quàm hæc ad rete, verùm etiam talem servat conjunctionem, ut tantùm non impossibile videatur unius exhibere Descriptionem omissô alterô.

CA-

CAPUT IX.

De

Glandula Pituitaria & Infundibulô.

GLandula hæc occupat & replet certô modô, exceptis vasis, omne spatium intra Sellam Turciam contentum.

Undique pia & durâ Matre tegitur, exceptò parvô foramine in superficie ejus superiori, per quod Infundibulum, productione quâdam piæ Matris, firmioris cum glandulâ connexionis gratia, munitum, ad eam descendit.

Dura Mater eam longè aliô modô, ac quem *Vieussenius Lib. I. Cap. 9.* tradit, investit, non suspendendo eam in hominibus, ut in brutis, quò minùs fundum sellæ attingat, cum non eadem urgeat ratio in illis, ac in his; In brutis enim rete mirabile non solum in utrôque latere hujus glandulæ situm est, sed protrahitur etiam sub partem ejus posteriorem, ut una retis extremitas cum alterâ communicare valeat; quæ partis hujus structura *Vieussenium* omninò latuit. E contrariô in hominibus non necesse fuit, ut eundem in modum formata sit glandula, cum rete aliô modô sit constructum.

Nihilominus ratio hujus conformationis, quam *Vieussenius L. d.* allegat, non adeò magni est momenti; Siquidem nec rete mirabile, multò minùs paucæ illæ & exiles venæ in osse inferiore, ullô modô à glandulâ hâc superincumbente comprimi poterant, hæc enim firmissimè adhæret duræ Matri supra & circa illam sitæ, quæ duobus anterioribus & posterioribus Sellæ Turcicæ processibus suffulta quamcunque partem, decies licet ponderosiorem, quàm hæc glandula est, sustentandi & compressionem partium subjacentium præcavendi capax est.

Præterea tantùm abest, ut dura Mater glandulam ab osse suspensam servet, ut potiùs unà cum glandula ossi ipsi sit affixa.

Glandulæ hujus substantia valdè differt à reliquis omnibus; siquidem eam hâc ex causa sæpiùs sedulò examinavi; quoad consistentiam equidem eandem nacta est ac pleræque conglobatæ, si non aliquatenùs duriorem, sed ubi fricatur vel comprimitur, plus aquæ, quàm ulla reliquarum, ejicit.

Cum

Cum Conglomeratis planè nullam habet affinitatem, & per consequens supponi non potest, ut ab omnibus hactenùs factum est, eam excrementitiam aliquam vèl inutilem segregare partem à sanguine.

Quodsi igitur hanc partem unà cum ei appendente Infundibulô considéremus, certè conformationem ejus ab ulla aliâ totius corporis parte valdè abludentem deprehendimus; quatenus id, quod hæc glandula ab infundibulo recipit, seu, quod eodem recidit, quod infundibulum ad eam deducit, à massa fluidorum per nullum ductum visibilem secretorium separatur, quâ tamen aliàs methodô natura constanter per totam corporis compagem utitur, quotiescunque ullam partem, sivè excrementitiam, sivè laudabilem à sanguine dimittit.

Nec modus, quô natura liquorem ad hanc glandulam transmittit, minùs fuit abstrusus, quàm quô eundem à glandulâ iterum reducit, vasis reductoriis à glandulâ æque, ac adductoriis ad infundibulum sub obscurô latitantibus; modus verò transsudationis, quem *Vieussenius* excogitavit, maximoperè improbabilis existit, utpotè qui methodo naturæ per totum corpus neutiquàm conformis est.

Imò hic transsudationis modus locum hîc invenire posse minimè videtur, modò contemplemur hanc partem in brutis, quorum integumenta sunt extra modum densa; dura Mater enim, prout ipse observat, cingens arctè eam in quôvis latere, (id quod Author advertens prævidit, quid objici possit, ad quod respondere non valeret,) majorem eam in brutis, quam hominibus efficere necesse habuit; quibus ultimis certè non sine ratione talis conformatio contigit, quatenùs rete in duplicaturâ quâdam, forsan duræ Matris, in utrôque latere partis posterioris Sellæ Turcicæ, ac si una ejus lamina supra os subjacens, & altera super glandulam pituitariam esset expansa, situm est; (aliter tamen disponitur in brutis, ut dictum,) nihilominus non opus fuisset istâ divisione in hôc loco, nec Author ejus rationem adfert; (quod assertum ejus nudam esse conjecturam innuit, siquidem Membrana hæc novas emittere valet productiones, duplices æque, ac simplices, ut ex duobus ejus processibus eminentibus antè descriptis, & sinubus, apparet; id quod pariter hic locum habet, ubi integumenta hujus partis multò crassioris consistentiæ omninò esse videntur, quàm ut imaginariæ transsudationis viæ admitti possint; idque non solùm visu & sectione manifestum evadit, sed exindè etiam apparet, quod, licet summâ vi eam digitis comprima-

mus & conteramus, ne minimam tamen humiditatem per ejus antedicta involucra vel integumenta exprimere valemus.

Anxiè igitur in verum hujus partis usum inquirens, de successu autem desperans, nisi veram priùs cognoverim ejus structuram, præter reliquas Anatomicis solennes inquirendi methodos, omnia injectionum genera eum in finem adhiberi solita, ut liquore tinctô, cerâ, & Mercurio, in auxilium vocavi, sed cum exili, si ullo, successu, quem expectaveram. Cera enim texturam ejus penetrare omninò non poterat; Liquores tincti non nisi superficialiter admittebantur; & Mercurius, in quô summâ locata erat spes, pondere suo, quàm cautè etiam id suscipiebam, vel latera infundibuli, ubi discedit hoc à Cerebro, perrumpebat; vel in majores globulos secedebat, quàm quos angustæ extremitates recipere poterant; unô Verbo: Oleum & operam perdebam.

Coactus igitur paulò ab ulteriori in hujus partis usum, tantis tenebris obvolutum, inquisitione desistere majoris lucis in investigandâ veritate (quæ ut omnis alia res magni valoris in obscuró latitans non sine summò conatu detegi potest,) acquirendæ gratia, operæ pretium mihi facturus videor, si circumspiciam, quid auxilii nobis sedulum in appendicis ejus seu Infundibuli structuram scrutinium adferre valeat.

Infundibulum itaque est subtilis ductus medullaris involutus & à piâ Matre, & ab interna concava Cerebri superficie descendens. Cum igitur ratione suæ amplitudinis in uno, & angustiæ in altero termino figuram exprimat & usum præstet infundibuli, hoc ipsi nomen ab Antiquis est impositum.

Ubi in glandulam se inserit, à piâ Matre in hominibus firmiter investitur, & ab eô locó nullâ manifestâ præditum est cavitate, quam vel flatûs, vel styli ope detegere potuerim; sed medullari omninò gaudet substantia, In ovibus verò vel vitulis in quibus vel partes majores sunt ad flatum per tubulum termino ejus propè glandulam insertum tractum ejus ulteriorem in superiori parte paulò elevari, & insignem lymphæ quantitatem, ac si hæc in quibusdam tubulis aut substantia porosa glandulæ latitaverit, regurgitare conspexi.

Hæc differentia nullo verbô à *Vieussenio* est commemorata, adeoque quæcunque circà hanc partem tradit, primariò, si non omnimodè, structuræ ejus, quam in hominibus habet, applicari posse videntur.

Duas

Duas illas divisiones seu ramificationes, quas dictus Author in ovibus, vitulis &c. unam versùs antèriora, alteram versùs posteriora collocat, nunquàm non inveni, prout ille describit; verùm an prior eum in modum protendatur ac terminetur prout ille refert, dubium mihi videtur; semper enim observavi, extremitatem hujus partis in brutis circa supremam glandulæ superficiem, in hujus ipsam substantiam quasi desinere, & postmodùm penitùs obliterari; idem quoque in hominibus vidi, nisi quod illa statim ac ad glandulam accessit, nullis emissis vel circa anteriora vel posteriora productionibus, terminetur.

Usus certè hujus partis in eô consistit, ut à magna illâ concameratâ cavitate Cerebri aliquam humiditatem ab interioribus ejus partibus ad glandulam pituitariam deferat, cujus pariter officium est, ut hanc transmissam humiditatem recipiat & aliorsum ableget, verum quâ ratione hæc humiditas in antedictâ cavitate colligatur, aut quandò eadem in glandulâ collecta ablegetur, determinare nobis tenebris his involutis non licet.

Me non latet, Philosophis visionariis nihil magis accidere, quam ejusmodi dexteritatem, & recordor magnum *Willisium* in glandula pineali & plexu choroideo, & accuratissimum *Vieussenium* in plexu quarti ventriculi venam pro lymphæ-ductu venditare non vereri, sed quàm conforme hoc structuræ rationali seu mechanismo partium fit, neuter hactenùs explicare conatus fuit.

Jam quod plexus & glandulas anteà descriptas attinet, ex hactenùs detectis & antecedentibus paginis commemoratis evidens evadit, lymphæ-ductus tanquam propria vasa reductoria illis non deesse.

Non autem tantum tribuo conjecturis, ut asseverem præsentem glandulam lymphæ-ductibus esse instructam; sed hoc dico, me habere Infundibulum pro merô Lymphæ-ductu diversimodè per glandulam pituitariam ramificato, & suum liquorem per exiles hos ramos in venas, dispersas per hanc partem, eliminante, ut ille juxta modum aliis glandulis secretoriis solennem ad sanguinem revehatur.

Hancque conjecturam maximè confirmare videtur major hujus glandulæ, in brutis potissimum, humiditas, quam qua ulla totius corporis gaudet; quatenus hæc glandula lympham tam à diversis

arteriis per eam dispersis separatam, quam â cerebro ipsô huc depluentem exterminat.

Atque duplici huic modo seu duplici officio secretionis debentur duæ distinctæ substantiæ, ex quibus ea consistere videtur; quarum altera albida lympham ex Cerebro derivatam eliminat, altera rubicunda illam immediatè ex sanguine secernit.

Tandem modum quod attinet, quô lympha per infundibulum à Cerebro ad glandulam pituitariam descendit, eum mihi concipio sub forma vaporum condensatorum, ab arteriis plexûs choroidei ortorum, hucque transmissorum, ut productio interior piæ Matris, super ejus parietes undique dispersa humidâ & in legitimô ordine conservetur; hæc enim cum in se sit pars membranosa sicca, facili aliàs negotiô damnum inferret subtili parti medullari subjacenti, & cum eâdem contiguæ; in hâc enim continuus est Spirituum animalium motus, quorum ductus & per consequens ipsi à minima hujus membranæ intemperie obstrui vel confundi facillimè possunt.

Hanc autem lympham solummodò ex vaporibus antedictis resultare, eò certiùs credo, quod nunquam lympham eô in locô in Cerebris sanis, nec in morbosis conspexerim, ubi plexus choroideus affigitur, & absque fundamento statueretur, eam à sero in aliâ Cerebri parte extravasatô produci.

CAPUT X.

De Glandula Pineali.

GLandula à figurâ Pinealis vocata magnitudinem circiter habet pisi, duabus prominentiis, Nates appellatis, & inferiùs describendis, ad finem tertii Ventriculi immediatè sub parte lata & postica fornicis (cum quâ tamen non connectitur, secùs ac *Vieussenius Lib. I. Cap. 11.* tradit,) præfixa & supra eam rimæ in tertio ventriculo partem, anus vocatam, sita.

Natibus jungitur per radices quasdam fibrosas, & eam plexus choroidei partem, quæ hic sita est, suffulcit.

In Cerebro hydropico pueri strumosi eam usque adeo tumefactam, ut solitam magnitudinem ter superaverit, & ratione copiosæ lym-

lymphæ gelatinosæ in eâ tam copiosè stagnantis perfectè transparentem conspexi.

Patet igitur exin, eam meram glandulam, & quidem si ea, quæ diximus, & in Cerebro hôc hydropico invenimus, repetamus, conglobatarum vel lymphaticarum speciei inferendam, adeoque pro receptaculò Spirituum animalium juxta *Vieussenium loc. cit.* vel sede animæ juxta *Cartesium* minùs aptam esse.

Verum quidem est, duos hic dari elegantes tractus medullares, qui à duabus radicibus fornicis, ut videtur, oriuntur, & juxta longitudinem thalamorum nervorum Opticorum usque ad glandulam protrahuntur; (Hos *Vieussenius Lib. I. Cap. 11.* nuncupat Tractum medullarem, nervorum Opticorum thalamis interjectum ac si unicus esset tractus, prout etiam delineavit *Tab. VII. G. G.* cum tamen duo, in quolibet latere unus, existant,) ibique inflexi instar processus arcuati coalescunt, ut dictus Author benè observavit, eosque tractus medullaris natibus antepositi nomine donavit; Atque exindè procul dubio suus natus est error *Cartesio* (prout *Willisius Cap. 14.* non sine ratione annotat,) cujus sublimis & admiranda Philosophia majori se haud dubiè commendasset utilitate, si plus temporis dissectionibus, minus speculationibus tribuisset; ut & *Vieussenius*, cum quo pariter eandem fovent sententiam *Muraltus* & *Willisius*; Institutа verò accuratiori inspectione, qualem Cerebrum antedictum suppeditabat, nullam processus dicti partem, quanquam ad glandulam propiùs accedat, in eam inseri, patebit.

Doctor *Wharton* pariter lapsus circa hos medullares tractus, locum eis inter nervos ipsos tribuit, & eundem adscribit usum, quem nervos diversis in corporis partibus præstare absque ratione asserit, videlicet, ut à cruribus medullæ oblongatæ, vel thalamis nervorum Opticorum (qui non diversam à cruribus constituunt partem, sed in alterô latere seu parte superiore Cerebri hoc saltem nanciscuntur nomen,) quos pro Communi habet Sensorio, humorem aliquem superfluum separent.

Arteriis & Venis gaudet cum reliquis glandulis communibus, venæ quidem in quartum seu interiorem sinum desinunt, quod etiam lymphæ-ductus forsan faciunt, si qui conspiciantur.

CAPUT XI.

De *Cerebro in Genere.*

CUm vasa Cerebri superius jam descripserim, delineationem nunc exhibebo ipsius Cerebri, sub quô nomine communiter Cerebrum, Cerebellum & Glandula Oblongata comprehenduntur, quæ partes cum diversimodè à se invicem differant, operæ precium erit, distinctam earum & methodicam tradere descriptionem.

Cerebrum igitur, quatenus à reliquis duabus distinguitur partibus, amplum illud & sphæricum maximè corpus est, quod primum conspectui offertur, si methodo antiquâ cultro Anatomico subjiciatur; Replet maximam partem spatii, quod Cranium in se continet, & conflatur ex duabus substantiis, ab *Archangelo Picolomineo pag. 252.* primùm observatis tàm colore, quam consistentia & officio à se distinctis, unà albidâ, magis compactâ, medullari seu fibrosa; alterâ molliori, cineritiâ, & glandulosâ existente.

Inter Recentiores Malpighius in Tr. de Cortice Cerebri, quicquid mediantibus microscopiis detegere potuit, in eo consistit, ut partem corticalem ex glandulis ovalis & depressæ figuræ, & quidem conglomeratis (sed quam benè hoc adstruxerit, & nervos ductus harum excretorios nuncupaverit, aliorum relinquo judicio,) & medullarem ex variis fibris dictis glandulis immersis & ab eis productis succumque nerveum sic dictum ab his acceptum derivantibus conflari dixerit. Succus hic nerveus an detur sub ea forma, qua communiter describitur, quasi sit corpus fluidum, intra nervorum cavitatem instar aquæ intra ligneos vel plumbeos canales pro nutritione & sensatione præstanda contentum, & continuo decurrens minus probabile videtur; explicari tamen facilius poterunt duo illa phœnomena, quæ pag. 63. proponit, quorum alterum sanguinem, alterum tensionem naturalem partium sensibilium tam circa originem, quam continuatam vel elongatam earum productionem per liquorem à sanguine diversum per has æque ac reliquas totius corporis partes circulantem conservatam respicit. Idque quo modo fiat, clarius apparebit, postquam in connatam partium structuram accuratius inquisivimus.

Curio-

Curiosissimus *Lövvenhœckius de Struct. Cerebri pag. 37.* melioribus forsan instructus Microscopiis altiùs in duarum harum partium texturam investigando penetrat, & partem corticalem pellucidam vitream oleosam substantiam (quam oleaginositatem solummodò purissimo liquori stagnanti, & post Creaturæ mortem frigefacto adscribo,) vocat, talemque in ea globulorum innatantium positionem, quæ radiis luminis incidentibus liberum absque refractione transitum concedit, servari perhibet; contrariam verò in alterâ seu medullari Cerebri parte eorum observari dicit dispositionem, ita ut lumen rectis lineis penetrare non valeat, sed aliquatenùs reflexum colorem albicantem producat; quanquàm *Malpighius de Cort. Cerebr. Cap. I.* & Cerebri partibus diaphanéitatem, & Spiritibus animalibus omnem cum lumine affinitatem deneget.

Certum est, idque ex propria ipsius confessione, quod quam subtilem etiam & diligentem adhibuerit inspectionem, ab omnibus tamen dubiis liberari non potuerit; sunt tamen quæ ad nostrum, scopum multùm faciunt, ut corpora reticularia rubro colore splendentia, quæ cum in partibus corticalibus copiosiora sint, quam in medullaribus, cineritium illum seu ex albò livescentem colorem, ut eum vocat, illis concedunt.

Item transparens vitriolica substantia in minutissimis vasis contenta; undé apparet, duas dari liquorum species in parte Corticali, alteram colore rubrò tinctam seu sanguineam in amplioribus vasculis retentam, cujus globuli, à quibus color rabicundus producitur, propter sui magnitudinem vel figuram intrare nesciunt exilia illa vasa, quæ cum fluidò, quod vehunt, transparentem cineritiam corticalem partem Cerebri constituunt; Alteram diaphanam minutissimis coërcitam vasculis, ut modò diximus; Hæcque fidem mihi faciunt, partem hanc corticalem nil aliud esse, quam aggregationem diversorum vasculorum, (quod mihi pariter de totius corporis partibus persuadeo,) varias fluidorum Species continentium.

Horum vasorum quædam magis compositum vehunt liquorem, quem sanguinem communiter vocamus; Hicque dum hanc servat conditionem, ratione globulorum innatantium ruber apparet, & mediante canali justâ magnitudine & figura prædito, & usque ad vasa, quæ venas appellamus, exporrecto, celerem & continuam peragit circulationem.

Alia vasorum Species recipit atque coërcet magis fluidum & simplex

plex corpus, subtilis transparentis naturæ, quod in quibusdam corporis partibus vasis, in quibus vehitur, lymphæ-ductus nomen impertis, ubi autem in illis vasculis continetur, ex quibus maximam Cerebri substantiam, tàm corticalem, quam medullarem conflari constat, sub fluidi animalis nomine venire potest.

Et hanc ultimam vasorum speciem vel pro certâ arteriæ protensione, propter suam exilitatem non alium, quam quem jam nominavimus liquorem, admittente, vel pro tali certè arteriæ productione, quæ suo orificio vel poro exactè respondet fluido, ad quod recipiendum à natura fuit formata, habeo.

Sub eâdem inquisitione microscopii ope accuratè instituta partem Cerebri medullarem eisdem partibus constitutivis componi, apparet, quæ cum alium nactæ sint ordinem, albidicoloris, sub quô hæc pars conspicitur, authores exiistunt, ut mox innui. Præterea tamen, si conjecturis locus concedendus parum abest, quin credo, albedinem hujus partis, si non omnimodè, certè ex parte tali vasorum antedictam pellucidam substantiam continentium angustiæ nunc detectæ deberi, quæ nullum fluidum, cujuscunque etiam sit generis, admittit, nisi priùs in minutissimas particulas seu Leptomeriam sic dictam fuerit reductum. Hæcque ultima vasa magis capillares esse suppono productiones antedictorum vasorum corticalium, quam quales obtinent rubicunda seu sanguinea vasa, talique poro præditas, qui nisi subtilissimum, purissimum & fluidissimum humorem non recipiat; atque hunc pro verò medullari & nervoso succo in propriis contento capsulis habeo. Quæ capsulæ dum in fasciculum colliguntur & extra Cerebrum protenduntur, crassioribus & validioribus investiuntur integumentis à duabus Cerebri menyngibus productis, ac eam partem constituunt, quam nervum appellamus; Cum igitur Nervi integumenta seu membranosa sua involucra turgida & à contento fluido, lentè & placidè à primô fonte continuô decurrente, tensa nunquam non servent, & angustiores semper evadant, donec in exilissimos poros, fibrillæ ordinariò vocatos, desinant; contingit, ut omnes impressiones internæ quâcunque datâ occasione facilius & celeriùs per eos transmittantur.

Nec absonum judicavi Nutritionis (quæ propriè loquendô nil, nisi appositio est partium nutrientium ad partes præexistentes nutriendas,) in reliquis corporis partibus ideam exindè pariter deducere, per Microscopia luculenter observavi, venas nihil esse, nisi arteriarum

cor-

continuationes, & sanguinem in unô eôdemque canali diversimodè modificato vehi absque ulla extravasationis suspicione. Scilicet succus nutritius continuò transmittitur ex poris arteriarum, quæ post tot distorsiones vitium capreolorum instar (quibus rubra corpora reticularia *Leeuvvenhœckii* in cerebro respondent,) in capillares desinunt tubulos seu poros, æqualis magnitudinis & figuræ, universam corporis compagem carnosam constituentes. Hujus enim substantiam totam vel injectione aquæ elutriatam ex vasculis copiosis ac exilibus fibris conflari cernimus, quas sivè nerveas, sivè membranosas, sivè tales, quæ ad motum muscularem præstandum requiruntur, communiter carneas vocatas, parvis distinctis vasculis, communicando vel recipiendo proprio liquori seu fluido destinatis, prout jam exposui, refertas esse suppono. Qui humor intra dictos tubulos seu poros contentus, quamdiu hi naturalem constitutionem seu proportionem servant, ille ipse est, qui bonam corporis dispositionem & vigorem conservat, dum interim subtiliores ac languidæ particulæ per vasa lymphatica continuò reducuntur, & magnâ ex parte per insensibilem transpirationem eliminantur; quam non solummodò in superficie corporis per glandulas cutis, verùm etiam per totam partium internarum texturam ope exilissimorum canaliculorum seu meatuum in ipsis visceribus contingere mihi persuadeo; quo pacto mentem forsan *Hippocratis*; *omnes res conspirabiles & transspirabiles esse* asserentis, assequi poterimus.

Horum igitur vasorum exilitati tribuendum, quòd Physici circa hoc subjectum adeò anxii rem eum in modum explicaverint, qui ratione satis comprehendi non poterat. Coeteroquin non paradoxum est statuere, dari vasa vasorum in infinitum, quorum alia liquores continuò & velociter circulatos, alia modicè protrusos vehunt; Hæcque neminem mirum tenebunt, qui considerabit, quod modò laudatus Ingeniosissimus *Leevvenhœck*, *pag. 46* computaverit, vix sexagesimam quartam partem myriadis de substantia, parvum fabuli granum magnitudine superante, inprimis si rigida minusque flexilis hæc fuerit, vasa hæc exilissima intrare posse, quæ sub retiformi textura hinc indè dispergi, & ad antedictos pellucidos globulos, qui in exilibus vasculis natantes corticalem & medullarem cerebri substantiam constituere detecti sunt, affigi cernuntur; item quod tenuissimæ tunicæ exilissimorum horum vasculorum antedicta corpo-

ra globosa fluida continentium aliis multò exilioribus repletæ sint canaliculis.

Tantum igitur abest, ut vasculârem hanc partium constitutionem admirer, ut non videam, quâ ratione natura aliter agere, & infinitam accretionem impedire potuisset; quatenùs particulæ alicujus fluidi extravasatæ multum de motu suo progressivo deperdunt, & si crassiori gaudeant consistentia, per ampliores vias proscribuntur, sin subtiliores, seu per transpirationem insensibilem: ita ut cujuscunque etiam materiæ particulæ continuò pro augmentatione vel reparatione partium appellant, hæ necessariò (modò subjectum ipsum non prius pereat, ut in morbis ab ejusmodi causis provenientibus frequenter contingit,) in monstrosam præternaturalem molem cumulentur, nisi à vasis recipiantur; siquidem ratione suæ crassæ consistentiæ minùs sunt capaces, quæ sub formâ vaporum vel exhalationum subtilium sub ea, quâ adveniunt proportione, eliminentur.

Præter rationalem naturalium functionum explicationem, quam hæc hypothesis nobis suppeditat, videtur eadem egregium affundere lumen variis, iisque maximis difficultatibus, quæ circa animalem facultatem, quæ Sensationem & Motum muscularem comprehendit, Physiologos subtilissimos æque, ac sagacissimos hactenus exercuerunt; hunc igitur nunc in capite proximo tractabo, priorem ad ultimum, quod de Sensatione & Motione in genere agit, reservaturus.

CAPUT XII.

De Motu Musculari.

PArum profecuum esset seriem hic texere opinionum; quas Authores circa hoc subjectum foverunt; siquidem brevem earum delineationem jam exhibuit Dominus *Colbert in Philosophia suâ Veteri & Nova*; ut taceam, illas, quæ veritati propriùs accedere hactenùs fuerunt creditæ, non solùm non probabiles esse, verum etiam sanæ rationi & materiæ facti planè repugnare; quarum exempla præbent *Willisii de Motu Musc. pag. 35.* tendinosa reservatoria Spirituum animalium, *Mayovv de Motu Musc. p. 73.* contorsiones fibrarum, cui denuò Dominus *Regius* subscripsit, juxta quem musculus necessariò magnam crassitiei partem perdere deberet, quo tamen nihil magis

expe-

experientiæ refragatur, it. *Duncani* Elementum primum & secundum Carteſii, ex quô Spiritus animales conſiſtere dicit, quod tamen magni hujus Philoſophi principiis repugnat, qui hiſcé corporibus ipſis omnem elaſticitatem, quam tamen in aliis præſtant, denegat; pariter Doctoris *Cranii de ratione Motus muſcul. pag. 23. 24. 25. ſeqq.* ſuppoſitum, quô ſanguinem æque, ac Spiritus animales verſus muſculos ab anima moveri docet; & tandem extravaſatio amborum horum liquorum intra fibrarum interſtitia, & eorundem ad inflationem præſtandem in fibras ipſas introitus, qui pariter error immortalem *Borellum de Motu animal. p. ult. prop. 23. & pluribus aliis locis* cepit, cujus diſcurſus imaginarius circa hoc ſubjectum à reliquis in excellentibus ſuis operibus traditis valdè abludere videtur.

Quodſi igitur in memoriam revocemus, quæ hactenus circa ſtructuram partium fuerunt allata; videlicet partem medullarem Cerebri nil niſi Contextum vaſorum; ejusque propagationes nerveas ſeu nervos pariter vaſorum, primariò ſub filamentorum nomine venientium, multoque anguſtorum, quam quæ in Cerebro ſunt, compagem eſſe; hosque nervos fibras cujuscunque generis partium ſenſu prædítarum æque ac carnoſas & tubuloſas muſculorum producere, ſeu ad minimum in eas terminari; non incongruum erit inferre, corpora hæc fluido, quod vehunt, nunquam non turgentia Objectorum impreſſiones transmittendi vel recipiendi æque eſſe capacia, ac ſi juxta longitudinem inſtar chordæ in arcu ab utrâque extremitate eſſent extenſa, prout *Borellus* obſervavit.

Et Motum muſcularem quod attinet, ex eo, quod ante dictum eſt, videlicet, fibras carneas & nerveas nil niſi congeriem eſſe fluidorum in vaſis contentorum, & invicem communicantium, & propter plenitudinem in fibris iſtis ſuppoſitam, univerſam machinam in conſtanti ſervari æquilibrio, neceſſariò ſequitur, juxta commune poſtulatum (quod eſt, animam ſenſitivam ſeu rationalem Spiritus animales, fluidum nerveum mihi dictos, ad primum aliquem impetum ſeu motum localem urgere poſſe; & ad quos omnes homines in talismodi explicationibus nullô non tempore obligantur,) partem aliquam hujus liquoris in muſculi contractione per vaſa, in quibus continetur, à magno Reſervatorio, Cerebro, ad fibras ejus carneas tranſmitti, atque in harum vaſis multò anguſtioribus, quam vaſa nervorum ſunt, vi illius impetus rapidiſſimè propelli, (cujus effectus explanatione non indigent illi, qui circa naturam fluidorum, &

mechanicas motus projectionis Leges probè sunt versati,) sicque intumescentiam seu inflationem musculi producere ; eundemque liquorem eôdem tempore , eâdemque velocitate à musculo antagonista in spatium prioris , qui à cerebro ad musculum contractum ablegatur , pro plenitudine conservanda , seu juxta Veterum hypothesin ad vacuum evitandum repelli. Et si quis objiciat , longum iter, quod liquor à musculo relaxato emetiri debet , æqualem impedire velocitatem liquoris retrocedentis , ei respondeo , spatium vacuum primo factum eam abundè compensare.

Et hâc occasione non possum non monere , quod omnes illi,qui pro Spiritibus animalibus , similibus illis , quos per Ignem ex quibusdam subjectis elicimus , tanquam adæquato medio , quascunque motûs muscularis species producendi , pugnant , vel ad certos tractus seu interstitia , inter filamenta nervorum à Cerebrò tanquam origine per totas eorum productiones usque ad musculum continuata; (ut Cartesiani faciunt,) vel ad certum succum nerveum tanquam locum , in quô subsistant, (quam sententiam plerique modernorum, & inprimis *Vieussenius* amplexantur ,) per quas vias sivè ex quô succô subtilia & invisibilia hæc corpuscula vel voluntariè ex imperiô animæ , vel inadvertenter ex quâdam interna vel externa impressione transmittantur ad motum excitandum , refugium capere teneantur ; quod si hoc verum & unicum remedium est promovendi motum muscularem , liceat mihi quærere , qui fiat , quâcunque harum positâ hypothesi , ut si quis flectat brachium meum contra voluntatem meam , musculos flectentes brachium æque intumescere, ac si aliàs voluntariè vel inadvertenter fuerint contracti , quod quidem D. *Croone p. 7.* satis benè observavit , sed non sufficienter explicavit , nec quivis alius quod noverim.

Ex nostrâ verò modò allegata hypothesi haud difficulter explanari potest , quomodò hic, vel quicunque alius contractionis modus in musculis fiat. Ubi enim musculus contrahitur ex animæ jussu, pressio incipit à fluido in Cerebro , hinc omne , quod interjacet, illique continuum est , fluidum abit ad partes movendas, eadem fluidi proportione in eodem instanti à relaxato musculo in factum spatium translata ; sin verò musculus contrahatur à vi externâ antè nominata , brachium contra voluntatem meam flectente , fluidum in relaxatis carnosis fibris seu vasculis contentum transmittitur per totum fluidorum tractum versus contractam partem , ita ut necesse non sit

ineptas

ineptas ſiccæ & humidæ partis ſucci nervei perſuaſiones, coecas vias inviſibiles tubulos, inter antagoniſtas muſculos vel valvulas nervorum ſupponere, cum ſoli æquilibrio hæc omnia ſint adſcribenda fluidorum in vaſis, ex quibus partes conflantur contentorum. Interim non diſplicet ſolutio hujus problematis, quam quidem ſuppeditarunt ex aliâ hypotheſi, ſupponendo ſcilicet æqualem tenſionem ſeu elaſticitatem in omnibus muſculis totius corporis; undè contingat, ut, quando nova alia vis adventitia vel maximè debilis fibris alicujus muſculi ſupervenit, e. g. in motu voluntario, aut dum potentia elaſticitatis in muſculo antagoniſta per vim externam augetur, ut in allegato exemplo motus involuntarii videre eſt, alter muſculus tum contrahatur.

Quemadmodum igitur hanc concurrentem cauſam in utrisque caſibus experimentum, ubi diſſecto vel circa extremitates, vel in medio muſculo, fibræ vi ſuæ elaſticitatis naturalis vel ad unam, vel ad utrasq; extremitates contrahuntur, confirmat; ita pro verò eam accipimus, ſoli tamen huic contractionem deberi, negamus.

Nam in primo caſu contractionis ſcilicet voluntariæ, conceſſum eſt, eam per Spiritus à Cerebro in fibras carneas, (cui contrariam *Stenonis* hypotheſin dudum jam refutavit *Borellus in Libro de Motu animalium*,) transmiſſos perfici, ita tamen ut συμπαξις elaſticitatis naturalis fibrarum, ex quibus muſculus contractus conflatur ſuam ſymbolam addat.

Sic pariter rigiditatem vel duritiem in muſculis contractis, quâ viſui & tactui indurati quaſi & inflati (prout etiam reverà ſunt,) videntur, abſque Spirituum animalium vi quâdam adactorum interventu ſubſiſtere poſſe nego, ſivè voluntariè, ſivè involuntariè moveantur; Ad quod confirmandum dico, quanquam fibris carneis muſculi cujusdam quôcunque modò diſſectis pars contracta poſſit evadere, & ſine dubio evadat craſſior propter fibrarum abbreviationem, hanc tamen ſolam rigiditatis & duritiei neutiquam exiſtere cauſam, prout in muſculis ab externâ cauſâ contractis contingere videmus, nec ullam ejus urgere neceſſitatem à quâdam Mechaniſmi lege impoſitam; ſiquidem fibræ propter ſuam vim elaſticam tantum abbreviatæ datô in vicinia ſpatio non habent neceſſe, ut ſubintrent partes, quod tamen ad rigiditatem, & duritiem parti caidam, dimenſiones ſuas à longâ & gracili ad brevem & craſſiorem mutanti (prout muſculi faciunt,) conſtituendam ſemper requiritur. Et ex hôc neceſſariò ſequi-

quitur, rigiditatem & duritiem in musculo externâ vi contracto (ubi Cerebrum omninò feriatur,) deberi fluido seu Spiritibus à musculô antagonista secundum explicatum modum ad illum transmissis.

Descripturi igitur, quid fluidum animale sic dictum sit, non est, cur etiam de illis nobis formemus Ideam, quam qualem ordinariò de liquoribus purissimis habemus; siquidem nervi substantiæ sunt, quæ juxta olfactus & gustus sensum insipidæ nunquam non referuntur inter partes minimè calidas corporis, ac proin sinè dubiô in piscibus adhuc minus calidi existunt, quam in nobis, cum tamen illi æque magnam Spirituum copiam, ac alia creatura, generent. Atque hâc forsan ex causa inductus *du Hamel* Spiritus animales vocat frigidiusculos.

Evidens satis est, vasa fluidum hoc vehentia valdè exilia existere, adeòque contentum in eis subtilissimæ esse ac depuratæ consistentiæ, non tamen antè dictis agilibus Salinis vel Sulphuteis corporibus Ignis torturâ productis comparandum.

In vasculis hoc, incurvis licet vel reticulatis, coarctatum, motu continuô, moderatô & directô movetur à fonte primariô versus terminos fibrarum carnosarum, & exindè per solum forsan filtrationis modum ad productiones membranaceas vel tendinosas, prout fibræ terminantur, transfertur; an verò hoc in istis æque, ac in aliis partibus, inprimis glandulosis, motui musculari non subservientibus, uberiorem tamen nervorum ramificationem nactis, alius usus gratiâ, quam ut partium naturalis tonus ad ritè paragendum secretionis munus conservetur, contingat, controversum manet; non obstante eo, quod hactenùs in contrarium fuit adductum, quatenus resolutio est stupor partium, quæ obstructorum disruptorumque nervorum communia sunt symptomata, per earum atoniam æque explicari potest, quam per fluidi hujus suppositi defectum. Et quoniam talia symptomata partibus musculosis in dictis casibus obtigerunt, ansa procul dubiô Medicis suppeditata fuit, de hujus fluidi existentiâ & usu per totum corpus formandi conceptus.

Quæ hactenùs dicta sunt, non parum confirmat Experimentum frequentiùs adornatum, injectio scilicet in arteriam canis vel cujusvis talismodi creaturæ morientis; hâc enim factâ etiam immediatè contractio sequitur musculorum, pro diverso horum robore modò major, modò minor, scilicet extensorum in pedibus posticis, & flexorum in anticis, etiamsi injectio solummodò Aquâ frigidâ fuerit instituta

stituta; cujus phænomeni ratio non solùm facillimè patebit, si repetamus, vasa sanguifera intrare ipsam nervorum texturam; verùm etiam hypotheseos probabilitas exindè evincitur.

Quodsi quis excipiat, promto huic & momentaneo refluxui fluidi animalis contrarium & impedimento esse antè commemoratum constantem directum motum, quem servat â primâ origine versus partes moventes; facile respondemus, Lentum ejus motum directum per impulsum violentum musculi fortiter relaxati facilè superari & repelli. Si ulteriùs quæratur, quî contingat, ut in exemplo adducto brachii vi flexi fluidum animale versus musculum, qui ex hâc causâ jam dum contrahitur, potius, quàm ad quosvis alios, â quibus omnibus indifferenter admittitur, refluat? non arduam responsionem fore credo, si perpendamus, eôdem tempore, quô musculus arcetur â contractione, alterum ad eam compelli, indeque evenire, ut carnoso-tubulosæ fibræ musculi movendi, â præponderante antagonistæ vi liberatæ necessario propter suam elasticitatem recipiant suam cavitatem, quam musculo extenso perdiderant; sicque spatio hoc concesso fluidum refluens juxta leges librationis necessario huc compelli; ut taceam motum habitualem Spirituum animalium seu fluidi â plurimis Authoribus, inprimis *Borello*, tanquam causam hujus effectus adductum.

Tandem quanquàm non dubitem, pleraque phænomena sensum & motum concernentia deduci posse ex hac Theoria, licet simplicissima; tantum tamen abest, ut ei soli adhæream, ut quamcunque aliam amplexurus sim, quæ majorem veritatis speciem præ se ferat, subjiciens, quæcunque dixi, candido judicio eorum, qui majori ingenii felicitate describunt alias partes Cerebri, prout se offerunt in moderna dissecandi methodô.

CAP. XIII.

De Cerebro in Specie.

POstquàm hanc partem hactenus descripsimus & consideravimus in genere, quatenus ea consistit in duabus diversis substantiis, quæ communiter partes ejus similares, & scaturigines omnis sensus & motionis appellantur, nunc eadem magis specialius consideranda venit, respectu partium ipsius dissimilarium seu conformationis; hinc non inique fecerimus, si primum externam, tum internam ejus faciem persecutemur.

Externè convexum & corticale est Cerebrum, in duo hæmisphæria per pri-

primum processum duræ Matris, Falx nuncupatum, â processu osseo, Crista galli appellato, usque ad posticam Cranii partem exactè divisum, & super Cerebellum incumbens, â quô pariter per processum secundum duræ Matris perfectè distinguitur, ne huic aut mole suâ, aut pulsatione molestum evadat.

Prior divisio usque ad corpus callosum; posterior ad ipsam medullam oblongatam penetrat.

Præterea imperfectè dividitur in quatuor Lobos, quorum duo minores anteriorem, duo majores posteriorem locum obtinent.

Divisiones hæ optimè apparent in dissectione Cerebri inversa seu Varoliana, distinctæ quasi per quatuor ramos arteriæ carotydis, quorum duo circa anteriora, & unum in quolibet latere conspiciuntur.

Has imperfectas voco Divisiones Cerebri, quia quanquàm pia Mater una cum jam dictis ramis arteriæ magnæ inter eas decurrat; nihilominus tamen per fibras tàm membranæ, quam vasis sanguiferis cohærent.

Sic imperfectè etiam dividitur per totam exteriorem Corticalem partem â piâ Matre, licèt non adeò profundè; partim ut vasa sanguinea hanc intrent sub magis subtilibus & reticularibus ramificationibus, partim ut per pulsationem arteriarum glandulæ interjacentes corticales (seu potius vascula) magis liberè suum secretionis munus perficiant.

Ad hæc, si interior ejus inspiciatur facies, apparet concava & medullaris, ab extremitatibus seu apicibus medullæ oblongatæ, processus lentiformes seu juxta *Willisium* Corpora striata appellatis, vel potius â superiori parte Centri ovalis *Vieussenio* dicti, quod magis in anteriore locô positum est, oriunda.

Ab his statim deflectit ex utroque latere retrorsum in modum convexitatis, haud procul â natibus & testibus, sub quibus utrinque jungitur cruribus medullæ oblongatæ, in parte inferiore, & continuatur partibus, crura fornicis dictis.

Media & superior pars hujus medullaris substantiæ Veteribus audiebatur Corpus callosum; Sed *Vieussenio Lib. I. Cap. II.* dicitur fornix verus ex munere, quod ipsi tribuit, quanquàm mihi ex rationibus antè circa descriptionem duræ Matris & ejus processuum traditis, hoc fornicis munia præstare, vel præstare debere non videatur.

Atque hæc est illa pars, quæ, ut antè notavimus, malè credebatur *Vesalio* aliisque â piâ Matre minus tecta, vestigia vasorum sanguineorum nulla habet, quæ conspici possent, ut in aliis pluribus medullæ cerebri partibus.

Est

Est hæc medium combinans partem medullarem utriusque hæmisphærii, ornatum striis transversis per se distributis â quolibet modò dictorum hæmisphæriorum latere, inter quæ tamen septum lucidum tantummodò interponitur.

In hac ampla vel primaria Cavitate continentur tres ventriculi, fornix, septum lucidum, corpora striata, thalami nervorum opticorum, radices fornicis, tractus intermedius corporum striatorum, tractus medullaris thalamis nervorum opticorum interjectus (qui jam descriptus est) vulva, anus, & rima seu introitus in glandulam pituitariam per infundibulum, & glandula pinealis (cujus descriptionem pariter dedimus) de quibus omnibus breviter in ordine agemus.

Tres ventriculi fornice prope suas radices, remoto & super nates, testes & glandulam pinealem reflexo unam tantùm cavitatem exhibent, qui latera occupant, laterales dicti, complectuntur Corpora striata, thalamos nervorum Opticorum, & crura medullæ oblongatæ; rima quoad â fornice tegitur, & crura medullæ oblongatæ dividit, pro tertio habetur; vid. Fig. V. A. A.

Ab Extremis ventriculorum lateralium limiibus â parte antica ad posticam exsurgit spatium, Centrum ovale dictum *Vieussenio* Tab. X. A. A. magnum illud ex ejus opinione dispensatorium Spirituum animalium, cujus partem anteriorem *Willisius de Anima Brutor. T. VIII. E.* Limbum anteriorem corporis striati nuncupat.

Fornix, de quô vid. Fig. V. A. A. est pars medullaris orta â duabus radicibus partis anterioris basis Cerebri, situm nacta inter & super partes superiores thalamorum nervorum Opticorum, quæ radices ex parte anteriori Gemini Centri semicircularis, *Vieussenio* vocati, instar duorum amplorum nervorum, provenientes, conjunguntur tandem & constituunt latum corpus medullare, quod ad aliquod spatium anterius inter Corpora striata productum, & posterius ad tractum tertii ventriculi decurrens latiorem, sed versus extremitates (â *Vieussenio* T. VI. D. fimbræ appellatas) exiliorem acquirit superficiem; & reflexum tandem versus partem posticam ventriculorum lateralium instar duorum brachiorum, communiter crura fornicis dictorum, parti posteriori corporis callosi redditur continuum, undè inferius subsidit ad latera crurum medullæ oblongatæ, atque Spatium inferius sivè cavitatem duorum ventriculorum lateralium, ab *Aurantio* ventriculi Hippocampi vel bombycini, â *Vieussenio* autem pars postica centri ovalis, quod ratione hujus curvaturæ â figurâ suâ ovali paulo remittit, nuncupatam constituit. Crurum fornicis jam commemoratorum origines in utroque latere *Aurantius Anat. Obs. p. 45.* Hippocam-

pocampos & Bombyces vocat; undè colligo, eum hanc partem in brutis primum observasse, siquidem in his propter partem posteriorem fornicis hôc in locô crassiora evadunt illa, & super posteriores & superiores partes thalamorum nervorum Opticorum, quæ in brutis, ut ovibus, vitulis &c magis prominent, quàm in hominibns, extenduntur; hinc quoad formam cristæ complicatæ equorum marinorum, quoad colorem bombycibus similia certas parvas strias, â *Malpighio de Cerebro p. 5.* fibræ nuncupatas, & instar annulorum obliquè se intersecantes formant (secùs ac jam nominatus Author has describit, alium his fibris seu striis tractum attribuens, similem illis qui in septô lucido deprehenduntur, i. e. longitudinalem ;) & superius nervos Opticos amplectuntur in lateribus, inferiùs verò tanquam substantia continuata firmiter eis adhærent, quô in loco â Vieussenio Posterioris veri fornicis, i. e. corporis callosi columnæ vocantur.

Septum lucidum quidam modernorum â fornice oriri, & indè ad internam superficiem corporis callosi ascendere, asserunt; quidam ab hujus versus fornicem descensum prodire perhibent; magis tamen probabile est, ab hoc ultimo illud originem ducere, cum hanc versùs suam partem anteriorem semper duplicem (quod *de le Boë Sylvius* primus *Disp. Med. IV. to. 13.* observavit) & ut *Vieussenius* fideliter refert, in suâ duplicatura ▽ repererim.

Valdè subtile, medullare, transparens est corpus, interpositum corpori calloso & subjacenti fornici, cujus interventu duo ventriculi laterales â se invicem sunt disjuncti.

Corpora striata sive processus lentiformes sunt duæ prominentiæ, sitæ paulò altiùs, & in hominibus magna ex parte in utroque latere thalamorum nervorum opticorum, seu jugum crurum medullæ oblongatæ (quanquàm Willisius asserat, ubi corpora striata terminantur, thalamos nervorum opticorum oriri, quod tamen tantùm in brutis valet;) ac nômen nacta sunt â quibusdam albis striis in eis apparentibus, & oblique versùs medullam oblongatam descendentibus, quæ cineritia substantia apparet, ubi horizontaliter dissecant; vid. Fig. V. J. i. &c.

Descendunt ex utroque thalamorum nervorum opticorum ad illum usque locum, ubi corpus callosum incipit reflecti super crura medullæ oblongatæ versùs eorum partem posteriorem. Satis exactè ea delineari hic curavi, (quanquàm ex inadvertentia striæ fuerint omissæ) cum figuras eorum, si unam excipias, omnes apud Willisium ex brutis desumtas, apud Vieussenium autem inique depictas præter figuram octavam, in quâ pariter striæ neglectæ sunt, repererim.

Thalami

Thalami nervorum opticorum sunt duo corpora prominentia, magis medullaria in exteriore, quàm interiore superficie; ubi concurrunt, duos superiores tractus literæ Y inversæ exprimunt, & partem maximè eminentem crurum medullæ oblongatæ solummodo constituunt; altera seu inferior pars aliam omninò præsentat figuram; & quoniam immediatè â medulla globosa cerebri producuntur, (secus ac Praxagoras & Philotimus volunt, cerebrum non nisi germinationem medullæ spinalis esse credentes, quæ opinio â Bartholino denuo est resuscitata; si qua tamen Partium præcedentia ratione temporis est admittenda, consultius mihi videtur, illud pro origine, quàm productione medullæ oblongatæ habere) commodiùs capita, quàm crurua medullæ oblongatæ vocanda sunt.

Summitates vel Juga, ut dictum, ad se appropinquant, imò conjunguntur invicem, ut rectè Vieussenius contra Willisium (cujus figuræ circa hanc partem falsæ omninò sunt) observavit, præter eum locum, ubi rima ad Infundibulum patens ea dividit, relicto, inter ea angulo obtuso, vid. Fig. V. C. C.

Inter hæc jam memorata corpora medullare Spatium ex utroque latere relinquitur, quod quasi complicatum ipsos circumdat thalamos, recipiens extremitates striarum in corporibus striatis, ubi descendunt ab antedicto Centro ovali, hincque â Vieussenio Geminum Centrum Semicirculare, â Willisio vero Limbi posteriores corporum striatorum vocatur.

Ratiô, cur thalami nervorum opticorum vocentur, desumitur â quibusdam fibris, quæ in eis suppositæ tàm â superficie eorum medullari (â Vieussenio membrana medullaris appellata) quàm ab interiori substantia oriuntur, ac denique circa partem exteriorem combinatæ corpora nervorum opticorum efformant.

Willisius nihil de his fibris commemorat; nihilominus satis commodè â Galeno hoc nomen eis impositum esse perhibet; Vieussenius satis validas eas depingit.

Me quod attinet, nullas unquàm invenire potui fibras in parte eorum externa medullari, interioribus valdè exilibus existentibus, vixque discernendis.

In externâ horum parte semper inveni, sœpiusque demonstravi medullarem tractum satis elegantem protensum inter corpora striata, & ab expansione corporum striatorum posteriori versùs anteriora ad fornicis radices, quibus continuari videntur, descendentem vid. Tab. V. m. m.

In hâc cavitate Cerebri duæ similiter ad Infundibulum, adeoque ad glandulam pituitariam, patent viæ, quarum uni mirum Vulvæ, alteri Anûs nomen

men impoſuit ſitus, quæ unà cum rima inter utrasque locata, ùt antè notavimus, tertium conſtituit ventriculum.

Loca, undè omnis illa Aquæ copia promanat, à recentioribus Anatomicis communiter ſub nomine trium foraminum deſcribuntur talem ſitum obtinentium, ut aqua, ſeu potius lympha proprie ſic dicta) ex omnibus eminentibus Cerebri regionibus per ea ad antedictum Infundibulum delabi queat; quorum prius ponè teſtes ſub valvulâ majori inferius deſcribenda latet; alterum immediatè ſub glandulâ pineali, vel ad principium rimæ ſitum eſt, quæ duo in unam abeunt aperturam ſub Natibus & Teſtibus, à *Vieſſenio* aquæ emiſſarium nuncupatam, & profundè in Infundibulum penetrantem, tertium ad finem rimæ, ſive immediatè ſub radicibus fornicis conſpicitur, omnibus in Infundibulum, licet per duas diverſas vias, deſinentibus.

Commodum eſſe videtur hîc loci de Natibus & Teſtibus quædam commemorare. Hos veteres Anatomici ex ſimilitudine, quam cum his partibus habent, ita appellarunt; ex quô apparet; eos tantùm in diſſecandis brutis occupatos fuiſſe, in quibus talis omninò earum obſervatur forma; in hominibus enim utraque corpora ferè eandem obtinent magnitudinem & formam oblongam, & verſus extremitatem acuminatam: in vitulis verò, ovibus, aliisque quamplurimis Creaturis nates rotundæ, & amplæ; teſtes oblongi paulò acuminati, & valdè exiles exiſtunt; vid. Tab. VII. C. C.

Ante hos proceſſus natiformes ſub glandulâ pineali deprehenditur proceſſus ille tranſverſus, cujus ſuperius mentionem feci, *Vieuſſenio* Tab. VIII. f. proceſſus Natibus antepoſitus & nervuli æmulus appellatus; qui, ulteriori factâ inquiſitione & prolongatis paulò thalamis nervorum opticorum, nervi potiùs, quàm nervuli æmulus eſſe apparet, cùm æque amplus ſit ac iſte, qui po è radices fornicis locatus eſt, cui ille quoad Situm è diametro opponitur, & thalamos nervorum Opticorum, ſicut hic corpora ſtriata, conjungere videtur.

Cui ordini deſcripta corpora ſint inſerenda, difficile dictum eſt, cum neque pro Cerebri, neque Cerebelli appendicibus ſint habenda; imò à medulla oblongata aliquatenus per interſtitium Recentioribus ductus in infundibulum, Veteribus via Spirituum animalium ad quartum vel nobilem ventriculum nuncupatum, dividatur.

Locata ſunt ſupra eam medullæ oblongatæ partem, quæ inter Cerebrum intercedit, ſuperius iſthmus vocatam, atque parti ab Authore ſuo Pons Varolii nuncupatæ oppoſitam. Quibusdam Authoribus, ùt *Bartholino*, *Spigelio*, *Highmoro* &c., duæ poſteriores radices ſpinalis medullæ; *Riolano* verò, ùt & Magno *Veſalio* *Fig. X. A. A. J. K.* & *Fig XI. G. G.* qui eas pariter hôc

hôc modô depingit, processus Cerebelli, quod probabilius videntur, esse credebantur.

Situs eorum intermedius *Willisio* ansam dedit credendi, ea medium quoddam esse, per quod Cerebrum & Cerebellum inter se communicet; Sed quàm verè, aliorum relinquo judicio. Negari equidem non potest, ea esse corpora medullaria, suumque symbolum non minùs ac reliquæ Cerebri partes, addere in fluido animali seu Spiritibus elaborandis. Ubi enim eas dissecui (remotâ prius expansione vasorum sanguineorum reticulari, quæ hic loci valdè larga & in Cerebris cerâ repletis satis conspicua est) ex eâdem hæc ac processum annularem & thalemos nervorum Opticorum (scilicet partim cineritia, partim medullari, & in Cerebris recentibus aliquatenus quanquàm parùm, striata substantia conflari observo.

Nulla restare videtur pars in Cerebro proprie sic dicto, cujus descriptionem nondum tradiderim, exceptâ chordâ quadâm medullari ad finem tertii ventriculi sita & valvulâ majorî.

Quarum prior tanquàm processus medullaris, corpora striata jungens, juxta *Willisium*, *Vieussenio* Commissura crassioris nervi œmula vocatus, est juxta hujus sententiam medium illud seu commissura, per quam geminum centrum semicirculare, inter duo corpora striata superiora anteriora, & posteriora interpositum, & tractus medullaris transversus & obliquus inter duo corpora striata inferiora anteriora & posteriora intercurrens, inter se communicant.

A D. Willisio hæc chorda vel Commissura sub radices formicis locatur; verùm nunquàm non ponè illas sita est, licet eis tantùm contigua.

Valvula major â *Vieussenio* ita appellata diu antè â *Willisio* satis clare detecta, & quoad usum ejus proprium descripta est.

Hæc est membrana crassa (imprimis in hominibus) medullaris, anticùs parti inferiori processus testiformis, paulô ponè processum transversum medullarem, â quô par quartum nervorum vel patheticum oritur, lateraliter verò processui ascendenti â natibus ad Cerebellum circa expansionem ejus posteriorem processui vermiculari anteriori Cerebelli adhærens; nullibi autem, quod sciam, poti varolii affigitur, ut *Vieussenius* tradit, qui aliam pro hôc processu agnovisse partem videtur) nisi ei loco, ubi processus secundus Cerebelli exindè emergit qui cum alterô processu oppositi lateris jnnctus, & circa inferiorem medullæ oblongatæ partem oblique descendens reverà constituit eam partem, quàm Willisius (procul dubio Varolium secutus) protuberantiam annularem, alii â verô ejus Authore Pontem varolii nuncupant.

Dum modò dictus superior processus vermicularis Cerebelli digito elevatus, ut plurimum conspectui se hæc offert ; alias quoque immisso in foramen sub glandula pineali situm flatum statim se prodit.

Usus ejus juxta Vieussenium est, ut arceat aquam ad posterius foramen ponè testes delabentem â qnartô ventriculo, vel vice versa, aut prohibeat, ne illa extravasetur in alterutrô latere madullæ oblongatæ super antedictos processus ; claudit enim se supra nervos inferius â medullâ oblongata circiter oriundos ; qui ultimus usus in dubium neutiquam vocari potest, sivè extendatur ab aquâ præternaturaliter sivè accidentaliter ibidem collecta; lubens enim fateor, nullibi me majorem aquæ quantitatem quàm tertius continet ventriculus, in cataveribus, quæ ex nullô parte hanc affligente morbo interierunt, invenire potuisse, ùt suprà jam notavi. Quod autem attinet viam â Cerebellô versùs ultimum vel tertium foramen, de veritate ejus valdè dubito ex diversis rationibus, quarum non minima hæc est;

Scilicet quoniam plexus choroidæus in quartô ventriculo unà cum partibus adjacentibus eandem nactus est texturam, quam reliqui habent in & circa laterales cerebri ventriculos, rationi conformè est, si supponamùs, aquam hic loci pariter colligi debere ac in aliis Cerebri partibus (id quod ipse concedit) imo æque necesse esse, ut hic loci adsit spatium pro aquâ collecta ventilanda ac in reliquis ventriculis, dum in eos confluit.

Et per consequens non video . quomodo tenuis hæc membrana aquæ, tanquam corpori per poros facilè transeunti, versus eam propulsæ (non obstante suppositâ partis hujus declivitate, quæ in hominibus propter subjacentis & prominentis processus annularis amplitudinem non admodum magna est) viam intercipere possit; mediante enim pulsum aquam huc delatam esse credere fas est, quamcunque in hac cavitate collectam supponimus.

Tandem quascunque etiam dictas Author supposuerit vias, (extremitates scilicet venarum) crassiorem aquæ partem ex hôc ventriculo, in quem â glandulis plexus choroidæi constanter deponitur (quod forsan fieri posse ille concedit, ut dictum) eliminantes, vereor, ne, nisi promtius vas reductorium inveniatur, ipsa medulla spinalis & nervi exinde orti frequenter variis exponantur periculis ; siquidem extremitas hujus ventriculi, calamus scriptorius nuncupata, â spinali medulla perpiam Matrem solum divisa hic apparet, quanquam illa hic loci duplex sit, prout etiam per totam spinam observantur, (ne forsan aqua de pluat super nervos, ex eâ copiosè productos,) lædi tamen facillimè datâ ejusmodi occasione posset; ut taceam, ejusmodi officium venis neutiquam concedi debere, siquidem hæ in statu naturali semper sint continuæ arteriis, ut jam observavimus. Negari non potest, eam impedire posse prolapsum

lapsum aquæ in quartum ventriculum ratione ductus sub natibus antea commemorati, â Vieussenio aquæ emissarium nuncupati, qui aquam promtius præclusâ valvulæ hujus interventu via admittit. Et ex eâdem forsan ratione contingebat, ut in Experimento, quô Vieussenius opinionem suam stabilire conatur, nulla in quartô ventriculo aqua fuerit reperta; hæc enim præcluso per valvulam introitu, per aliam viam immediatè est educta, idque ratione declivitatis commodè fieri potuerat.

CAP. XIV.

De Cerebello.

CErebellum nunc proxime describendum venit, quo supersedere me posse mihi videor labore, cum omne id, quod jam de corticali seu cineritia, & de medullari cerebri parte dictum est, simile modo ad Cerebellum applicandum venit. Differt tamen plexus choroidæus hujus partis ab eo plexu, qui est in ventriculis Cerebri. Plexus hic choroidæus in quarto ventriculo incipit fieri glanduloſus, immediatè sub pari octavo nervorum, indeascendit ex latere caudicis medullaris versus chordalem vel tertium processum Cerebelli & exin intrat quartum ventriculum, ab Aurantio Cisterna Spirituum appellatum, (quem ventriculum, prout etiam hic Author loc. cit. observavit, semper invenilatiorem quam longum, & duplicem, quanquam nullius corporis interventu divisum, ut duos laterales Cerebri) in quo non liber, nec infundo jacet, ùt plexus in ventriculis cerebri, sed contrario omninô modo, (& quod hactenus â nullo, quod sciam, memoratùm est) adhærens firmiter ventriculi hujus summitati, seu fundo Cerebelli incumbentis, tum transversim ad finem calami scriptorii productus continuatur plexui alterius lateris, haud secus ac observavimus de plexu in ventriculis lateralibus Cerebri.

Plexus hic oritur â ramificatione secundi sivè postremi rami arteriæ cervicalis, (simili modô, ac una pars alterius plexus Cerebri, prout eo in Capite, in quô de eo egimus, observatum fuit) cum quo, alius exilior ramus dictæ arteriæ, ubi hæc ascendit â vertebralibus, facta primum expansione reticulari, conjungitur, & hunc plexum constituit, vid. Fig. I. q.

Pars hæc differt â Cerebro ratione structuræ suæ corticalis, quatenus interstitia jus hic sunt ellyptica, sivè segmenta circuli imperfecti, & minorem evadunt circa duas productiones Cerebelli tàm versùs anteriora, quàm posteriora instar parallelarum linearum in globo versus polos decurrentium, atque

hæ

hæ productiones quoniam per vasa sanguinea circa eas se volventia annulariter deprimuntur, distorta quasi instar vermium apparent processus vermiculares appellantur.

Tres habet processus, qui conjuncti invicem in utroque latere duas quasi elegantes radices formant, hincque Veteribus posteriores radices medullæ oblongatæ, Modernis pedunculi audiunt, quibus mediantibus hæc pars ad medullam oblongatam appropinquat.

Prior horum ascendit à Cerebello ad nates, alter à Cerebello ad medullam oblongatam, qui ex ejus latere inferiori concurrentes, ut antè notavimus efformant largam illam protuberantiam, à *Willisio* processus annularis, ab aliis Pons Varolii à primo Inventore nuncupatam. *vid. Fig. VII. g g. & Fig. VI. B. B.*

Hos refertos invenio striis seu tractibus medullaribus multo validioribus & amplioribus, quam quæ in corporibus striatis reperiuntur, transversim in utrôque latere juxta longitudinem totius processus currentibus, & in tractum longum medullarem, hunc processum in duas partes æquales, dividentem, desinentibus, quarum usum nunquam hactenus determinatum paulò post tradituri sumus, *vid. Fig. VI. c c. e e.*

Tertius descendit posterius ab hâc parte ad summitatem medullæ oblongatæ instar duarum longarum crassarumque chordarum in utroque latere, medullam paulò crassiorem & latiorem hôc in loco formans, nec malè processus chordalis appellatur. Hi pedunculi ubi concurrunt alterutrâ sui extremitate, constituunt meditullium sivè corpus callosum Cerebelli. *vid. Fig. VI. f f. & Fig. VII. b b.*

Adsunt duo vel tres elegantes processus medullares cohærentes invicem, & alter quandoque super alterum productus; haud procul à quartô ventriculô vel circa ortum Calami scriptorii, & duos processus Cerebelli, qui ad medullam oblongatam descendunt, conjungentes; præter hos adhuc duo sunt alii secundum longitudinem ab alterô processu transversô pone testes ad illos descendentes.

Longos hos medullares processus nunquam non inveni quanquam sub diverso numero, dum quandoque tres, quandoque duos vidi, imò aliquandô unicum tantum conspexi justô ampliorem, & constanter, quocunque etiam sub numero appareant, desinentes in processus transversos circa antedictum initium quarti ventriculi.

Processus hi longi descendentes corporibus pyramidalibus rectà oppositi in alterâ seu inferiori parte medullæ oblongatæ, & processus trans-

transversi circa ortum quarti ventriculi ultimò commemorati; siti sunt paulò supra originem octavi paris nervorum, ita ut nisi quis cautè procedat, eos pro origine hujus nervi habere queat; cùm è contrario ab eis mollem & posteriorem ramum septimi paris exurgere repererim, de quibus in descriptione horum nervorum in specie agetur: nec possum non mirari, quod D. *Willisius*, qui quôdam in loco se eos vidisse asserit, hos pro radicibus noni paris agnoverit, inter quas tamen & hos processus semper dimidii pollicis spatium intercedere vidi.

CAP. XV.

De Medulla Oblongata.

TErtia pars Cerebri generaliter accepti juxta antecedentem methodum dicitur Medulla Oblongata, cujus partes, anteriores cum jam fuerint pertractatæ, supereſt, ut alteram ejus partem consideremus; ubi maximè considerandæ sunt eujus crura, quæ nihil aliud sunt, quam pars inferior thalamorum nervorum opticorum antè descriptorum, quæ cum continua reddantur circa extremitates regioni inferiori medullari Cerebri, ansam dederunt Veteribus credendi, medullam oblongatam nactam esse hoc in loco immediatè suas radices priores â Cerebello, quemadmodum posteriores accipit â processibus Cerebelli; sed diligentiori institutâ inquisitione apparet, hæc crura magis profundè esse immersa & alligata Medullæ globosæ Cerebelli anticus, mediantibus corporibus striatis, ùt & intercedente ipsâ parte medullari Cerebri, quæ hìc loci â corporis callosi parte postica seu inferiore contorta ei perfecta intermiscetur.

Ubi hæc duo crura ad se invicem appropinquant, protuberantia annularis sivè Pons varolii â secundô processu Cerebelli antè commemorato formatus obtegit medullam oblongatam ad pollicis unius cum dimidiô spatium, hinc medulla oblongata in largum truncum versus primam vertebram spinæ facessit, & sic per integrum ejus tractum descendit, vid. *Fig. VI. B. B.*

Dum Cerebrum hôc in situ consideramus, non abs re foret, mentionem facere duorum corporum alborum, quæ ex latere infundibuli in ea Cerebri depressa parte, ubi pia Mater (ùt antè diximus) tam insignem habet duplicaturam, conspiciuntur; vid. *Fig. I. b. b.*

Adsunt quoque hic loci duo albi longi medullares processus, corpora pyramidalia tam à *Willisio* quàm *Vieussenio* vocati, qui immediatè in fine pro-

essus annularis orti descendunt ad medullam oblongatam pollicis unius Spatio, & desinunt paulò sub eo locô, ubi octavum par nervorum oritur, scilicet inter corpora olivaria & processus chordales ex parte, in alterô ejus latere exurgunt secus ac *Willissus* tradit, qui eos in acuminatas extremitates, undè hi nervi oriuntur, terminari asserit; *vid. Fig. I. n.*

Ex utroque horum latere clarè apparent corpora olivaria, â sua figurâ æque ac priores processus ita appellata. Hæc unà cum corporibus pyramidalibus & duobus albis corpusculis ponè infundibulum sitis, conceptacula Spirituum animalium, seu loca concludentia Spiritus animales, ad datas occasiones Cerebro tàm quoad facultates naturales, quam intellectuales inservituros vocat *Vieussenius vid. Fig. I. o.*

CAP. XVI.

De Nervis.

IN eodem Cerebri positu nervi respiciendi veniunt, qui sunt productiones medullares Cerebri dispersæ ad omnes corporis partes, quæ vel sensu vel motu indigent, horumque decem sunt paria sivè conjugationes, nomen & origines nacti sequenti modo:

Primum Par est Olfactorium, quod relictis anterioribus Cerebri lobis versus os Ethmoideum appropinquans nomen assumit processuum mammillarium; hoc tamen de brutis solummodò accipiendum est, in quibus ratione suæ amplitudinis talem præ se ferunt speciem & manifestam obtinent cavitatem; vid. *Fig. I. 1.*

Ad accuratissimum scrutinium, quod modò adhibere potui, observavi, unam tantum hos nervos habere originem, hancque ab anteriore & inferiore parte crurum medullæ oblongatæ, ubi hæc in utroque latere ad partem globosam medullarem Cerebri appropinquant; exindè enim illi tecti anterioribus & posterioribus lobis ad certum Spatium oblique progrediuntur donec se cônspiciendos præbeant, ùt ex figura apparet: quâ verò ratione *Vieussenius* tàm diffusam eorum originem invenerit, prout tradit, non video.

Usus eorum satis patet, & specialis de eis ac de reliquis, item de modô sensationis & externis sensuum organis doctrina commodiùs in Tractatu Physiologico, quàm talismodi Anatomico exhibetur.

Hinc in genere Nervos Cerebri solùm describam, additurus ortum eorum, cujus differentia lumen quibusdam Theoriis circa diversa receptacula fluidi

fluidi nervei sivè Spirituum, & diversam dispensationem eorundem ad corporis partes affundit.

Secundum Par vocatur Opticum seu nervi visorii, quorum non plures origines invenio, quam priorum; scilicet oriuntur à partibus illis medullaribus, thalami nervorum opticorum vocatis, quanquam *Vieussenius* eos à diversis partibus oriri asserat; & *Willisius* eis terminum in genere à thalamis nervorum Opticorum ponè corpora striata assignet, quæ descriptio quidem magis convenit quadrupedibus, in quibus thalami nervorum opticorum ponè corpora striata omninò sita sunt, quam hominibus, in quibus magna corporum striatorum pars in exteriore latere thalamorum nervorum opticorum situm obtinet, & eorum capita seu extremitates solum ad eos protenduntur. *vid. Fig. II. 22.*

Vasa sanguinea tam à *Willisio*, quam *Vieussenio* hiscé nervis attributa, vidi non solum ferri super ipsos seu cum eis; verum etiam in corporibus cerâ repletis per medullarem eorum substantiam in tunicam reticularem oculi immergi, in quam desinunt infinito capillarium ramificationum numero, quæ arteriâ Mercuriô repletâ elegantissimè se oculis exhibent.

Fibræ nerveæ pariter quinti & tertii paris nervorum se immiscent corporibus horum nervorum, ut duo antedicti Authores ingenuè testantur, quam benè autem utrique his assignent officium illos dilatandi & contrahendi ad promovendam facultatem visoriam, & in statu præternaturali in convulsionibus oculorum, ac si hæ fibræ essent musculi, sivè carneæ, aliorum relinquo judicio.

Hi Relinquunt cranium in primô ejus foramine.

Par tertium oritur ab anteriore & superiore parte processus annularis, ubi hic contiguus est parti inferiori thalamorum nervorum Opticorum, & ab eis contegitur, atque conspiciendum se præbet inter thalamos, ubi dictus processus terminatur versus anteriora, i. e. ubi crura medullæ oblongatæ in unum coëunt corpus, constituens caudicem medullæ oblongatæ, *vid. Fig. I, 33.*

Hoc per duplicaturam duræ Matris in exteriori latere sinus circularis egreditur è secundò foramine cranii versus oculos, Par oculorum motorium indè appellatum, ad quorum motum voluntarium præstandum illud destinatum esse patet. Cum igitur à Cerebellô hoc oriatur, pro argumento non exiguo nobis est destruente hypothe-

sin *D. Willisii*, qui hanc partem nervis involuntario solummodò motui destinatis reservavit.

Quartum par valdè exile oritur à processu transversò in latere anteriore Medullæ oblongatæ ponè testes, & in conspectum se dat inter partem inferiorem lobi posterioris Cerebri, & Cerebellum lateraliter, intersecans hanc partem, ubi processus annularis desinit versus crura medullæ oblongatæ, undè productum intra duplicaturam duræ Matris paulò magis versus exteriora, quam antecedens par, egreditur per idem secundum foramen versus musculum trochlearem oculi, quem quoniam juxta animi παθήματα movent, par patheticum vocatur; *vid. Figurâ I. 44.*

Quintum par latum ac longum formatur ex variis crassis fibris sibi invicem continuis pauloque mollioribus, & oritur à parte superiore processus annularis, ubi hic in posteriore locò circa latera ob accessum secundi processus Cerebelli latior redditur; *vid. Fig. I. 55.*

Nervus hic superato processu interiore ossis petrosi cavitatem à duplicatura duræ Matris formatam ingressus, immediatè eam crassitiem acquirit, quam vulgò ganglion vocant, & varios ramos de se spargit; situm occupat inter duram Matrem & cranium in utroque latere sellæ Turcicæ absque ulla omninò fovea seu cavitate; & egreditur è cranio in tribus diversis locis; superior scilicet ejus ramus parvus per secundum foramen cum tertiò & quartò pare nervorum, inferior, adhuc exilior, per tertium, & posterior seu maximus per quintum foramen; *vid. Fig. III. B. C. D. E.*

A rami prioris parte interiori alii duo exiles reflectuntur, & conjuncti cum aliò parvò ramò, paulò interius pariter à sexto pari reflexo ubi nervus hic affigitur exteriori seu adventitiæ membranæ arteriæ Carotidis, constituunt exilem truncum colore rubro seu carneo, simili ei, quem habet, dum cranium relinquit, præditum (ut *Vesslingius* fideliter observavit, qui hunc vocat ramum internum paris sexti,) qui oblique descendens & sub arteriam inter ejus externam, propriam & adventitiam tunicam prorepens, relinquit cranium cum arteria Carotide per quartum foramen Cranii, & ubi thoracem transgreditur propè radices costarum (ubi à singulis nervis intercostalibus furculum accipit,) vocatur par intercostale. *vid Fig. II. X. X. Z. Z.*

Sextum eandem circiter magnitudinem habet ac tertium, exsurgens à parte posteriore processus annularis, è regione & non procul ab ortu seu capite corporum pyramidalium. Emittit quandoque unum

num, & tum valdè brevem, quandoque duos ramos, ut antè dictum, ad constituendum truncum nervi intercostalis, & hinc unà cum priori ramo paris quinti, in una eademque duræ Matris duplicatura, ut & cum antecedente tertio & quarto pari egreditur è cranio per secundum foramen, & desinit in musculos abducentes oculi; *vid. Fig. I. 6, 6.*

Septimum par seu nervus acusticus amplus est, & exurgit fermè è regione principii quinti paris, in latere inferiori processus secundi Cerebelli, ubi hic primum è Cerebello egredi cernitur ad constituendam antedictam protuberantiam annularem, inter corpus olivare & hanc protuberantiam, ac inter hæc solum prorepere, magis tamen profundam habere videtur, & reverà habet, originem; *vid. Fig. I. 7. 7.*

Consistit ex duobus distinctis processibus, quorum primus rotundior, durior & minor est, quam alter; ille motui, hic sensui dicatus; quanquam autem utrique eandem originem nacti, & propè suam à Cerebrô originem sibi continui videantur, (quod *Willisius* affirmat, quanquam eis originem tribuat modò ab hôc locô, modò ab aliô,) ulterior tamen inquisitio contrarium docet: prior enim oritur à caudice medullari, haud procul à locô, ubi primum visui objicitur, alter verò profundius à processu transverso seu processibus antè descriptis, ubi ad ventriculum quartum via datur, principium ducit, (quod alibi dictus Author omninò advertisse videtur, ubi hunc pro origine alterius processus hujus nervi agnoscit,) & exin ascendit juxta longitudinem ad latera medullæ oblongatæ, donec attingat antedictum locum, ubi unà cum alterô ramô relinquit medullam, egressurus ex cranio per septimum foramen, quod os petrosum suppeditat; *vid. Fig. VII. 11.*

Par octavum seu Vagum oritur paulò infra septimum, non autem ab ullâ parte annularis protuberantiæ, sed omnimodè in locô illô paulò concavo, inter corpus olivare & processum tertium seu chordalem, numerosis constat fibris (quarum decem vel duodecim numerare potui,) iisque propè suum exortum sibi continuis, *vid. Fig. I. 8. 8.*

Hoc per multas ramificationes distribuitur ad viscera, & foras prorumpit per octavum foramen cum nervo spinali accessorio, ubi magni laterales & parvi inferiores Sinus in basi cranii in jugularem internam desinunt.

Ad hoc octavum par spatio dimidii pollicis circiter à suâ primâ origine, ubi ascendit aut adhæret (ad piam Matrem circa basin Cerebelli ascendit nervus *Willisio* Spinalis accessorius nuncupatus, sed longè ante eum commemoratus, imò à *Vido Vidio* depictus & descriptus, cujus principium propè septimi paris vertebralis originem invenio, à priori & posteriori hujus nervi primordiis, quanquam *Vieussenius* circumscribat tantum ejus exortum circa par quartum hujus partis; *vid. Fig. I.***

Nervus hic abit sub arteriam vertebralem ad dimidium pollicem à latere medullæ oblongatæ, tandem ad dimidium circiter pollicem ab ortu octavi paris relinquit antedictam medullam oblongatam, productus oblique supra piam Matrem Cerebelli, cum antedicto pari conjungendus, id quod etiam hic loci contingit, quanquam deindè ab ipso iterum recedat.

Par Nonum agnoscit diversas (quarum in quôdam subjecto septem, vel octo numeravi,) amplas & largas fibras pro suâ origine, à se invicem valdè distantes, quarum prima altiùs originem petit, à summô scilicet cacumine corporis olivaris; proxima cum quibusdam aliis minor est & ad quartam pollicis partem inferius exurgit; ultima minima circa terminum corporis olivaris seu exortum decimi paris, cum diversis aliis inter piam Matrem & subjacentem medullam oblongatam propullulat; truncum tamen habet valdè exilem ejusdem circiter magnitudinis cum pare accessorio; *vid. Fig. I. 9. 9.*

Per fibras nervi hujus communiter exilis quidem, sed valdè visibilis ramus arteriæ vertebralis, propè exortum, fertur in rectô latere, relinquens cranium in nonô foramine unà cum hôc nervô & venâ vertebrali, quam quidem venam *Vieussenius* per decimum foramen è craniô egredi malè asserit; siquidem hoc non solum nunquam repertum est, sed necesse videtur, siquidem par decimum egreditur è craniô per ultimum seu magnum illud foramen, per quod medulla oblongata in spinam abit. *vid. Fig. I. K.*

Par decimum duplici origine ex quôvis latere spinalis medullæ, ut reliqui spinales nervi omnes, exsurgit, & quoniam magnâ ex parte sui progressus & egressus extra Cranii limites detinetur, primum vertebrale potiùs nuncupandum venit, musculis cervicis primariò inservit, & oritur tribus, quandoque pluribus exiguis fibris, magnâ ex parte inferius ex medulla oblongata ad pollicem fermè sub trun-

trunco noni paris, hujusque magnitudinem circiter æquat; *vid. Fig. I.* 10. 10.

Relinquit cranium inter primam & secundam vertebram cervicis, transiens à medulla oblongata per duram Matrem pollicem circiter ab eô locô, ubi dicta arteria ingreditur.

Structura horum nervorum conflatur ex variis fibrillis seu striis, quarum quædam primum involvuntur à productione subtilis laminæ interioris piæ Matris superius commemoratæ, & descriptæ, constituentes fasciculum, & hi collecti faciunt corpus nervi.

In hisce fibrillis sivè striis utpote tubulosis & turgidis fluidum animale, tanquam in totidem rivulis à primariô fonte, Cerebro, ad quamcumque corporis partem distributis, continetur, quô mediante constans commercium inter corpus & animam, & reciproca amicitia inter unam alteramque partem servatur.

Hoc fluidum animale considero tanquam corpus consistens ex partibus valdè minutis & flexilibus tali in spatio conclusis, in quo ad quæcunque latera ope materiæ subtilis seu globulorum æthereorum, quibus innatant, agitari valeant; hinc pervadere possunt angustissimos canales totius machinæ, quorum orificium seu porus aptus est eos intromittendi; è contrà quod alteram speciem particularum majorum attinet, hæ propter angustiam & figuram spatii, quod intrare debent, tam firmiter inter se conjunguntur, ut contiguæ sibi invicem & omnibus suis superficiebus reddantur, atque hinc agitatione pristina expansiva (quæ omninò ad fluiditatem corporis requiritur,) privatæ, & totidem exilibus filamentis benè dispositis similes, constituunt Involucra seu tunicas horum vasorum, quæ fluidum continent.

Fluidum hoc animale mihi concipio esse in continuô statu transpirationis, & in eâ quidem proportione, sub quâ commodè iterum generatur, cum non major necessitas urgeat, alios ei præter dictum usus tribuendi, quam humori aqueo Oculorum præter eum, quô visioni inservit, qui tamen semper recens producitur, ut Excellentissimi *Nuckii* Experimento clarum est; & per viam aliquam, nobis licet invisibilem, absque ullô tamen nobilis hujus organi damno transpiratur.

CAPUT

CAPUT XVII.

De Sensatione & Motu in Genere.

NErvi hôc modô constituti capaces redduntur diversas & distinctas obeundi functiones ; quorum quidam Sensui solummodò sunt destinati, ut illi, qui ad particularia desinunt Sensoria, scilicet Olfactorii, & Visorii nervi, quemadmodum & mollis nervi acustici processus, quidam rami quinti, & forsan etiam noni paris pro tactus sensatione. Unô verbô ; Omnes nervi ad externa hæc Sensoria abeuntes primariò, secundario vero seu generaliter omnes nervi totius corporis ad tales partes ablegati, quæ ratione suæ structuræ ullius sensûs sunt capaces sensui inserviunt; quarum quædam cum sint instructæ fibrillis nerveis, præ omnibus tamen maximè cuticula, propriè Organum seu Sensorium Tactus constituunt. Quidam verò ad Motum producendum tantum faciunt, quales sunt integrum systema nervorum (exceptis solummodò antenominatis,) qui nihilominus secundariò quoque pro nervis sensitivis sunt habendi. Quidam utrumque absolvunt munus quôcunque modò plùs minùs prævalente vel Sensatione, vel Motu, pro diversa scilicet, ex quibus in origine suâ conflantur fibrarum textura, ut quintum & nonum par.

Hæ duæ functiones diversæ, Sensationis scilicet & Motus, duobus, iisque diversis modis instituuntur.

Quorum prior ab objectis externis excitatûs per pressuram eorum Instrumento Sensûs factam peragitur, ita ut motio versus interiora ab unô extremô organi ad alterum fiat, ubi in sensorium commune. vulgò sic dictum, terminatur ac proindè perceptionis, passionis vel Affectionis nomine insignitur.

Alter peragitur per modum impulsûs ad Organa ab intra ad extra, cum instinctu vel acquirendi aliquid bonum, vel evitandi aliquod malum ; ratione cujus impulsûs vel in sensu naturali, vel morali accepti, quatenus hic in certo Objecto terminatur, vel circa proprium Objectum occupatur, Objecta tum dici possunt pati, quemadmodum in priori casu dici possunt agere, sic & facultas perceptiva hic dici potest agere, & in alterô casu pati, hæcque actio communiter vocatur Motus Localis.

Qua-

Quamobrem, cum hæ diversæ sint res, Viris eruditis visum est, distinguere Cerebrum in duas distinctas provincias, diversis Juribus & Jurisdictionibus instructas ad infirmandam potentiam animæ sensitivæ, cui anteà universum jus super totum Cerebrum concessum erat principale, sed non absolutum dominium ipsi concedentes. Idque fecerunt argumentis non levibus, nec rationi repugnantibus instructi, siquidem Motus Localis non solum quandoque absque ullo ejus subsidio, verum etiam eo renitente peragitur, ut in pulsatione Cordis, motu vermiculari Intestinorum, & magna ex parte in actu respirandi.

Illud igitur, quod Cerebro derogabatur, Cerebello conferebatur, cui quanquam aliqualis potentia hâc in re meritò attribui possit, ut antè observavimus; nihilominus tamen non tantum ei, ut factum est, concedi debere, omnimodè videtur.

D. Willisius tanquam Dux hujus opinionis, distinguens Motum in voluntarium & involuntarium, Cerebrum uni, alteri Cerebellum præfecit, eumque in finem huic æqualem attribuit nervorum numerum, ut ejus verbis exprimitur; *Ut divisum cum ipso (Cerebro,) imperium Cerebellum habeat*; quod autem attinet par intercostale, à quinto & sexto pare ad Cerebellum spectante propagines recipiens, hoc in eo excedere dicit.

Videntur mihi Viri Eruditi nimis præcociter inhærere primis suis cogitationibus, quando rationes ordinariæ vel sunt falsæ, vel non sufficientes.

Extra controversiam est, plerasque has actiones, seu motus animales, quos involuntarios appellat, & tam multis exemplis illustrat, æque reperiri in brutis ac Creaturis rationalibus, tam ubi infantes adhuc sint, quam ubi adoleverint, eâ tamen cum differentia, quod omnes eorum in ultimo statu coërceantur sub directrice animæ vi, adeoque ad actum reflexum intellectus suspendi possint; cum viciſſim in brutis & infantibus ex necessitate peragantur, facto scilicet impulsu Objecti, quemadmodum aqua nullis terminis coërcita in planitiem decurrit.

Jam si hi omnes supponantur, in brutis & infantibus sub potestate Cerebelli solummodò comprehendi, Cerebrum ipsum necessariò omni carere usu statuendum esset.

Hinc observandum est, duas esse Motus animalis species in brutis æque, ac in Creaturis rationalibus; una merè naturalis est, ut

pulsatio cordis & diversa viscerum contractio, à variâ fluidi animalis, æquali sub proportione ad nervos continuò ablegati, portione procedens, & hoc pacto dicere fas est, eam agnoscere causam coëxistentem cum Creatura, & nunquam non præsentem; & clarò docemur Experimento paulò post allegando, hanc speciem à Cerebello oriri, liberam à Cerebri dominio, si hæc actio & influxus viâ ordinariâ peragatur.

Altera oritur ab instinctu ad animam sensitivam spectante, seu est aptitudo aliqua structuræ nerveæ, agendi juxta impressiones in nervis vel ab intra, vel ab extra factas, & hâc ratione dici potest, eam dependere à præsentia causarum naturæ extrinsecus supervenientium, & sequi impressiones, ad quas anima vel appetit, vel aversatur Objectum, auscultat vel resistit impulsui.

Jam pro concessô habeo, quod nullus negabit, aut nervos, quorum ope hæ instinctus actiones formantur, sivè oriantur à Cerebro, sivè à Cerebello, æque subjectos esse imperio animæ; aut, ut antè dixi, Cerebrum in his Creaturis nullius esse usus.

Et ad hanc classem refero omnes actiones Instinctus in Creaturis rationalibus, antequam attigerit usum rationis, à quâcunque impressione producti, seu nullâ præcedente consultatione excitati, vel ubi nactæ rationis vim directricem, hanc non in usum vocant, qualis actio vocatur habitualis, & primùm ex imperiô partis rationalis solummodò, postmodum autem propter frequentes repetitiones absque ullô ejus jussu & ex coccâ obedientiâ ad merum impulsum Objecti producitur; spectant huc denique tales actiones, quæ exsurgunt post rationis abdicationem, ut in somno, aut distractionibus; in quibus ultimis casibus creaturas à purâ machina seu avtomato distinguere difficile est.

Ex jam dictis non potest non manifestum esse, quod quædam actionum antè ex *Willisii* sententiâ commemoratarum, quas Involuntarias vocat, ex Cerebelli tantum imperiô productas, e. g. varia faciei configuratio, ex diverso impulsu in viscer.bus vel alibi facto, erectio aurium, dimissio cervicis & oculorum ad terram, terrores subitanei, & vociferationes ad terribile quoddam Objectum, unum vel alterum sensum tali nervo, quem supponit sub imperio Cerebelli esse, (ut pari quinto vel septimo,) vel qui ratione viciniæ cum illâ parte commercium gerit, (ut nonum par, instructum repentè afficiens, quod, inquam, hæ actiones potiùs à facultate perceptiva, vel

vel (ut ejus utar verbis,) eâ animæ parte, quam systemati illi medullari, Cerebrum vocato, præfecit, procedant, quatenùs in Creaturis rationalibus possunt suspendi, & communiter suspenduntur, quemadmodum & nervi, à quibus dependent istæ, ab eâdem tanquam instrumenta motus voluntarii in usum vocantur; ac contrarium statuere idem est ac dicere, si aliquod corpus exprimat ullam antedictarum actionum, vel si quis dormiens in lecto alapam socio infligat, has actiones procedere ab organô motus involuntarii, i. e. Cerebello.

Et huic classi infero magna ex parte respirationem, circa quam vix à me impetrare potero, ut credam, sufficienter eam explanatam esse à *D. Willisio* qui eam deducita energi ab Spirituum animalium, qui profluunt solummodò à Cerebello in par vagum, quemadmodum hi influunt in cor per intercostale & idem par ad pulsum efficiendum; & ejus intermissionem prolubitu factam imperio solummodò animæ, ratione quorundam nervorum musculis & diaphragmati, primariis instrumentis respirationis, à spina dorsi communicatorum, adscribit.

Hinc potius existimarem, hunc Motum ad alteram speciem antè sub nomine Instinctus recensitam spectare; oritur enim à causa extraneâ superveniente, agente secundum ductum naturæ, quem hæc in reliquis hujus speciei motibus monstrat, ut in fame & siti &c. ubi acquisitio finis sivè effectus determinati reddit hanc partem, à quâ motus dependet, ad aliquod tempus insensibilem, & cessante effectu seu motione, sensus impressionis iterum reviviscit, atque indè æqualis inter sensum & fruitionem seu inter sensum & Motionem intercedit reciprocatio.

Applicaturi modum influendi Spirituum animalium in stomachum & palatum pro fame & siti continuandâ ad eum, qui est in systole & diastole pulmonum, seu ad respirationem, observemus necesse est, embryonem respirationis quidem usu, non autem Cerebellô carere; & si hæc motionis species, (Instinctus,) quam à merè naturalibus Motionibus in eô differre existimo, quod eôdem tempore, hæ quô rudimenta individui vivere incipiunt, oriantur, Cerebello omnimodè & unicè debeatur, ut motus cordis; infantem in utero necessariò debere respirare, Verum cum de contrariô certus sim, supereſt ut aliam investigemus causam respirationis ipsius, quæ est, quam modò adduxi, præsentia vel absentia causæ vel impulsus primum moventis. Hunc autem impulsum, suppono, esse aliquam

rem ſtimulantem nervos per organa pnevmatica diſperſos, ita ut tranſmittatur impreſſio hæc ab intra ad facultatem perceptivam, tam ſuper Cerebrum, quam Cerebellum dominium habentem, eum ſcilicet in finem, ut indè Spiritus extemplò ablegentur in nervos, in muſculos illos agentes, qui ampliationi totius cavitatis thoracis ad intromittendum copioſius juxta naturæ inſtitutum Aërem in pulmones inſerviunt; quales ſunt muſculi intercoſtales & diaphragma.

Jam facile intellectu eſt, quamdiu infans in utero matris detinetur, non eandem urgere reſpirandi neceſſitatem, quam ubi in lucem editus eſt; univerſus enim ſanguinis rivus tum non invenit tranſitum certe valde exilem per eos, & ille, qui per arteriam Ruyſchianam adfertur, ſuccus magis dulcis ac refrigerans eſt, calore nativo admodum debili exiſtente, & chylo atque lacte alimentum ſuppeditantibus. Ex quò contingit, ut nervi pnevmonici fœtus non provocentur, poſt nativitatem autem ſanguinis, majorem calorem ex alimento copioſiore & calore nativo intenſiore nacti & plenius per pulmones delabentis effluviis impreſſionem continuò patiantur, & laceſſantur; qui calor, embryone majorem ſemper acquirente maturitatem, auctus, non parum, ut mihi videtur, ratione impulſus naturalis tribuit ad ſui excluſionem.

Veritas hujus magis illuceſcet illi, qui non gravabitur benè advertere ſtructuram partium embryonum, quibus ſolennis ſanguinis circuitus per pulmones pro ejus rarefactione & mixturæ chylique perfectione denegatur; quemadmodum etiam via per hepar pro ſeparando bilis excremento, quod tamen in certa quantitate embryones elaborant, eſt occluſa. Quorum tamen loco aliæ viæ, (quæ poſt nativitatem nullius ſunt uſus,) breviores, compendioſiores à naturâ ſunt paratæ, ſcil foramen ovale inter venam Cavam & venam pulmonalem, & tubulus arterioſus inter arteriam pulmonalem & aortam in pulmonibus, & tubulus venoſus inter ſinum portæ & eavæ in hepate; ut optimè obſervavit recens Eruditiſſ. *Gualterus Needham.*

Verum equidem eſt, in diverſis Creaturis quosdam nervos potiſſimum à Cerebellò dependere, ut illos, qui (diverſo licet modò, ut jamjam diximus, & paulò poſt explicabimus,) naturalibus & vitalibus functionibus dicati ſunt, ſcilicet par vagum & paria intercoſtalia; quamobrem modò commemoratus Author, qui non minus in his, quam aliis à ſe inventis ſingularem expertus fortunæ favorem maximoperè ſe commendat, non malè agit, quandò dictas facultates

ces huic parti subjicit, siquidem per Experimenta à quibusdam, ut & à me ipso, instituta in corporibus viventibus observamus, quod quanquam maxima Cerebri pars rasorio remota, imò medulla oblongata inter Cerebrum & Cerebellum divisa, & ex cranio extracta fuerit, cor adhuc pulsarit, cum tamen, cerebello in partes dissecto, reliquo autem Cerebro integro servato, Creatura ex vestigio mortua fuerit.

Quid? quod viderim, respirationem (quæ tamen ex parte solum dependet à Cerebello,) penitus cessasse ad violentam flatu factam ejus compressionem, atque cor, inflicto illi vulnere, pulsare desiisse.

Hæc omnia per bonam consequentiam deduci possunt ex hypothesi, quâ hæ functiones naturales à Cerebello, quoad originem & influentiam, quæ constans, interrupta & ab arbitraria Cerebri jurisdictione exempta est, dependere creduntur, eâ tamen cum differentia, quod in Motionibus merè naturalibus, & in illis, quæ vel in embryone tanquam prima vitalitatis signa existunt, qualis est pulsatio cordis, quoad adhuc in utero ille latitat, vel quæ ei majorem molem & magis visibilem partium organisationem adepto superveniunt, ut contractio naturalis reliquorum viscerum ad chylum protrudendum, glandularum succum separandum, & excrementa eliminanda, fluidum animale seu Spiritus nunquam non à Cerebello fluant, siquidem nervi ab hoc ortum capessunt, & in jam nuncupatas partes desinunt; cum è contrariò in respiratione, quam motum supervenientis instinctus voco, (liceat mihi uti vocabulò Instinctus hoc in sensu,) nervi descendentes à Cerebello, & per pulmones à pare vago propagati inserviant solummodò propagando primo impulsui seu impressioni Objectorum versus has partes, quæ à naturâ ad producendum motum respiratorium formatæ & destinatæ sunt; hique sunt nervi spinalis medullæ recipientes impressionem à Cerebello; siquidem in ante allegato experimento evidens evadit, quod Cerebro à Cerebello & Medulla oblongata separato, actus respirationis integer ad tempus satis longum perstiterit, qui Motus dependet à facultate sensitiva in Cerebello præsidente, transmittente primum impulsum, per octavum seu par vagum productum, (ut antè observavimus,) & indè nervis spinalibus in musculos intercostales & diaphragma agentibus communicatum.

Omne igitur paris vagi per pulmones propagati officium in eò consistit, ut impressionem ab illis ad Cerebellum deferat, quod ra-

tione ſuæ connexionis cum caudice medullari (unde Veteres rectè collegerunt, hanc partem radices ſuas poſteriores acquirere à Cerebello, ut ſuprà memoravimus,) capax ſatis eſt eam ulterius tranſmittendi, prout facultas ſenſitiva ibidem præſidens eandem direxerit, idque per viam communem ſcilicet medullam oblongatam & nervos ſpinales.

Porrò hanc partem æque, ac Cerebrum officium hoc præſtare poſſe, non autem illis nervis vel organis ſolum & unicè inſervire, quæ involuntariè moventur, (*ut D. Williſius* tradit,) apparet ex eô, quod par tertium nervorum, quod ipſe alteri nervorum claſſi, eorum ſcilicet, qui diriguntur à voluntate inſerit, exindè (ut jam demonſtravimus,) originem ſuam trahat. Et exin conjiciendi anſam arripio, rationem, cur anima non acceperit æquale imperium ſuper hos antedictos nervos, motionibus vitalibus & naturalibus deſtinatos, dependere ab uſu & officio horum nervorum citius inchoato, indè enim iſti acquirunt habitualem facilemque influxum, qui minor eſt in illis, qui functionem reſpiratoriam adjuvant, utpotè quorum exercitium tardius incipit; ad hæc influxum in illis nervis, qui functionibus organicis membrorum ſubſerviunt, longè non tam habitualis eſt, quatenus hæ tardius, nec tam continuò, ut in illis; ſed gradualis & cum intermiſſionibus exercentur.

Unica igitur cauſa, cur diſſecto Cerebello reſpiratio ceſſet, eſt, quod hâc ratione ſtructura ejus diſcontinuetur, minusque capax reddatur vel ad recipiendam, vel tranſmittendam ulterius impreſſionem ad antedictos nervos, qui ſubſerviunt Inſtrumentis reſpirationis.

Certum eſt, communicari inter ſe reciprocè nervos paris intercoſtalis, vertebrarum & diaphragmatis; nihilominus cum non immediatè terminentur in partes cujusvis particularis diſtinctæ jurisdictionis, nec reciprocus inter eos intercedit actus ſeu officium.

Quia igitur, quanquam tam varii communicentur rami à nervis ſpinalibus, motui voluntario ſubſervientibus, pari intercoſtali ad viſcera deſcendenti; eô ipſo autem, quod in has partes non terminantur, hi nervi nullô modô imperiô animæ rationalis ſubjici poſſunt, cautum eſt à providâ natura, ne quis depravata utens ratione ſibi ipſi injuriam inferre valeat; ratione diverſorum ramorum reciprocè à pari intercoſtali, verſus viſcera proparante, nervis ſpinalibus communicatorum; nulla eis conceſſa eſt vis, muſculos, quibus

bus inſerviunt, continuò & absque interruptione ad inſtar viſcerum movendi.

Sed ut revertamur, ubi ſubſtitimus, in quibusdam Creaturis clarè patet, naturam extendiſſe hoc imperium animæ ultra Cerebellum per medullæ ſpinalis tractum, & non hanc ultimam ſolum motionem, verum etiam pulſum jurisdictioni hujus elongationis Cerebralis ſubjeciſſe, prout notum Induſtrii *Caldeſii* experimentum circa teſtudinem inſtitutum docet, quæ amputato licet capite vixit, & per ſex menſes ſuum circumportavit ſcutum.

Et non poſſum non mirari, hanc Creaturam, prout aliud Experimentum ab antedicto Authore inſtitutum docet, corde & omnibus viſceribus præter pulmones privatam, usque adeò morti reſiſtere potuiſſe, (ut Autoris verbis rem experimam,) ut ſe ipſam à ſitu inverſo ſeu ſupino, in quem experimenti faciundi gratia fuerat poſita, ad pronum ſeu naturalem reflexerit, & ultra ſex horas adhuc vixerit Ex quô apparet, motum muſculatem peragi poſſe, ſolum per Spiritus animales absque ſanguinis concurſu, cui tamen hactenus magnum momentum à pleriſque Authoribus in actione hâc peragenda conſtanter fuit tributum.

Atque exindè colligere licet naturam non præciſe fixam ſedem ordinaſſe animæ ſenſitivæ, ſivè reſervatoria ſic dicta formaſſe Spirituum animalium ad præſtandas modò commemoratas functiones, quemadmodum aliô modô ſe eadem in ſuâ integritate tueri novit, quandò ſtructura naturalis organorum penitus fuit deſtructa, cujus varia proſtant exempla in Hiſtoria Anatomica, ubi functiones in quibusdam Creaturis integræ manſerunt, quæ vel nullum omninò Cerebrum aut Cerebellum, vel horum talem texturam, quæ easdem producere neutiquam valebant, poſſediſſe, poſt mortem fuerunt obſervatæ.

Prioris caſus exemplum tradit Doctiſſimus *Wepferus* in infante ſex horas poſt nativitatem ſuperſtite omnia naturæ debita, quæcunque tali in ætate requiruntur, exſolvente, & (quod omnes ſuccum nutritium per nervos tranſeuntem propugnantes benè notent,) valido & bono corporis habitu fruente, cujus Cerebrum poſt mortem ex copioſis veſiculis ſeu hydatidibus componi obſervatum fuit, excepta exili portione in baſi cranii, intra ſinum peculiarem, ubi glandula pituitaria oſſi cuneiformi communiter inſidet incluſa, & ex tribus corporibus medullaribus conflata, quorum duo phaſeoli tertium ex parte horum poſticâ ſitum piſi magnitudinem habebant emittentia quidem

dem aliquos, sed valdè exiles nervos seu fibrillas nerveas, i.e. tales, quæ ad præstandas communes naturales & vitales functiones neutiquam sufficiunt, (*vid. Misc. Nat. Cur. Dec. I. Ann. III. obs 129*)

Cujus rei veritas plana & omni exceptione superior evadit in alio exemplo, quod traditur in *Miscell. Med. Phys Gallic Ann. III. pag. 54.* infantis quinque dies, postquam in lucem fuerat editus viventis, cujus caput nil nisi aquam intra duram & piam Matrem inclusam absque ullô omninô partis medullaris vestigio continebat.

Simile duobus his exemplis communicavit mihi curiosus Anatomicus & Vir Eruditissimus *Dr. Tyson* de infante vivo nato, non majori Cerebri portione prædito, quam qualem nucis avellanæ putamen capere poterat, medulla spinali existente justò ampliori, quasi pars cerebri absentis eô fuerit protrusa.

Posteriorem casum, ubi conformatio naturalis depravata fuit quod attinet, prostat exemplum *in Miscell. Nat. Cur. Ann. I. Dec. I. obs. 26. & 130.* de pingui bove, cujus Cerebrum post mortem totum petrefactum inventum est, cum tamen eô superstite vix exilia hujus signa fuerint observata.

Ex quibus omnibus patet, facultatem sensitivam esse capacem auscultandi impressionibus internis vel externis in unâ parte æque ac in alterâ, & systema medullare spinalis medullæ posse quandoque fieri adæquatum sensorium ratione functionum antedictarum æque ac Cerebrum vel Cerebellum.

Et quod attinet vim seu influentiam, quam anima ingenere in nervos ratione originis à se invicem differentes exercet, jam observavimus, quam provida sit Natura in præservandis à propriâ violentiâ Creaturis, dum non solum primarium fontem Cerebellum formavit, ex quô magnus Spirituum rivus ad inserviendum vitalibus naturalibusque partibus, per octavum par & nervos intercostales, derivatur; ita ut à voluntate rationali non dependeat, ubi suas actiones more solito præstat eadem; verum etiam cavit, ne quidam rami ex truncis, animæ imperio sivè jussibus voluntariis subjectis, propullulantes desinant in talia organa, per quæ istæ functiones peraguntur. Communicatio autem nervorum diversis muniis præfectorum non sufficit tali fini vel officio præstando, ut jam observavimus de illis, quos superius commemoravimus, subsidiariis rivulis exilioribus Spirituum ad partes functionibus naturalibus & vitalibus destinatas, fluentium per

per ramos à Spinali medulla ad nervum intercostalem, quoad ventrem inferiorem hic transcurrit, propagatos.

Ulterius hic observandum, quod quemadmodum quædam impressionum species facultati perceptivæ afferuntur, ita ut perdat hæc suam vim super propria subjecta, i. e. nervos imperio ipsius voluntario subjectos, ut in risu, sternutatione, & erectionibus libidinosis; siquidem organa, per quæ hæ actiones peraguntur, omnimodè stant sub potentia horum nervorum jussis animæ voluntariis subservientium, & eôdem modô ac pnevmatici nervi ab objectis capacibus quandocunque præsentibus stimulatorum, & (quamvis *Willisius* contrarium defendens risum hominibus solummodô, & ex autoritate *Aristotelis* sternutationem paucis, si ullis Creaturis, præter hominem propriam tribuat,) producere possunt eosdem effectus in brutis, dummodò eorum stupidæ animæ sint capaces eas similiter recipiendi impressiones à talibus objectis oblatas, quæ excitare possunt rationalem risum, sicut eas commoveri ab Objectis, ad actiones Venereas instigantibus videmus, siquidem absentia plexus Cervicalis nervorum intercostalium, & duorum triumvè exilium ramorum exindè ad nervum diaphragmatis propagatorum (quam dispositionem ille hominibus peculiarem vocat, & per consequens pro causa affectionis hujus in eis habet,) magnâ ex parte suppleri posset non solum per ramum nerveum à plexu interiori paris vagi (qui nervus æque à Cerebellô dependet, ac intercostalis,) ad tertium nervum brachialem propagatum, à quô nervus diaphragmatis ex parte oritur, verum etiam per alterum à plexu thoracico nervi ipsius intercostalis ad eundem jam dictum nervum brachialem protensum, in quem nervus diaphragmatis inseritur; ita è contrario Impressiones quandoque fiunt in anima, quæ huic potentiam quandam concedunt super nervos, ipsius imperio alias neutiquam subjectos, & tales sunt impressiones extremi gaudii vel extremi mœroris, ad quas facultates vitales & naturales plus minus afficiuntur, imò etiam penitus cessant.

Horum phœnomenorum ratio ex hypothesi *Dr. Willisii* sequenti modô explicatur; & quidem, quod primum casum attinet, (quem motum non involuntarium quidem esse concedit, sed à Cerebelli officio dependere,) supponitur undulans motio ad primam impressionem in Cerebro facta, & ex hoc per natiformes processus ad Cerebellum, indè per processus annulares ad par intercostale nervorum, & sic ad nervum diaphragmatis propagata (& certè debuisset hâc ra-

tione omnes illos ramos vertebrales ad nervum intercostalem, pro musculis intercostalibus movendis derivatos, absque quorum interventu hæc actio produci non potest, commemorasse,) per quod commercium inter hos nervos & illos faciei, ad eandem familiam pertinentes, antedictus ridendi actus formatur.

Jam ut taceam, non opus esse, ut conceptionum seu impressionum in Cerebro factarum executionem Cerebelli inferiori provinciæ subjiciamus, vix à me impetrare possum, ut credam, hanc hypothesin non precariò adductam esse, donec probatum fuerit, tales Spirituum undulationes ab occasionibus extraordinariis concitatas cum rationibus sufficientibus posse statui, ita ut motus eorundem regularis per tales effictas vias à parte unà ad alteram quocunque aliô tempore ablegatorum insimul non supponatur. Id enim si affirmetur, tribuenda erit animæ, cursum Spirituum animalium in organa vitalia & naturalia influentium, certè ex parte pro lubitu dirigendi capacitas; quod tamen experientiæ contrarium est.

Ad hæc ut demonstremus tales effectus seu alterationes in organis vitalibus à violentis animi pathematis productas, non deberi tali transmissioni fluidi animalis à Cerebro ad Cerebellum, ut antedictus Author supponit, quæro, qui contingat, ut in contrario tristitiæ tædii affectu, inprimis à re terribili inopinatâ excitato, cor adeò langueſcat, ut quandoque pulsare desinat, cum in antè allegato experimento hanc motionem satis sufficientem ratione constantis irradiationis seu influentiæ à Cerebello tantum observemus, ita ut vix credendum sit, illam hunc in modum langueſcere, ad tales occasiones ex defectu horum Spirituum, quibus tamen nunquam indigebat.

Ne igitur ad hanc hypothesin tantis dubiis involutam refugere cogamur, non dubito antedictum casum eâdem ratione, quam in anteceſſum circa hoc subjectum de verâ scaturigine actionum involuntariorum & voluntariorum suppeditavi, posse explicari; scilicet supponamus, quod anima ad tales impressiones, ad quas vel optimè vel pessimè se habet, (quô in casu objectum agere minùs proportionatè ad subjectum dictum est,) non solummodò agat conformiter ultra solitam suam irradiationem, & vim, quam habet super Cerebellum, & hôc pactô magis vel minus copioſe ad organa vitalia, in specie ad Cor, per viam proximam, videlicet per par vagum & intercostale, Spiritus transmittat, sicque ea magis vel valida, vel ka-

languida ad suas operationes reddat, pro passionum scilicet diversarum ratione; eâdem pariter modô ac in animæ alienationibus seu distractionibus contingit, ubi pro vehementiâ impressionum vel Ideæ anima Spiritus tantô cum impetu ad membra impellit, ut majori vi, quam ordinariè fluere solent, suas operationes edant usque adeo, ut nec catenæ, nec bacilli ferrei illorum impetui resistere valeant; verùm etiam transmittat Spiritus magis vel minus copiosè ad functiones vitales & animales per alteram viam â nervis subsidiariis antè nuncupatis ad par intercostale, quod ramificationes ablegat ad Cor (in hominibus præsertim) æque copiosas, si non copiosiores, ac per vagum, & â nervis vertebrali & brachiali ad nervum diaphragmatis & musculos intercostales; quô pactô contingit, ut ad tales impressiones organa respirationis ad visum, & pulsationis ad tactum vehementer advertantur affecta.

Hâc ratione conatus fui affecta restituendi Cerebro capacitatem in actum deducendi suas impressiones, absque suppetiis â Cerebellô petendis, idque tam in actionibus voluntariis: ubi, quod notandum, distinguo inter actiones involuntarias & inopinatas, quatenus hæ ultimæ, etiamsi â voluntatis jussu non edantur, non tamen sunt contrariæ consensui ejus actuali, eodem modô ac actiones naturales viscerum â nullâ voluntatis vi impediri possunt, præter quas nullas actiones in creaturis rationalibus (strictô sensu acceptis) pro involuntariis habeo, quatenus implicat statuere, Agens voluntarium agere aliquid contra voluntatem rationalem, quanquam id absque ejus approbatione contingit) quâ ipsâ tamen distinguantur illæ â brutis; *Dr. Willisius* equidem vocabulum involuntariè aliô sensu semper accipit, confundens hoc cum actionibus meræ ignorantiæ, sub terminô inscie, & actiones, quæ absque deliberatione peraguntur, sub terminô inconsultò, & procul dubiô super hanc notionem motus involuntarii fundat hypotesin suam, qua omnes illas actiones, quæ aliquando absque notitiâ facultatis intellectualis eduntur, etiamsi aliàs ipsius imperio omnimode sint subjectæ, subjicit æque Cerebellô, ac merè naturales, quæ nullô non tempore extra potestatem prioris absolutè posteriori auscultant.

Hæ actiones itaque sub terminô supervenientis Instinctûs mihi veniunt, & cûm nil aliud sint, quàm effectus externarum vel internarum impressionum in corporibus sensitivis, sicut Echo sunt effectus impressionum, in rebus solummodò naturalibus, æque competunt creaturis rationalibus & irrationalibus, suntque capaces, quæ producantur per eos nervos, qui facultati sensitivæ ministrant, sivè hæc agat advertentur vel inadvertenter in una sivè spontaneè in alterâ specie (ubi obiter commemorasse operæ pretium erit, sensum genuinum hujus vocabuli in actionibus ab his Creaturis peractis propius accedere ad terminum

minum inconsulto quàm involuntariò in hominibus) ita ut non refugiam ad suppositas has vagas motiones impressionum in illas factarum, (per vias certis solummodò temporibus, vel ad extraordinarias tantum occasiones, in usum vocandas) ex Cerebro ad Cerebellum tendentes.

Jam quoad organisationem hujus partis, quam ex variis prominentiis medullaribus, appendicibus & tractibus, â naturâ ad varias functiones animæ præstandas, & Spiritus animales per totum Systema nervorum dispensandos factis consistere diximus, in ejus hoc vel illo loco tanquam in totidem cellulis functiones animæ perhibentur residere; scilicet commune sensorium in unô loco, imaginatio & judicium in altero, memoria in tertio; cujus rei tàm amplam & formalem suppeditarunt apparatum & descriptionem *Willisius* & *Vieussenius*, quanquam valdè â se invicem dissentientes; alterô commune sensorium solummodò in corpora sua striata, altero in superiora & media corpora striata unà cum Centrô ovali collocante; ab utrisque tamen *Carteſius* & alii melioribus nixi fundamentis, inprimis *Malpighius* differunt, sedem illi in extremis partis Cerebri medullaris limitibus, cineritiæ parti circumfusæ connexis tribuentes; verùm fateor, quòd exquisitissimâ licèt institutâ investigatione in Cerebris vel recentibus, vel in Oleo coctis, nunquam detegere potuerim talem configurationem vel dipositionem partium, qualem tam formaliter apud utrosque, inprimis apud ultimum, delineatam invenimus.

Multo minùs necesse hoc esse, perspicere possum, siquidem facilius, & æque commodè animam considerare licet, tanquam aliquam internam facultatem sensitivam principalem, & universam medullam Cerebri ceu partem talismodi fibris vel vasculis præditam, quæ in quibusdam locis quàm proximè, in aliis paulò remotiùs communicare possunt cum nervis, exin ad cuncta sensoria externa derivatis tanquàm commune sensorium, per quod facultas hæc principalis non minùs recipit omnes suas impressiones, quam conformiter ceu per totidem gradus unius ejusdem potentiæ exequitur vel præstat diversas has functiones, communiter sub nominibus antè dictis sensus communis sive apprehensionis simplicis, Imaginationis, judicii & memoriæ venientes.

Et quod attinet medullares tractus, per quos fluidum animale tanquàm per totidem rivulos ex amplô mari in totidem fluvios derivatum ad universum corpus distribuitur, post industriam inquisitionem alios invenire non potui, quàm quos jam in antecedentibus paginis notavi, inter quos tractus corporum striatorum maximè ampli & conspicui erant.

Qui internam seu concavam corporis calloſi superficiem occupant, transversim prope septum lucidum in fornicem, & ab hoc longitudinaliter in ejus crura seu columnas posteriores, bombyces superiùs vocatas, abeunt, super quas

ferun-

feruntur distorti, ut jam observavimus, & in ventriculorum lateralium, qui in crura medullæ oblongatæ terminantur, & continui cum his redduntur, partem posteriorem desinunt.

In thalamis nervorum opticorum oblique descendunt, subjacentia crura & caudicem medullarem â se invicem separantes.

In natibus & testibus eundem in modum feruntur, & terminantur paulò inferiùs.

Tractus in processu annulari, cum hactenus â nullô fuerint commemorati, in figura quâdam eis addi curavi; Spirituum copiam nanciscuntur hi tàm â caudice medullari ipsis continuata & â productionibus Cerebelli, ex quibus processus annularis conflatur, suntque satis conspicui, atque exinde nervi huc spectantes non sine ratione ad utrasque has partes pertinere supponi possunt, prout jam superius asseruimus. Hi tractus majorem habent crassitiem & duriorem consistentiam, quàm in corporibus striatis (quanquam non ad quemvis dissecandi modum ita appareant,) plerique terminantur in medium tractum medullarem, & hâc ratione idem periculum certô modô præcavetur, quod sepimentum piæ Matris â junctura crurum medullæ oblongatæ ad spinalem medullam continuatum, præcavet, videlicet ut si nervi in unó latere (ut *Molinettus* in alio loco Cerebri fideliter observavit) p. n. afficiantur, reliqui in alterô latere incolumes evadant.

Cùm autem isti peculiarem habere relationem videantur, ad eos nervos, qui prope hos oriuntur, non sinè ratione credendum est, eos esse particulares ductus, â quibus dicti nervi fluido animali prospiciuntur, quanquam libera omninò communicatio inter eos omnes concedi maximè debeat.

Et per consequens supponere licet, primos illorum deferre Spiritus â parte globosâ medullâri Cerebri sibi proximè adjacente (quam *Vieussenius* superiorem centri ovalis partem nuncupat) versus subjacentem partem Cerebri medullarem ad augendos illos, qui paulò inferius producuntur, & in specie ad inserviendum nervis olfactoriis & visoriis, quibus ultimis manifestæ accessiones fiunt â thalamis nervorum Opticorum.

Porrò supponere licet, alteram speciem seu striàs transversas corporis calloši deferre ratione contortorum tractuum in columnis posterioribus fornicis supplementum ad crura Medullæ oblongatæ, ubi continua redduntur parti reflexæ ventriculorum lateralium in loco posteriori, ad inserviendum pariter duobus nervorum paribus modò commemoratis magis tamen illis quæ inferiùs vel â processu annulari, vel caudice medullari producuntur.

Ulterius supponere licet, striàs thalamorum nervorum opticorum & processuum natiformium, quarum illæ superincumbunt & continuæ sunt parti sub-

jacenti medullari crurum medullæ oblongatæ, hæ verò caudici medullari, derivare Spiritus ad illorum nervorum supplementum, qui â quâcunque adjacente parte vel ab hoc, vel alterô processuum annularium seu caudicis medullaris latere originem trahunt.

Et eôdem modô se habet nervus opticus, qui supplementum nanciscitur immediatè â primâ classe harum prominentiarum medullarium & forsan etiam ab antè nominatis medullaribus tractibus, qui â radice fornicis orti se extendunt magis magisque inter corpora striata & thalamos nervorum Opticorum, in quibus ultimis sensim obliterantur. Tertius, quartus, quintus, sextus & primus seu durus nervus inter acusticorum supplementa nanciscuntur mediatè magis ratione suæ continuitatis cum protuberantia annulari; quibus omnibus pariter â reliquis protuberantiis medullaribus, nates nuncupatis, propter suam continuitatem cum paribus subjacentibus accessiones quasdam fieri, supponi potest, & hi majori Spirituum copiâ instructi videntur, quàm omnes reliqui nervi, quatenus præter hanc viam, quâ eos â Cerebro accipiunt, alia illis suppetit valdè visibilis & multò largior â secundô processu Cerebelli, ex quô protuberantia annularis conflatur; idque forsan non sine singulari naturæ scopô, cùm nervi exin derivati ampliores & majoris momenti munus nacti sint, quàm reliqui totius Cerebelli; sicut & par vagum vel octavum ratione suæ insertionis inter chordalem vel tertium processum Cerebelli & corpus olivare (non autem juxta *Willisium* ratione principii ab extremitatibus corporum pyramidalium) duplicem accipit Spirituum proventum, unam â caudice medullari vel Cerebro, alterum â Cerebello.

Et hujus insignis muneris gratiâ videtur hic processus tali instructus textura, quæ constitere videtur ex validis largis medullaribus striis, quæ ab utrisque fontibus supplementum admittere & continere valeant.

Hic notari velim, me non absque ratione semper Cerebri proprietatem ex parte tribuisse hisce nervis, quos *Willisius* non aliter ab impressionibus Cerebri affici dicit, quàm quatenùs hæ â Cerebro ad Cerebelli provinciam ablegantur, & per consequens immediatè ab hôc ultimo pro transmittendis Spiritibus animalibus illas ad partes, in quas inseruntur, dependent.

Ad caudicem medullarem inferius extremitatibus processus annularis contiguam sita sunt corpora pyramidalia & olivaria, è quorum regione locati sunt duo longi medullares tractus ultimò commemorati, qui â processu transverso medullari pone testes produci, ac in alteros transversos processus medullares antè introitum in quartum ventriculum ex altero latere terminari videntur, per quos forsan insignis fluidi animalis copia ad nervum patheticum, â primô processu transverso oriundum, & ad mollem sive secundum ramum nervi acustici, â lecun-



Fig: I. pag. 159.







â secundô processu hôc in latere propullulantem, & ad nonum & decimum par ab alterô latere productum fertur.

Et ut finem faciam, ab omnibus his conjunctim sumtis, ut & ab omni reliquâ medullari Cerebri parte, quæ ad nervos inquilinos non distributa est, dispensari Spiritus animales promiscuè ad omnes extraneos nervos ab elongatione Cerebri, spiritualis medulla dicta, ortos, supponi potest. In quâ ultimâ hæc deprehenditur conformatio seu dispositio partium â Cerebri texturâ differens, quòd quæ pars cineritia in hâc est externa, in illâ iterum occupet locum; idque ex causâ satis prægnanti & industria naturæ providentia sic ordinatum est, siquidem pars cineritia Cerebri pro supplemento nervorum â Cerebro pariter ac spinali medulla ortorum inservit, qua propter habere debebat amplissimum spatium, & dimensionem maximam, quod tamen absque hoc situ fieri non poterat, quâ denegatâ texturâ nervi hujus partis debuissent oriri âparte cineritiâ jam dictæ medullæ, quod tamen naturæ instituto contrarium est.

Explicatio Figurarum.

Figura I.

Exhibet Basin Cerebri cum Medullæ oblongatæ parte, ubi vasa sanguinea cerâ repleta sunt.

A A. Lobi anteriores Cerebri.
B. B. Lobi posteriores.
C. C. Cerebellum.
D. D. Sinus laterales.
E. E. Arteriæ vertebrales inter primam vertebram & os occipitis currentes.
F. Sinus vertebralis.
G. G. G. G. G. Dura Mater in latere dextro â medulla Spinali retracta, in sinistro eandem tegens.
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Decem paria nervorum â Cerebro, & septem â medulla spinali producta.
a. Foramen ab infundibulo ad glandulam pituitariam pertingens.
b. b. Duæ albæ protuberantiæ pone Infundibulum.
c. c. Duo trunci arteriæ carotidis dissecti ubi inter anteriores Cerebri lobos se insinuare incipiunt.

d, d. Duæ

d.d. Duæ arteriæ carotides cum arteria cervicali jungentes, rami communicantes dictæ.

e.e. Duo rami insignes arteriæ cervicalis, qui subindè â rami communicantis utroque latere provenire videntur, â quorum priore plexus choroidei ingenere, a posteriore plexus choroideus quarti ventriculi oriuntur.

f. rami quidam exiles ab arteria carotide distributi.

g. Arteria cervicalis ex duabus truncis arteriæ vertebralis intra cranium composita.

h.h. Duo trunci arteriæ vertebralis.

i.i.i. Arteria spinalis.

K. Ramus exilis arteriæ cujusdam nonum par nervorum transiens.

l.l. Crura medullæ oblongatæ.

m.m. Protuberantia annularis seu Pons Varolii.

n. Pars caudicis medullaris in latere dextro â *Willisio* & *Vieussenio* Corpora pyramidalia vocata.

o. Pars ejusdem lateris Corpus olivare dicta.

p. Ramus anterior arteriæ Carotidis anteriores Cerebri lobos dividens, ex duobus ramis, quorum conflatus alter solummodò conspicitur.

q.q. Rami exiles arterioſi plexum choroideum in quartô ventriculo ex parte constituentes.

r.r.r. Rami arterioſi ab arteria cervicali supra & per protuberantiam annularem dispersi.

s.s. Pars secundi processus seu Pedunculi Cerebelli.

** Nervus spinalis accessorius.

Figura II.

Monstrat internam Basin Cranii, ubi sinus cerâ repleti sunt.

A A. Margines Cranii.

B. B. Dura Mater in fundo Cranii.

C. C. Sinus laterales.

d.d. Superiores, longiores & angustiores sinus.

e.e. inferiores, breviores & ampliores sinus.

f. Processus ossis cribriformis, Crista galli vocatus.

g. g. Rami quidam exiles venoſi descendentes ad fundum duræ matris.

h. h. Primus ramus arteriarum duræ Matri proprius.

i.i. Secundus ramus arteriarum ad duram Matrem spectans.

K. Tertius ramus ad duram Matrem pertinens.

L. Ultimum foramen Cranii.

m.m. Venæ quædam cum inferioribus brevibus sinubus communicantes.

n. Pars ossis jugalis.

o.o. Os Ethmoideum, ubi primum

par

Fig: II - pag. 160.



Fig: III.

pag. 161.



Fig: IV. pag. 161.



X & X App



par nervorum vel Processus mammillares egrediuntur.

p.p. Nervi optici abscissi.

q.q. Arteriæ Carotides abscissæ.

r. Tertium par nervorum ex unô latere saltem conspicuum.

s.s. Quartum par nervorum reclinatũ.

t.t. Quintum par nervorum in unô latere expansum, antequam in tres dividatur ramos; in alterô sibi relictum, qui nervi cum tribus suis ramis in Fig. III. conspiciuntur.

V. Prior & superior ejus ramus in latere sinistro per secundum foramen Cranium deferens.

W. Sextum par nervorum.

X. Nervus intercostalis in hoc subjecto â duobus ramis nervi quinti procedens & cum corpore sexti nervi se jungens.

Y. Duo rami paris quinti nervorum in hoc subjecto sexto pari arctè combinati, suntque ex parte radices nervi intercostalis sub & intra tunicas arteriæ carotidis ex cranio provenientes.

Z.Z. Truncus arteriæ Carotidis cranium ingressæ.

1.1. Glandula pituitaria.

2.2. Sinus Circularis.

3. Infundibulum.

4.4. Arteriæ frontales.

5.5. Locus, ubi sinus laterales declives & tortuosi redduntur.

6. Dura Mater elevata & reclinata, ut nervi subjacentes conspiciantur.

7.7. Par Septimum seu Nervi acustici.

8.8. Par octavum seu vagum.

9.9. Nonum par.

Figura III.

Præsentat Nervum Quintum cum suis ramis, prout intra Cranium conspicitur.

A. Truncus.
B. Ganglion ejus.

C. Prior vel superior ramus per secundum foramen Cranium relinquens.

D. Secundus vel medius ramus per idem foramen progrediens.

E. Tertius vel inferior ramus per quintum foramen prorumpens.

Figura IV.

Sistit Sinus superiores & laterales duræ Matris apertos, postquàm Cerâ fuerant repleti.

A. Sinus tertius seu longitudinalis.
B.B. Primus & secundus seu laterales sinus.

C. Quartus sinus.
d.d.d.d. Vena ex utroque sinus tertii latere currens.

e, e. e. e. Oscula venarum in sinum longitudinalem duræ Matris hiantia.

f. f. Sinus quintus in fundo falcis.

g. Torcular, ubi superiores & inferiores sinus omnes sibi occurrunt.

h. h. Pars tortuosa sinus lateralis sub cerebellum producta.

i. i. Venæ quartum sinum â plexu choroideo intrantes.

K. Locus, ubi quartus sinus exsurgit.

* * Specus, vel foramen rotundum, per quod sinus laterales ex utroque latere in jugularem internam venam desinunt.

l. l. Duæ amplæ venæ, quarum altera intrat quartum sinum supra secundum processum duræ Matris, ut resistat sanguinis fluxui in hoc sinu ad torcular ascendentis; altera supra eundem processum, ut ejus descensum ad venam jugularem internam impediat, secus ac *Vieussenius* hoc ipsum depinxit Tab. III. H. H.

m. m. m. m. Ligamenta transversa chordalia in sinubus longitudinali & lateralibus.

n. n. n. pars duræ Matris in utroque latere sinus longitudinalis.

o. o. o. portiones piæ Matris.

P. P. P. P. P. Venæ quædam exiles in durâ Matre, intrantes illam, quæ ad latera sinus longitudinalis transcurrit.

q. q. q. q. q. Venæ Cerebri, prout conspiciuntur sub piâ Matre, antequam sinum longitudinalem intrant.

R. R. Processus falcatus cum suis venis sinum quintum intrantibus.

S. S. Secundus processus duræ Matris.

✝. ✝. Origines venarum jugularium.

Figura V.

Offert Cerebrum dissectum cum suis Venis cera repletis.

A A. Fornix circa radices dissectus & reclinatus.

b. b. Ejus radices circa ortum thalamorum nervorum opticorum.

c. c. c. Thalami nervorum opticorum.

d. d. pars crurum fornicis, quæ crassior reddita, ubi ad ventriculos laterales deviat, currit super crura medullæ oblongatæ, & cum in ovibus & vitulis valdè promineat, hæc ad talem protuberantiam â Veteribus Bombyces vel Hippocampos dictam perducit.

e, e. Pars plexus choroidei, quæ â primô ramô arteriæ cervicalis conflatur, & subinde â ramô communicante in ventriculis lateralibus prodire videtur.

f. Locus, ubi hi duo plexus ex utroq; latere concurrunt sub fornice.

g. g. Altera

Fig: V. pag: 162





Fig: VI. pag: 163





g. g. Altera pars plexus, quæ â secundô ramo arteriæ cervicalis cùm primo per communicantem ramum hic non conspicuum, cùm sub cruribus fornicis lateat, conjuncto conflatur, expansa super Isthmum glandulosa tandem evadens, inspecie sub glandula pineali per fornicem hic tecta.

h.h.h. Duæ amplæ venæ ab apice partis superioris plexus ad alterum ramum plexus juxta longitudinem tertii ventriculi descendentes, & in quartum sinum desinentes.

i.i.i i.i.i. Trunci arteriarum quarundam, per separationem partis cineritiæ â medullari quasi abscissi.

K.K. Ramus venosus plexum choroideum in utroque latere intrans, â quô quædam ramificationes abeunt ad corpora striata.

Δ. Δ. Corpora striata integra.

l. Rima tertii ventriculi.

m.m. Tractus medullaris longus inter thalamos nervorum opticorum & corpora striata.

n.n.n.n. Centrum ovale *Vieussenii.*

O. Sinus quartus duræ Matris.

P. Torcular, ubi quatuor, quandoq; quinque sinus sibi invicem occurrunt.

Q. Q. Sinus laterales.

R Vena ampla sinus laterales ex uno latere intrans.

S.S.S.S. Cerebellum quoad partem superiorem processu secundo duræ Matris tectum.

T.T. Arteria vertebralis.

V.V. Sinus vertebrales.

W. Medulla spinalis cum suis integumentis.

x.x. Stylus attollens venas ampliores plexus choroidei in tertio ventriculo.

q.q. Lymphæ ductus plexus chroidei.

y.y. Duo nervi cervicales â Medullâ oblongata propagati.

†.†.†.†. Pars medullaris Cerebri.

**** Pars cineritia Cerebri.

Figura VI.

Offert tractum Protuberantiæ annularis, Medullæ spinalis &c. per medium juxta longitudinem sectum.

A A. Crura Medullæ oblongatæ.

B. B. Processus annularis seu Pons Varolii divisus.

c.c.c.c. Striæ transversæ.

e.e. Tractus medullaris interpositus, in quem striæ in utroque latere terminantur.

f.f. Processus tertius seu chordalis *Willisii.*

h. Medulla spinalis.

i.i. Pars Cerebelli.

K.K. Processus secundi Cerebelli Protuberantiam annularem formantes.

l.l. Pars cineritia Medullæ oblongatæ.

Figura VII.

Sistit Cerebellum in parte posteriori dissectum, & lateraliter reclinatum.

A A. A. Cerebellum.
B. B. Ramificationes arboreæ Meditullii in Cerebello versus inferiora disciſſi.
C. C. Nervi Pathetici.
c. c. Nates.
d. d. Testes.
e. Processus transversus, â quô par patheticum exurgit.
f. Glandula pinealis.
g. g. Primus processus Cerebelli ab hoc ad nates decurrens lateraliter extensus.
h. h. tertius vel chordalis Processus.
i. i. Processus medullaris transversus in quartô ventriculo, â quô ramus mollis septimi paris nervorum oritur.
K, K. Processus medullaris â processu transverso ponè testes descendens ad modò dictum processum transversum medullarem.
l. l. origines processus hujus.
m. m. Par octavum nervorum.
n. Calamus scriptorius vel Extremitas ventriculi quarti.
o. Medulla spinalis.
P. P. Nervi accessorii.
q. q. Decimum par nervorum.

OBSER

Fig: VII. pag: 164.



L et X. App.



OBSERVATIO.

DN. M. MARTINI GRUNEWALDI,
Catechetæ Zittavienſis,
ſiſtens,
Epilepſiam ſecundi gradus à faſcino, in Catalepſi admiranda,

Zittaviâ Delitium ad Dn. Valentinum Erneſtum Löſcherum, SS. Theologiæ Doctorem, Paſtorem Delitienſem hujusque Diœceſeos Superintendentem, die 7. Novembris 1702. miſſa; qui Obſervationem hanc d. 16. Decembris in vernacula communicavit D. Johanni-Caſparo Weſtphalo, ut Ephemeridibus Medico-Phyſicis inſereretur. Hic ergò, in gratiam exterorum linguæ Germanicæ ignarorum, in Latinum tranſtulit & Scholio illuſtravit.

ANna-Helena Gottſchalckia, Zachariæ Gottſchalcks, Civis & Alevropolæ Zittavienſis in vico populneo habitantis, nec non Catharinæ ex Rothiorum familia ortæ, filia, quæ anno Chriſti 1691. die 17. Martii circa ſextam veſpertinam nata eſt, & â tenerâ ætate, parentum ac vicinorum teſtimonio, ſatis luculenta pietatis obedientiæ modeſtiæque ſpecimina edidit, die Decembris ſeptimo anni 1701. circa meridiem, habitu lugubri amicta, matrem antegreditur, exequiis ut interſit Senis cujusdam exulis Martini Nicolai, qui ê Bohemia extorris huc conceſſerat. Veniunt ad ædes Altmanni, Civis atque Pannificis iſtius loci, ê cujus forium regione aqua ex ollula in gyrum quaſi effuſa ac diſperſa videbatur. Locum hunc puella ſupergreſſa, ê veſtigio, horrore membrorum correpta, tota expalluit, quod teſtati ſunt, qui ejus in domum funebrem, Berſenii nempe illam in vico Balneatoris, ingreſſum obſervarunt; puella nihilominus, quaſi nihil moveretur, ſuâ hâc infirmitate in funus procedit, templumque ſepulchrale cum aliis ingreditur. Dum autem concioni audiendæ attenta eſt, totum corpus vehementiſſimo frigore corripitur, ita ut ſtatim â concione ſurgere & domum ſe conferre coacta fuerit. Inter redeundum, propter nauſeam obortam, vomitum cohibere vix potuit. Domum reverſa confeſtim lectum quærit; veſperi tamen poſt ſeptimum ſurgere & unà cum parentibus cœnare tentat, ſed inter cœnandum ſubitaneâ lipothymiâ cum oculorum inverſione, manusque dextræ jam levatione jam depreſſione ſpasmodicis, unô verbô primo illo epilepſiæ gradu, ſcotomiâ, corripitur: poſt-

quam autem parentes eandem aquâ antapoplecticâ recreant, sensus recurrunt, & dextra quieta manet; utut post horæ quadrantem circiter dicta jam scotomia recurrerit. Unde parentes formalem epilepsiam metuentes, sine mora Medicum consulunt, & medicamenta præscripta ex Officina pharmaceutica petunt. Sed omnia incassum applicantur, quin potius malum erupit in convulsiones totius corporis longè maximas, quibus brachia cum ingenti articulorum strepitu mox antrorsum, mox retrorsum spasmodicè extendebantur; unde & alii Medici in auxilium vocabantur. Nihilominus malum indies crevit, adeoque totum corpus oppidò miris iisque penè in enarrabilibus convulsivis motibus affligebatur: mox enim abdomen attollebatur cum dorsi incurvatione introsum in arcum concavum, capite tamen pedibusque immotis relictis: nunc totum corpus cum omnibus artubus motu exquisitissimo, sine ullo tamen manuum pedumque adjumento, in gyrum agebatur: nunc metus erat, ne lectulo excuteretur, adeoque vix duo homines ipsi tenendæ sufficiebant, nunc facies torvam admodum referebat larvam, brachia spasmodicè antrorsum versus extendebantur, simulque etiam totum corpus perpendiculariter levabatur sine omni brachiorum ope, non aliter ac si fune raperetur: nunc junctis pedibus ê lectulo prosiliebat in pavimentum, ê pavimento in mensam, ê mensa ad fenestram, ê fenestra dubio procul foras se præcipitasset, nisi ab adstantibus retracta fuisset; nunc horrendo hiatu rictum distentabat, linguaq; in fauces retractâ supremus labris os carpionis fingebat, oculos insuper protuberantes, faciem ampullatam, & abdomen tympani in morem & ad rupturam quasi usque distensum ostentans: nunc per semihoria maxillarum clausurâ spasmodicâ obmutescebat, sensibus tamen integris, cessantibus licet sub his phænomenis illorum functionibus. Durante hâc obmutescentiâ sitim ingentem murmure quodam indicabat, cerevisiamque oblatam admodum avidè & magno conatu sorbillabat cum difficili deglutitione, quæ non rarò adeò molesta, ut adstantes suffocationem metuerent.

Hactenus dicti paroxysmi dies noctesque ad 12. Januarii usque horrendum in modum per vices continuarunt.

Doloribus hisce incredibilis accedebat pediculorum copia, adeò ut magnum horum numerum uno raptu prehendere & capite detrahere posset. Et licet mater nihil omitteret, quod ad phalanges has fugandas & enecandas requirebatur, exterminari tamen minimè poterant. Aliquando misera globum pediculorum capite detractum manu apprehendebat &, nemine jubente, his verbis â se projiciebat: En tibi, venefica vetula, reddo pediculos tuos! Et ecce! extemplo omnes pediculi evanescebant cum ingenti parentum admiratione. Dicto

cto 12. Januarii circa vesperam parentibus, fratri & amicis, patheticè valedicebat, gratias simul agens pro omnibus exhibitis beneficiis, & si quem offendisset, ignosci id sibi ab illis petebat, inter alia sic loquendo: Mihi jam abeundum est, Vobis autem non item; quòdsi inepti quid locuta sim, judicio meo imbecilli, quæso, attribuite; si indecore egerim, morbo meo imputate. Parentibus hæc plorantibus dicebat: Ne ploretis! hinc arreptâ laciniâ addebat: extergam Vobis lacrymas; quod & sæpius, inprimis parenti, ipso actu præstitit. Per noctem sæpius subvertebat oculos tot simul tantisque affligebatur concussionibus universi corporis, ut ex imbecillitate mori videretur. Symptomatis his die 13. & 14 Januarii hoc etiam accedebat, ut corpore sublimi caput pedesque retrorsum ad lectum suffulciret. Die 15. Januarii circa meridiem per omnia quieta erat; simul ac autem primâ pomeridianâ ad dimidium elapsâ campanis Cultus Divinus indicaretur, spuma circa os apparebat; unde adstantes, mortem ejus instare rati, preces fundebant, præsertim cùm obrigesceret, & extensis cruribus funeris in morem se componeret. Cùm igitur parentes circa secundam pomeridianam, clausis foribus, de funere putatitio lavando & levando cogitarent, filia palpebris nictare, & os aperire, sensibusque recurrentibus fari incipit. Quærenti patri quomodo se jam modò habuerit? respondit: Nescio. Mox supra dicta symptomata spasmodica eam invadebant. Die 16. Januarii circa meridiem præter spem se in talos erigebat, torvos undique circumferens oculos è lectulo erumpere moliebatur, quòd contrà adstantes summo conatu impediebant; pugno etiam simul, minitanti similis, manum alteram contundendo tandem in hæc verba etumpebat: Jam te video! Nunc, quæ sis, mihi innotescis! nomine te omnino vocabo; fasciculum tædarum sulphurearum in tergo geris; genubus in terram flexis Crispum adoras; ecce, quomodo auribus tuis insusurrat! Domestica nostra fuisti, in hypocausto superioris ædium contignationis habitasti; optimè te novi, nominarem etiam, sed prohibeor, attamen tu non impedies. Hinc quærebant adstantes, ecquamnam videret? recitabant etiam simul varia prænomina, ad quæ singula respondebat, non esse hoc genuinum; dehinc cùm fortè fortunâ Sabinæ nominis mentionem faciunt, illa annuit: Ita. Ita! ipsa Sabina vetula est. Ast vix ipsi verba hæc exciderant, supino capite retrò in lectum rapiebatur: sicut etiam adstantes sæpius observarunt, quòd morbus puellam extemplò miserrimis modis afflixerit, quoties vel hæc vel adstantes Sabinæ, (quæ nuper ædes Gottschalckianas reliquerat, & ad supra nominatum Pannificem, Altmannum, habitatum concesserati) mentionem fecerint, aut de hac sermones quomodocunque miscuerint.

Aliquot diebus præterlapsis ovum postulabat cum modico salis. Ovum

ita

ita pictum volebat, ut ab altero hemisphærio vetula Sabina, dextrâ furcam & sinistrâ scopas tenens; ab altero verò Crispus, (ita enim dæmonem semper vocabat) conspicerentur. Interrogata quid sibi hoc ovo faciendum decrevisset? respondebat: id ipsum ad vetulam deferre se velle. Hoc petitum cum per aliquot dies denegatum ipsi fuisset, nec tamen ab eo desistere vellet, ovum tandem, non tamen desiderato modo pictum, sed simpliciter coloratum, dedêre, quod statim ad Sabinam deferre volebat; adstantes verò non permiserunt, hinc illud, confractâ testâ, comedere volebat, unde mater manibus ereptum arculæ in superioris contignationis camera, nemine hoc sciente, inclusit. Postero die ægrota multis precibus â patre efflagitat, ut in jam nominatam cameram apportaret; cumque ille annuisset, ea oculis emissitiis omnia lustrat, & tandem arculam, cui ovum inclusum, ut recludat pater, enixé rogitat. Hic, ovi quippe â matre reconditi ignarus, arculam recludit; filia verò statim hanc involat, & arrepto ovo inquit: Euge! satis probè sciebam, te huc esse depositum. Suffurabantur autem denuò adstantes ovum, & cœlo spondæ, insciâ ægrâ, superimponebant; illud etiam hîc confestim quæsivit & reperiit ægrota: quo facto tandem planè è domo sublatum est. In his rerum angustiis parentes Sacerdotem quendam requirere jubent, qui solatiô tum se ipsos tum veneficio afflictam filiam erigat. Hic lubentissimè accedens, & rara ac mira ista phænomena attonitus conspiciens, precibus & cantionibus devotis ad Omnipotentem DEUM se convertit, miseræque simul, quantum sæpiùs repetiti paroxysmi epileptici permiserunt, quæstiones catecheticas proposuit, & prima fidei elementa ab ea postulavit. Mirum autem dictu, quàm benè in hoc examine steterit! Tantam enim de DEO ejusquè sanctissima voluntate, tantam fidei Christinæ theoriam, tantam in perferenda cruce patientiæ firmitatem, prodebat tenella hæc anima, quantam in quamplurimis adultis non expectasses: sicut etiam miseranda puella eodem momento, quo paroxysmus remiserat, devotissimis precibus & cantionibus vacavit, proposita scripturæ sacræ dicta memoriæ impressit, adque quæstiones propositas expeditè respondit; Et licet paroxysmus loquelam non rarò interrumperet, ita ut responsiones suspendere cogeretur, remittente tamen paroxysmo; ubi substiterat exactè scivit, unde etiam inde exorsa observata constructione orationis telam absque temporis intervallo ritè pertexuit. Nec unquam Sacerdotis sæpius repetitas visitationes molestè tulit, aut morosam se præbuit, multò minùs reluctari visa est; quin potiùs, si ille per officii occupationes accedere non potuit, præsentiam ejus anxiè efflagitavit, adeoque magnum ei affectum servavit. Interea temporis Medicorum etiam auxilium in & extra urbem implorabatur; omnia tamen medicamenta in cassum adhibebantur.

Die

Die 19. Januarii, multiplici adstantium persuasione, pulverem quendam, â Medico quodam ê Bohemia transmissum, capiebat: sed pauco temporis spatio motibus convulsivis ê lecto in sublime rapiebatur, & digitorum utriusque manus unguibus trabem, hypocausti tectum suffulcientem, radebat, Posteà dicebat: Heu vetus venefica, sudorem mihi sanguineum exsugis! Cogor tibi ligamenta linea conficere; hîcque manus pedesq; eo modo commovebat, quo textrices horum solent: nunc lintea tibi lavare teneor; & hîc arrepta lodice lotricem mentiebatur: nunc pavimentum vertere jubes; & hîc stramine ê sponda extracto lodicem vertebat: nunc arcam recludere jubes; & hîc lodicis extremitatem prensabat, & quasi clavem obtorqueret se gessit: nunc pecuniam tibi numerare debeo; & hîc actioni hujus manuum gestus respondebant: nunc convivium agitas, & mihi coquinæ officium injungis, hîcque in arreptum cochlear exspuebat, cumque hoc manibus in gyrum egisset, in angulum illum, in quo Sabinam vetulam sedere dicebat, projiciebat, dicendo simul: En tibi pulmentum! Pergebat porro: jam cibum sumit; in lecto cubat; Crispus cum illa cancris vescitur; reliqui discumbunt seorsim; dimitte me, Pater, ad cibum sumendum vocatam; cumque dimittere nollet, brevi post dicebat: Phy! nolo; meras enim, dum penitius inspicio, placentas vaccinas video. His ita dictis supina in dorsum cadebat capite ad pedes converso, & vomitu aliquoties repetito materiam spurcissimam, eamque flavam spadiceamq;, aliamq; omnino mirabilē rejiciebat, quam pater in area domus sepelivit. Cessante isthoc vomitu omnis etiam paroxysmus confestim cessavit, ita ut, præter summum languorem, nihil supereset. Insequente nocte satis tranquillè quievit, maneque satis sana evigilavit, unde unà cum Sacerdote ocyús pro more adveniente, nec non parentibus, qui præ gaudio obstupescebant quasi, Omnipotenti ac Clementissimo DEO pro præstito auxilio devotissimas persolvebat gratias.

Die 27. Januarii circa nonam matutinam vetulla illa Sabina in hypocaustum veniens, puellam, ad cujus lectum confederat, quomodo se habeat? interrogat: cui cùm parentes & filia omnia, quæ hæc de illa vidisset & dixisset, narrarent, nihil ad rem quod esset reponit, sed facie aversâ inquit: Cum domum venero, sub dio genubus innixa Orationem Dominicam pro te orabo. Tu modo sile; & hæc dicens puellæ brachium dextrum, hinc faciem, atque post brachium sinistrum demulcebat, oculos tamen in decumbentem minime vertebat, sed foribus hypocausti pertinaciter infixos habebat, atque loquendo pergebat: In formosam virginem aliquando evades, & parentibus amplam ridendi occasionem suppeditabis: deinde clavem â fœmina, quam secum adduxerat, acceptàm circa baculum suum aliquoties gyrabat, dehinc manu sinistrâ lectulo puellæ &

mox peræ suæ ingerebat. Eodem momento malum recúrrens misellam convulsionibus miserabilibus in lecto pervolvebat. Parentes lamentari occipiunt, quibus vetus Sabina dicit : Silete ! omne malum in sanitatem commutabitur, cras revertar; atque sic abibat. Interea temporis morbus crudeliter sæviit, ægrotæque mirabiles ac varii generis gestus extorsit ; imprimis manibus pedibusque illa texturam ligamentorum lineorum suprà dictam, filamentorum glomerationem, & quasi ligamina lintea confecta manu dextrâ brachio sinistro superinvolveret, simulavit. Ad hæc totam corporis machinam tam diu circumgyrabat, usque dum primam stationem recuperasset. Die 10. Februarii horâ septimâ vespertinâ dicebat : Hac nocte, Pater, mira audies ! Sabina aliquid ligni ê sepimento vitis nostræ exscindet; cui pater respondebat : Si hoc ita fore scirem, dignis modis eam exciperem ; filia contra dicebat : Obsecro pater, ne exeas ; ventus enim surget, qui si Te afflaret, extemplò dolores capitis, non nisi cum vita finiendos, sentires ; de hinc canis latrabit, & quidem ternis vicibus ; ventus verò quater, & ultimâ quidem vice in puncto duodecimæ, horrendum tummultuabitur. Singula hæc ita evenerunt, quæ uterque parens non sine horrore audiverunt, primâ nimirum vice circa horam octavam, secundâ & tertiâ circa nonam, & ultimâ, sine tamen latratu, in puncto duodecimæ ; sicut etiam ad secundum venti impetum & canis latratum parentes filia admonuit ut adverterent, dicendo : hoc ipso momento Sabina sepimentum vitis castrat. Manè cùm sepimentum hoc convisunt, ligni abscissio vera comperta est, & unicuique adhuc ad oculum patet. Instantissimè quidem rogaverat, ne quis hac vespera quicunque etiam sit, in ædes intromitteretur ; interim post septimam duæ personæ sequioris sexus fores pulsant, quæ á matre interrogatæ unde sint & quid velint ? respondent : missas se esse â Dominis suis, ut ægrotanti filiæ dimensum cibi apportent. Cùm igitur famulæ istæ satis notæ, & mater de sympathia Christiana optimæ familiæ nihil dubitaret, apertis foribus allatos cibos cum decenti gratiarum actione accipit. Puella autem de hac forium apertura confestim multùm lamentatur, dicendo : Nunc habet vetula quod vult, mihi vero parati sunt dolores ; vento quodam ædes nostras pervolavit, lignumque secarium secum abstulit. Quamvis tunc matri fatendum esset, aperientem se fores ventum afflasse, segmentum tamen ligni propter acervi hujus confusiônem exactè desiderari non potuit.

Intereà symptomata illa furiosa non solùm in eodem permanebant statu, sed etiam die 29. Marti, circa undecimam antemeridianam præter propter, novum accedebat symptoma : absentibus nimirum parentibus, quos Amplissimum Collegium prætorianum oppidanum in curiam vocaverat, surgit dicto tempore filia ê Lectulo, conscensâque sellâ varios edit sermones. Hic equi-

dem

dem quibus puellæ cura commissa erat, nihil sibi rari conc piunt quod mirentur. Ast postquam sequentibus diebus denuò insolitis & mirabilibus gestibus in altum se levaret, & clausis oculis, ac sine manuum ministerio, laterali spondæ asseri incederet, vultuque modesto sellam, quam prius composuerat, conscenderet, hymnumque : *Nunc grates DEO dicite omnes &c.* decantaret; atque porrò de patientia in cruce, impiorum indurations, de auxilii divini energia ac certitudine, verbis claris, tersis ac nervosis ultra horæ quadrantem peroraſſet; tandemque adjectâ benedictione ecclesiasticâ, omissa tamen signi crucis formatione, sub decantatione hymni : *Meas dicavi res DEO &c.* è sella super tenuissimum spondæ asserem in lectulum se recepisset, & confestim acutissimo paroxysmo epileptico, gravissimis convulsivis motibus stipato, afficeretur, parentes hinc consternati, quid de mirabilibus hisce phænomenis sentire debeant, nesciunt. Confugiunt igitur denuò ad illum Sacerdotem, quem antèa in miseriis suis fidum experti erant parastatam, eumque de novo hoc symptomate certiorem faciunt. Hic præsentiâ suâ diutiùs non moratur, nec aliquid intermittit, quod ad erigendos miseros facere videbatur: quin & posterô die misellam in dicto statu & occupationibus offendit, lepidamque imperitæ puellæ eloquentiam non satis mirari potuit, rerum suarum satagere non obstat, visurus, qualem finem actio hæc sit habitura. Conspectâ igitur & perceptâ veritate ejus, quod parentes retulerant, quærit cessante paroxysmo ex puella, quomodo se jam habuisset? num sciret, quid fecerit? & annon etiam hymni cujusdam meminerit? Hæc autem ad singula respondet : Se nihil horum scire, neque ullius meminisse hymni, præter eos, quos seduló orandos ipsi injunxerit, ut : *DEUS Pater nobiscum sit, &c.* &: *In Te locatur spes mea &c.* Sequentibus diebus conantur, qui adsunt, concionatrici cataleptica obloqui, silentium imperare, nomine proprio compellare, actiones improbare, loco movere, variaque agere, quæ eam vel expergefacere vel confundere possent : ast concionatrix nostra omnia hæc nihil planè morabatur, sed incœpto discursu, cumprimis verò in pathetica epanorthosi, strenuè pergebat. Sacerdos tandem severè succlamabat, & num fortè hæc ita simularet, austero vultu perquirebat, ac ne veritatem occuleret hortabatur; quinsi vel maxime boni quid profari animus sit, id potius in lectulo suo sine pompositis istis ac periculosis partim ceremoniis faceret. Sed omnium se ignaram iterum professa est; coram parentibus etiam multis profusis lachrymis conquesta, quòd hæcce talia sibi imputentur, cum tamen adeò infirma sit, ut vix os aperire aut talum movere, multò minus surgere & tanto temporis spatio perorare possit. Materia & forma discursus communiter una eademque erat, nisi quòd una homilia alterâ esset vel brevior vel prolixior. Sequentia verò die 17. Aprilis intra undecimam & duodecimam ex ore ejus excepta sunt;

Gratia DEI Patris, Amor JESU CHRISTI, & Communicatio Spiritus Sancti, penes me & penes Vos sit & augeatur!

Hîc cecinit duos versiculos hymni:

Nunc grates DEO omnes &c.

Quibus finitis ita loquebatur.

O Moeror! O cordolium maximè deploranda. Accedo ad Vos Ministra DEI. Dilecta Christiana, cordato animo crucem tuam perfer. Onerosa equidem nobis est Crux propter diuturnitatem; sed noli desperare in tanta miseria tua, DEUS manu suâ te proteget. Manus DEI si supra nos extensa non fuisset, dudum periissemus. Misera ego gemiscere cogor: Intraverunt aquæ ad animam usq; meam. Sed miserere nostri Domine. & manus tuas auxiliatrices imposterum ne aufferas à nobis. Exaudi orationē nostram & clamorem nostrum. Quanquam os vix fari ulterius possit, & anima langueat nec linguæ motus porrò sufficiat, exaudi tamen Domine filiæ aut suspiria, & animam meam labascentem conforta. Væ autem tibi, quæ Satanæ laqueis irretita incedis, & Satanæ aures præbes! scelera tua, quæ cor tuum ingentis saxi instar premunt, dissimulas; non amplius tamen celare poteris & ipsa anima tua Deum ad vindictam provocabit; multos enim bonos bonasque vitâ privasti. Ah væ tibi! væ tibi in æternum! Ah quam multi hominum sanctissimos se simulant, ædesque DEI Sacras frequentant: sed dormiunt in his; Satanas aures ipsis obturat, ne audiant. Pessimum hominum genus est, quod se in vulgus jactitat, dicens: Nunquam peccavi. O væ tibi, qui sic facis! pius enim Christianus confiteri non veretur, se esse peccatorem. Omnes certè in peccatis concepti ac nati, & nudi mundum ingressi sumus. Noli quæso, dilecta Christiana, in cruce tua desperare. Quis enim mortalium magis affligitur cruce quam homo pius? impiis nimirum semper benè est, qui & de piorum tribulationibus lætantur. Ne ergò, filia mea, in cruce tua despera, quin potiùs DEO tuo firmiter adhæresce; DEUS enim juvare potest, nec ullus hominum. Confide ergò DEO, dilecta Christiana; cum amarus crucis calix satis repletus

tus fuerit, veniet JESUS, & illum edulcorabit. Per me ipsam non venio, sed à DEO missa sum. Ah mi JESU! moras tantas cur nectis? Valde angor & excrucior. Veni ergò JESU, & me conforta! Inclina aures tuas, & miserere mei. Procumbite in genua, & devoto animo orate Orationem Dominicam. DEUS benedicat Vobis & custodiat Vos &c. Amen!

Concione sic finitâ cecinit versum primum hymni:

Meas dicavi res DEO, &c.

Simulque conclusit illam, decantando rhythmos quosdam, quorum tenor versu sequenti Latino ita sonat:

Munde immunde Vale! tuque improba vita valeto:
Nil tibi tristitia est res tua spesque. Vale!

Sequentibus diebus binis tantum vicibus quotidiè cathedram suam conscendit. In hebdomade tamen Palmarum argumentum Orationis suæ fecit de acerbissima passione ac morte JESU CHRISTI; hôcque sacro labore continuavit ad 19. Aprilis usque, quo nimirum die intra 12. & 1. horam monuit: Satisfeciſſe nunc jam muneri à DEO sibi commisso; Coangustatæ animæ interim notandas esse allatas consolationes, ne quicquam à DEO, & fiducia in eum, ipsam avellat: Quod si Satan tentationibus suis porrò exerceat, eum contemnat & inspuat, dicendo: Nihil tibi hîc negotii; locus tibi destinatus inferni barathrum est. Subjunxit tandem: se nunc ultimâ vice in nomine DEI cathedram adscendisse, nec quicquam ulterius posthac monituram esse. Uti igitur die quodam Mercurii concionibus suis initium fecit, ita & Mercurii supra dicto die finem iisdem imposuit, nec tale quicquam post ausa est. Finito ultimo hoc sermone à quopiam Auditorum interrogata: Ubinam locorum jam fuisset? respondit: in viridi ac perpulchro prato; adstitisse sibi etiam virunculum quendam album, qui ipsi dixerit: Duco te, dilecta mea filia, jamjam ultimâ hâc vice in pratum viride, & nunc valebis. Vetulam Sabinam, pergebat, voluisse etiam hoc pratum conscendere, sed virunculum album accessum ejus inhibuisse.

Hic cumprimis illud adhuc memorandum venit, quod 7. Aprilis novam & planè inopinam actionem expediundam sibi sumpserit: Circa meridiem nimirum sanâ ratione è lectulo surgens patrem ita allocuta est : Fascinum nunc tandem invenero , quod Sabina vetula in ædes nostras intulit ! Cum igitur Pater ex illa quæreret, quidnam hoc esse putet ? respondit : Cochleola erit, quâ os mihi clausit ; duo ossicula ; folia aliquot viridantia, quorum uni pediculi isti inhærent, quibus caput meum per fascinum obruerat, & quos in tergum ejus projiciebam ; ferrum in se retortum ; animalculum squamatum , & hoc ipsum virunculus est incantatorius. Adsunt quidem hujus generis multa plura , sed ea vesperi demum vel cras etiam circa diluculum reperero. His dictis in eundem hypocausti angulum se confert , in quo sæpius Sabinam vetulam se conspexisse dicebat, & ordine singula in conspectum profert , cum tamen eo ipso die totum pavimentum , adeoque & angulus iste , verrendo diligentissimè expurgata fuerint. Sub vesperam demum chartam , cui particula texturæ holosericæ nigræ tenuissimæ involuta , & duo recisamenta lignea profert. Die Sabbathi manè iterum quærit , & reperit spicam frumenti , item bursulam , cui nigellastrum increscit, aliquot aciculas , fasciculum capillorum , & clavulum. His ita repertis, severè interrogatur , undenam sciverit , quod hujusmodi res ibidem jacerent ? Respondet : se jam tum ante aliquot septimanas in somnio vidisse , quasi in camera superioris contignationis in sponda cœlata illa , quam nudius tertius sibi in hypocaustum transtulissent , cubaret , & albus virunculus è cœlo spondæ prospiciens fascinum hoc in angulo quærere jussisset ; hoc verò effectum dare nunquam nisi jam potuisse. His non obstantibus priores paroxysmi nullatenus remittebant ; morbus etiam omnia eludebat medicamenta , magna circumspectione à Domino Medico præscripta. Quinimò quantò major cura profligando malo adhiberetur , tantò infirmior fieri puella visa est , tantòque insolentius insoliti hi affectus eam torquebant. Cum & stato tempore maximæ præcordiorum anxietates accederent, adeò ut miseræ decumbenti in hypocausto isto permanere vix possibile esset , parentes spe alicujus levaminis domicilium mutabant , ipsamque in hypocaustum vicini cujusdam angustius transferre curabant. Omnia tamen irrito conatu fiebant ; quin potius morbus cum hactenus dictis symptomatis convulsivis augebatur in epilepsiam cursivam, quâ misera nempe certo tempore è lectulo prosiliens per hypocaustum

ſtum celerrimè curſitabat, nullumque locum ubi conquieſceret, invenire poterat, ſæpius in angulo fornacem verſus horridis geſtibus manus vibrabat, dicens, Vetulam iſtam Sabinam iſthîc præſentem eſſe; cum qua & ſtomachabatur, non aliter ac ſi hæc corpore adeſſet. Omnium verò jam actorum, ad ſanam rationem rediens, ignara erat. Cum igitur & hic nulla ſpes recuperandæ ſanitatis appareret, tertio Maji in ædes paternas reportabatur. Intereà nec ſic quicquam ſymptomata ſupra dicta remiſerunt.

Die 21. Junii Vetula illa Sabina præter omnem ſpem in carcere moriebatur, & quidem eodem tempore, quo paulò antè unum alterumque delictum per ambages fateri incepiſſet. Mortem hanc cum Mater miſellæ filia nunciaſſet, aliquantulum ſe erigens dicebat: Cordato eſto animo? nunc DEUS mei miſerebitur, & opem feret. Hoc ſolatium conſternatis parentibus datum, hæcque filiæ afflictiſſimæ fiducia nimium quantum creſcebant, cum ſequentibus diebus paroxyſmi dicti inſoliti ſenſim ſenſimque decreſcerent. Tandem 26. Junii circa quintam veſpertinam filia hactenus ægrota veſtes ſuas poſtulabat, hosque obſtupeſcentibus & ſimul tripudiantibus parentibus induebat, è lectulo ſurgebat, & titubante licet talo per hypocauſtum deambulabat, quieſcebat etiam ſequenti nocte ſatis placidè. Primo diluculo parentes admonebat, dicendo: Jam tempus eſſe, DEO pro immenſa gratia & ope ſtupenda gratias agere; cumque jam primâ vice è domo egredi conſtituiſſet, ædes primò Domini, dehinc animarum Curatorem, qui in miſeris ſuis anguſtiis Verbo DEI Omnipotentis magno ſibi adjumento fuerit, viſitare velle pronunciat: id quod etiam die illo ipſo effectum dedit, die nimirum 27. Junii quartâ pomeridianâ, quo tempore precibus conſuetis veſpertinis intererat: dehinc Sacerdotem illum tunc ægrotantem viſitabat, qui ejus inopinato acceſſu mirum in modum recreabatur, & in laudes omnipotentiæ ac miſericordiæ divinæ vegetus prorumpebat. Ab eo tempore non ſolum ab omni paroxyſmi recurſu immunis fuit, ſed etiam nullum dolorem in ullo corporis membro ulterius perſenſit, cum tamen poſt tot crudeles artuum tenſiones, horumque horrendas contorſiones, miſerandas abdominis inflationes, violentas jectigationes, aliosque innumerabiles cruciatus, nemini dubium fuerit, quin, ſuperatis his ſymptomatis, in artubus contorta & clauda ſit futura. Reſtituta DEI auxilio ſanitati de nullo amplius niſi præcordiorum doloribus conqueſta eſt; parum tamen cibi ac potus hacte-

nus

nus assumpsit, & tota in facie expalluit : quanquam & hæc symptomata nunc jam, dum hæc septimo Novembris 1702. scribo, maxima ex parte, per DEI gratiam, evanuerunt.

SCHOLIUM.

CAsus hic luctuosissimus, rarâ & mirâ symptomatum facultatis animalis syndrome stipatus, curioso ac sedulo Indagatori sistit Epilepsiam secundi gradus, quæ vulgò Dæmoniaca vocari solet, propter suppositam nimirum, à fictis Ethnicorum Græcorum dæmonibus aëreis, aut ipso diabolo infernali obsessionem : cujus affectus historiam Desideratissimus Noster quondam Præceptor, *B. Ettmüllerus, in Colleg. Pract. T. Opp. II. pag. 875. seq.* describit & explicat. In epilepsia nempe nostra, quæ in affectus catalepticos non rarò abit, universum puellæ fascinatæ corpus diristimis agitationibus & motibus convulsivis concutitur, ridiculis gesticulationibus, cursitationibus, saltationibus & gyrationibus ac rotationibus, quandoque exercetur, quorum etiam phœnomenorum ratione modus hic Practicis Epilepsia Cursiva, Saltatoria, & Rotatoria insignitur : nunc certo convulsionis tonicæ gradu extensis brachiis perpendiculariter elevatur, ac si fune in altum raperetur ; & aliquando è lecto in sublime elata utri usque manus unguibus hypocausti tectum radit : nunc sensuum cessante rectitudine adeoque phantasiâ deceptâ mens deliriis pervertitur; & quidem mox placidis, unde crepundiorum tractatio ; mox furiosis, unde in suspectam incantatricem increpationes : nunc validâ, certisque periodis, fibrillarum cerebri medullarium corpus callosum seu centrum ovale constituentium, constrictione spasmodica, hinc orta animæ seu spirituum animalium à motu ac elatere ad centrum dictum usque interceptione adeoque sensuum internorum, unà cum partium motibus voluntariis ad tempus sublatis, cessatione, machina corporea instar statuæ rigida, & in una eadem positura toto paroxysmi tempore permanens, omnesque Sacerdotis requisiti aliorumque adstantium motitationes & acclamationes eludens, in Catalepsin abripitur quotidianam, nunc triplicatam nunc duplicatam; in quo paroxysmo mens vinculo suo destituta animæ ac corporis commercio excluditur, unde ad pristinam libertatem & perfectionem rediens, tanquam auræ divinæ particula omniscia, peroratione concionatoriâ de patientia in cruce, impiorum indurations, auxilii divini

vini energia & certitudine &c., speciatim tandem in hebdomade Palmarum de acerbissima passione ac morte JESU CHRISTI, &c. sermones fundit; pariter ex eadem, utut leviori & modificata saltem, dictarum fibrillarum constrictione, hincque animæ influxu naturali quadantenus sufflaminato, hujusque tranquillo statu, insomnia dormientis factorum & faciendorum admonentia; nec non ipsæ cataleptice actiones, præteritorum, præsentium & futurorum indictiones; accedentibus quoque impressionibus idealibus somnia ac delitia ecstatica, ortum suum nacta videntur.

Simile ferè exemplum epilepsiæ ita dictæ dæmoniacæ, seu quæ dæmonem mentita fuit, allegat ex relatione *Hannemanni*, Physici quondam Buxtehudensis, *Thomas Bartholinus in Actor. Medicor. Haffniens. Volum. II. Observat. 8.* in adolescente militari octodecim annorum, in quo simul cuilibet eâdem linguâ, quâ ipsum allocuti sunt, sive Gallicâ sive Latinâ vel etiam aliâ, respondit; & *Fernelius lib. II. de Abdit. Rerum Caus. cap. 16.* de Juvene Equestri, qui tertiô epilepsiæ talis mense, linguâ Græcâ, hujus anteà ignarus locutus est, multaque assidentium, imprimis Medicorum, secreta detegit: sicut etiam Casui nostro non absimiles ferè, & à fascino dubio procul ortos, convulsivos motus & membrorum agitationes refert *Hagendornius Histor. Medico-Phys. Cent. III. Hist. 100. pag 416. ---- 419.* de virgine rustica, quæ & certis periodis Verba quadam Græcaniana murmuravit, & interdum quoque idiomate incognito sermones fecit. Curiosam & similem ferè Observationem de virgine quadam epileptica communicavit Excellent. *Oribasius Noster in Ephemer. Academ. Nat. Curiosor. Anno VI. Decur. II. Observat. 201.* Epilepsiæ Cursivæ & Saltatoriæ exempla suggerunt *Bootius de Affectib. Omiss. Cap. 6.*, *Marcus Marci in Liturg. Mentis c. 1. p. 2.*, *Riverius T. 1. Prax. cap. 7. p m. 75.* *Dravitius de Scorb. Tit. II. p. m. 79.*, nec non *Dolæus in Anno III. Ephemer. jam dictar. Decur. II. Observat. 196. p. 331.* *Acoluthus Observat. 177. p 346.*, & *Lanzonus Anno IV. Dec. III. Obs. 168., p. 154.* nunquam otiosus *Arion Noster Anno III. Dec. III. Observat. 181. pag. 313.* & unà c. catalepsi, in Curiosiss. suarum *Observationum Medico-Physicarum Fasciculo I.*, *Appendici Anni V. Decur. II. annexo. Observat. 2. p. 6.* De epilepsia rotatoria videantur *Bartholinus Hist. Anatomic. Cent. II. Obs. 90. p. 302.*, *Marcus Marci loco allegato*, *Annus. IIX. Decur. I. Ephemerid. Medico-Phys. ph. Nostrar. Observat. 7.* & *Annus III. Dec. III. Observat. 87. p. 131.* Oculi in paroxysmo epileptico pugni instar protuberantiam observavit *Salmuth*

nuth C. II. Hiſtor. 42. Notabilis quoque ſecundi gradus epilepſia allegatur in *Anno III. Ephemer. ſæpius dictarum Decur. III. Obſervat. 88. p. 134.*, ubi machina corporea convulſionis muſculorum tonicæ violentiâ æquali motu in altum elata ; & à *Marco Marci l. a.* de quodam, qui vi tonicæ talis convulſionis in ſublime elatus, in aëre pendulus detentus fuit : cujus in aëre quietem motui virtute tonicâ æquipollere, egregiè judicat *Idem ibidem* ; item de duobus pueris ſedecim nec non novem annorum in *Balthaſ. Bekkeri Mundo Faſcinato lib. IV. C. 28 §. 3. & 5. ex Joh. Brunſmanni, Energumenis Coagienſibus.* Huc tandem certo modo pertinet mirabilis illa epilepſia, clonica & tonica, quæ refertur in *Timæi à Güldenklee Epiſt. Medicin. lib. 1. Epiſt. 9. pag. m. 470. ſeq.*

Cauſam Occaſionalem in ægrota noſtra meritò aſſignamus faſcino, ſtatuentes Cauſam proximam Materialem effluvia liquoris aquei prope fores Altmanni effuſi ac in gyrum diſperſi ; nec non clavem, quam incantatrix circa ſuum baculum aliquoties gyravit; & media illa Magica in quodam hypocauſti angulo reperta.

Quoad liquorem aqueum : hunc decoctum cujusdam vegetabilis deleteriâ qualitate præditi fuiſſe, augurari licet, v. g. hyoſcyami, aut ſolani furioſi, aut ſimilis plantæ narcoticæ phantaſticâ vi præditæ : qualium quædam allegantur in *Portæ Mag. Natural lib. IIX. c. 2. & 3. Döringii Tract. de Opio p. 70. ----- 81. hujusque Præfatione,* nec non, unâ cum ſimilibus ex regno animali deſumptis mediis, in *Alberti Magni Mirabil. Mundi*, & *Anonymi* cujusdam *Colloqu. Theologi Philoſophizantis & Philoſophi Theologizant. de Mag. Natur. p. 80. --- 85.* Curioſioribus enim & expertioribus Practicis ignotum eſſe non poteſt, quantas animæ eccentricitates & hinc imaginationis diſlocationem ſolius hyoſcyami effluvia ac atmoſphæra, citra ullam etiam incantationem & diaboli concurſum, inferre ſoleant, nunc ſuffitus aut fotus ac unguenti formâ applicati, nunc clyſtere injecti, nunc ſolâ feminis in hypocauſto calido repoſitione, nunc ejus in fideliarum calidarum cavitatem aut pavimentum projectione : cujus ſtupendi effectus in excitandis altercationibus, ſomniis phantaſticis & ecſtaticis, aliisque ridiculis deliriis ex *Paracelſi Philoſoph. Magna & Occulta, Godelmanni Tract. de Magis, Venefic & Lamiis lib. II. C. 4. p. 36. Borelli Obſervat. Medico-Phyſ. Cent. IV. Obſervat. 5.* & laudati *Ettmülleri l. a. p. 938.*, nec non Chemnicenſium Æſculapii, Domin. *L. Garmanni, Obſervat. 66.* adnexoque *Scholio in Anno VII. & IIX. Ephemer. Medico-*

Phy-

Phyſicar. Noſtrar. Decur. III. p. 106. ----- 114. ; ſed propriis etiam Obſervationibus, quas hyoſcyami alterci occaſione, & Obſervationis Garmannianæ in gratiam, recenſere lubet conſtabunt. Anno Chriſti, ni falor 1669. Dreſdæ in Pharmacopolio Mülleriano tyroni cuidam, Johanni-Georgio Menzelio, Dreſdenſi, ſeminis hyoſcyami pulveriſatio demandabatur, quod propter oleoſitatem, hinc in mortario factam conglobationem, pro faciliori per cribrum trajectione, exſiccare putabat, unde maſſam hanc conglobatam capſulæ chartaceæ incluſam ſuper capella arenaria calida poſuerat: horæ autem dimidio non elapſo, charta per nimium arenæ calorem nigredine primum infecta tandem ſcintillis ipſis igneis conceptis comburi incipiti ſemenque hyoſcyami inferiori ex parte jam accenſum fumo exhalante Laboratorium effluviis ſuis implet, & tragicis partim altercationibus, partim ridiculis geſticulationibus & imagnationibus, occaſionem præbebat. Propter ſeminis enim dicti ſcintillantis ſollicitam nimis collectiônem & è flamma liberationem, hinc fumi majorem inſpirationem, exoriebantur inter Miniſtrum Pharmacopolii, Chriſtianum Date, Rochlicenſem, dictumque tyronem in Laboratorio commorantes, unà cum contumeliis innumerabilibus rixæ tantique tumultus, ut, niſi ipſius Pharmacopolæ alterius que Miniſtri adventu pax ſeriò mandata fuiſſet, infelix Menzelius à furioſo Date humum jam proſtratus crinibusque circumductus, imò ex verberibus undique jam cruentus, mediante agitaculo ſive piſtillo ligneo electuariis miſcendis uſitato, occiſus fuiſſet, per reliquum interim diei ſpatium ſcotomiâ & crebrioribus vomitibus vexabatur, totamque inſequentem noctem ridiculis geſtibus ebriorum more delirabat, & ultra duas ſeptimanas vertigine afficiebatur. Date verò (homo alias non adeò iracundus, leviter interdum potus valdè phantaſticus, quin exceſſivè vino ebrius planè deſipiens:) præter vomitus & ſeceſſus crebriores, cum abſurdis geſticulationibus morionis inſtar ſaltando, hymnos amatorios & profanos cantandos, rhythmos Germanicos componendo, &c. per reliquum diem & poſt noctis medium pariter delirabat; hinc aliquot ſeptimanis mente & corpore ægrotans de vertigine & cephalalgia querebatur, multum dormiebat; melior tandem ſibi viſus, ſanitatis in patria tuendæ cauſâ, dimiſſionem petebat & impetrabat. Vagabundorum autem more varias terræ oras peragraverat, hinc ſanitatis curâ neglectâ & de novo delirans, Francofurti (an ad Mœnum an Oderam? memoriâ mihi excidit,) diebus canicularibus, ſole meridiano,

solô vestitu pelleo extraversis pilis supra nudam cutim indutum per plateas ambulasse, Nundinis autumnalibus Lipsiensibus Dresdam literis significabatur; in ipsam denique maniam post hæc recurrente & transeunte delirio Weidæ catenis aliquandiu vinctum fuisse, ex Rochlicensium nec non Date ipsius, cum ante undecim annos hîc Delitii viaticum ostiatim mendicaret, meque simul inviseret, relationibus habeo. Anno 1679. mense Octobri Sacerdoti cuidam 61 annorum, viro ex cachexia scorbutica asthmatico cum tumore pedum oedematoso, doloribusque simul non solum à calculis renalibus, sed & abdominis scorbuticis habitualibus, afflicto B. Dn. D. Ettmüllerus mecum in consilium vocatus enema terebinthinatum ex speciebus carminativis & hyoscyami foliorum dimidio tantum manipulo cum lacte coquendum ordinabat: quô die Saturni quodam circa horam vespertinam nonam injectô, dicti quidem dolores ex voto cessabant, ægerque hinc per totam noctem somno placido leviter tantum delirabat; manè verò die Solis circa horam septimam sacri officii sui memor, habitu Sacerdotali supra indusium & tibialibus pellitis amictus, Bibliaque sacra sinistra manu tenens, templum adire & concionem habere intendebat; ab uxore verò & liberorum Informatore, nec non Custode Templi, vi retentus, ad iram furibundam concitabatur & cum his maximè altercabatur, parumque aberat quin Templi Custodem arreptis quibusdam armis vulnerasset, placidus alias satis ac minimè iracundus. In lectum tandem redactus furor hic brevi quidem cessabat, delirium tamen ultra meridiem, propter injecti enematis in intestino moram, continuabat: horis enim antemeridianis sacrum Codicem & in hoc Canticum Canticorum, utut lecto affixus, revolvebat, mihique lapidem Philosophorum terminis alchymicis ibidem indigitabat & explicabat: circa horam undecimam è lecto surgebat & cibum ab uxore cum altercatione non levi postulabat, hinc acceptâ alaudâ assatâ ad prandium me invitabat, præmissâque Oratione consuetâ illam artificiosè, (mit Trenchir-Messer und Gabel/) prout in anseribus fieri solet, dissecabat, unamque & alteram ejus partem mihi cum multis sibique alias inusitatis ceremoniis offerebat, aliquoties rogando, ut levidensi hoc anserculo contentus essem. A meridie tandem horâ circiter tertiâ novi clysmatis acrioris applicatione, quam pertinacissimâ & indignabundâ resistentiâ hactenus recusaverat, alvus à scybalis triduum jam retentis unà cum clysmate pridie injecto liberabatur, in quo quasi momento non solum delirium

cessa-

ceſſabat, ſed intra bihorium etiam duo calculi renales rejiciebantur. Refero huc etiam inſaniam illam, quam à foliis hyoſcyami clyſteri incoctis & colo exulcerato infuſis, ſuo jam tempore ab aliis obſervatam allegat *Dioſcorides de Mat. Med. lib. IV. cap. 63.* Hæc & ſimilia deliria cum altercationibus ab hyoſcyami externo uſu ex alia & ſequenti Obſervatione clariùs evadent. Anno 1689. Mater Præfecti Delitienſis matrona 78. annorum, unà cum nephritide ſcorbutica notha habituali, doloribus abdominis ac crurum ſimul contumaciſſimis affligebatur: quibus ſedandis, cum ſacculos floribus chamomillæ, Sambuci, verbaſci, althææ radice & juniperi baccis repletos & in lacte coctos per octiduum incaſſum adhibuiſſet, ſpeciebus jam dictis, pro tribus ſaculis abdomini & utrique cruri applicandis, foliorum hyoſcyami manipulos duos immiſcebam, qui ægræ juſſu intenſiſſimè fervidi applicabantur, cum crurum dolor alias implacabilis eſſet, unde adſtantes continuâ illorum calefactione & applicatione occupatæ erant. Ægrota quidem, cum tantillo phantaſiæ errore dormiendo, leviter & per intervalla tantum delirabat; duæ verò ancillæ 15. & 18. circiter annorum, quibus ſacculorum horum calefactio & applicatio reiterata incumbebat, longè gravius afficiebantur, utpote temulentæ, hinc ſæpius vomentes, crebriùs altercantes, & in crines ſibi invicem involantes, ſeque unguibus lacerantes, vix à domeſticis ſeparari poterant: pax minis adſtantium indicta brevis durationis erat; ſimul ac enim ſacculorum calefactiones novæq; fomentationes reiterarentur, prælia quoque pugnantium gallorum more renovabantur, minis verbisque ridiculis ſe invicem provocabant & invadebant: quarto interim aut quinto die, inter provocationes & altercationes, infantum more geſticulabant, alteraque harum in cubiculi quodam angulo occumbens & timidè circumſpiciens remotis veſtibus urinam emittebat. Pertinet huc etiam certo reſpectu *Obſervatio 124. D. Schulzii in Anno IV. & V. Ephemerid. dictarum Decur. I.*, ubi Uratislavia quatuor juvenes Studioſi ſimul cum coquina, à comeſtis hyoſcyami radicibus per errorem coctis, furore correpti, primum jurgiis, dein verberibus ad internecionem usque, niſi vi abacti fuiſſent, ſe exceperunt, cum miris geſticulationibus & imaginationibus. Unum prætereà ac alterum ab eodem hyoſcyamo clyſterum formâ applicato referre poſſem exemplum phantaſiæ deceptæ, quâ ægrotantes ſimul plurima, ſi non omnia, quæ vel per totam vitam reticuiſſe prudentia ſuaſerat, ſponte ſuâ revelarunt: ſed prolixitatis majoris evi-

tandæ gratia filum hîc abrumpo, cum ex dictis sententiæ meæ circa immediatam causam materialem firmitas satis appareat, quod nempe liquor in gyrum effusus, aut hyoscyamo aut simili vegetabili phantasticâ vi prædito imprægnatus, mediantibus effluviis suis seu atmosphærâ, puellæ simul atmosphæram & animam immediatè affecerit, alteraverit, subjugaverit & quasi ligaverit; cujus postmodum præternaturali in artus & membra influxu miros hos convulsivos, clonicos & tonicos motus, aliaque phænomena delira; spasmodicâ simul centri ovalis contractione, nunc fortiori nunc leviori, catalepsin cum discursu sacro & decantatione hymnorum, somnia prophetica & ecstatica, exactumque hinc plus minùs scientiam, & futurorum contingentium prædictiones, intulerit. *Diabolica enim ejusmodi incommoda*, uti loquitur *Helmontius Tum. Pest. pag. 162., non tam corpus ejusque sordes apprehendunt quam archæum ipsum, qui cum sit velut hominis lucida imago, sequitur quod, dum Spiritus in aliquo ejus organo detorquetur, idem membrum patiatur symptomata: adeoque quicquid patitur Spiritus, vitæ sensusque rector, necesse est patiatur corpus.*

Lubens tamen concedo, quod rariſſima illa in Casu nostro allegata phænomena & extraordinaria symptomata non soli liquori in gyrum effuso, nec incantatricis baculo, nec fœminæ secum adductæ clavi, nec solis mediis Magicis in angulo hypocausti repertis, ac qua talibus, sed his ipsis mumiâ microcosmicâ spirituosâ vitali tam puellæ quam incantatricis vetulæ imprægnatis, hujusque ideâ desiderii & intentionis malitiosæ, nec non ideâ odii puellæ contra vetulam hujusque contra puellam, signatis & sigillatis adscribenda sint. Unde in causam formalem nunc inquirendum.

De modo quidem Media magica in hypocausti angulum inferendi nec non tot pediculorum phalanges producendi, de quibus parallelam historiam suprà laudatus *Oribasius Noster Anno Ephemer. allegatar. VII. & IIX. Decur. III. Observat. 78. p. 124* in turricola Onoldino fascinato annotavit, res equidem est valdè abstrusa & captum humanum ferè superans, hinc erudiri mallem, quam incerti quid, nec mihi ipsi quidem satisfaciens, in medium proferre: unde abstrusiora hæc altiori indagini relinquo, de quibus etiam Judicioſissimus alioquin *Thomasius* pariter suum suspendit Judicium, suamque *in Programm. Lection. hybernar. Anni 1702. pag. 17.* palam profitetur ignorantiam. De pediculis tamen, qui miseram nostram nec non turricolam Onoldinum per fascinum defœdruant, adhuc monemus: Incan-

cantatrices Onoldinam & Zittavienſem Ægyptiis ac Pharaonicis magis videri peritiores multò fuiſſe, cum illæ tot eorundem myriades produxerint, ut minima quidem hæc inſecta, morſu tamen cutis ac noxii pruritus impetigine graviſſima (hæc à peritiſſimo Medico Caſtrenſi, *Tobia Cobero*, *Obſervat. Caſtrenſ. Decur. I. in Scholio Obſervationis nonæ pag. 50.* ſenis pedibus armati Turcæ dicta,) nullâ ferè arte extirpari potuerint : quibus tamen Onoldinus poſt trium demum menſium afflictionem auxilio officuli ex cœmeterio deprompti ; miſera verò Zittavienſis (procul dubio per ſeriam intentionem & impreſſionem, & hinc ſomnii ecſtatici monitu,) horum à capite detractione, & in tergum vetulæ incantatricis projectione, cum ingenti parentum ſtupore, liberata fuit : cumcontrà Magi Pharaonis ad talia producenda inepti digitum, virtutem nempe DEI, id eſt uti vaſtiſſimæ eruditionis Polyhiſtor *Becmannus in Curioſiſſ. Diſſertat. de Prodig. Sanguin. c. 4 p. 38.* Doctiſſimè, ut ſolet, judicat, *nihil in receptis ſuis incantatoriis ſe habere, quod ad productionem inſectorum horum conferre poſſit*, cum dedecore fateri neceſſe habuerint.

Ipſum igitur faſcinandi modum ſeu rationem formalem quod attinet : conſiſtit hic primariò in firmiſſima incantatricis imaginatione ac in propriam animam ac mentem impreſſione quâ effluvia dicti liquoris, omnesque ideales tales cum clave ac baculo & reliquis mediis magicis actiones, hisque mediantibus omne ſuum deſiderium & intentionem malitioſam, additâ dubio procul ſimul adjuratione quâdam, formaliter ad ſolam hanc puellam dixerit. Stupenda enim eſt imaginationis vis, quâ non ſolum anima ad varios & inordinatos motus concitari, hisque mediantibus corpori variæ impreſſiones ac noxæ inferri, atque hinc in gravidis formatio fœtûs, partui etiam proximi, turbari, ſicque nævi, colores excreſcentiæ monſtroſæ, &c. imprimi ſoleat, uti ex *Geneſ. XXX. 37. ſeqq. Baconis de Verulamio Tract. de Augmento Scientiar. pag. 118. Wiero de Præſtig. Dæmon. lib. II. c. 25. Edit. Baſileenſ. 1566. & Hildano C. V. Obſervat. 3 C. VI. Obſ. 65. & 66. Fieno de Virib. Imaginationis, Septalio de Nævis*, Davide von der Becke *in Experim. circa rer. natural. Princip. p. m. 222. ſeqq. & Schenckio Obſervat. Medicinal. lib. IV. p. m. 564 --- 567* conſtare poteſt. Videatur etiam *B. Ettmüllerus Inſtitut. Medicar. Parte Therapevt. in Tomo Opp. I. p. 207. 405.*, nec non *Colleg. Practico in T. II. p. 1003.* Ubi mirandas imaginationis vires ex jam laudati *Baconis Sylva Sylvar.* ſeu

seu *Histor. Natur. CX. Paracelsi* & *Helmontii Scriptis*, nec non *M. Marci Philosoph. Veteri Restituta*, satis superque explicat; simulque non temerè in rebus naturalibus, quippe quæ DEO potiùs acceptæ ferendæ, ad ignorantiæ illud asylum, diabolum, recurrendum judiciose monet, cum phantasia in distans agat, nec ipse diabolus in incantationibus aliter, nisi per media naturalia & secundum naturam, agere possit. Videatur etiam *Wirdigius in Medic. Spirit. lib. I. Cap. 30. §. 13. p. 236. seqq.* Meritò hîc adjungo *Helmontium* qui *Tract. Vis Magnet. p. m. 374* Doctores monet, *ne ad cacodæmonem rejiciant, quæ suâ debilitate ignorant, cum utrobique in natura occurrant, quæ nostrâ tenuitate explicare non valemus; nec insolenti temeritati careat, dona DEI in natura ad diobolum neferre, quæcunque exiguitas nostra non capit.*

Adeoque Φαρμακεῖα (*Veneficium, Magia*, Zauberey / uti communiter redditum legitur,) *à D. Apostolo Galat. V, 20.* carnis quidem, minimè verô diaboli, operibus adnumeratur, ut adeò illius saltem abusus cum reliquis diabolicis artibus & peccatis condemnetur: sicut ad eundem modum *Ex. VII, 11. Malach. III, 5. & Apocal. XXI, 8. XXXII, 14.* per τοὺς Φαρμακοὺς & Φαρμακεῖς, Mecasschefim & Mecasschefym (*Maleficos, Veneficos, Præstigiatores, Incantatores*, Zauberer/) *Exodi XXII 17.* per Mecasscheefa (*Maleficam, Præstigiatricem* Zäuberin/) & *VII, 11. 22.* nec non *Apocal. IX, 21. XIIX, 23.* per τὴν Φαρμακεῖαν (*Veneficium, Incantationem*, Zauberey / Beschwörung /) neque Diabolus & diaboli opera, neque Ethnicorum Græcorum ac Judæorum Dæmones & Dæmonia, nec puri puti Venenarii & Veneniferi, venena nempe actualia per se & suâ naturâ enecantia conficientes ac propinantes, Gifft-Mischer / Gifft-Gebere, Vergifftere / intelliguntur: Sed omnes his vocabulis, pro actionum & modorum operandi diversitate, indigitantur tam Venefici & Venenarii apud *Platonem de Legib. Lib. X.* & *Aristotelem Histor. Animal. Lib. VI, c. 25.* quam Magi, Malefici & Incantatores, qui mediis pharmacevticis ex triplici regno petitis malâ intentione abutuntur, eademque, nunc accedentibus nunc omissis incantationibus & adjurationibus præstigiosis, vel in hominum vel brutorum vel etiam terræ frugum pernitiem adhibent, juxta *Beckerum l. a. Lib.* III. *c. 4. 5. 8.* & in specie *c. 10 §. 20. 21.* nec non *Sennertum Med. Pract. Lib. VI. P. IX. c. 2. p. m. 388. 389.* Ut itaque mirum omninò videatur, *qui Nobiliss. Dn. Reichio in Disputat. de Crim. Mag sub Illustris Thomasii Præsidio habita §. 20.* contraria, eaq; exclusiva; sententia arriserit.

De

De imaginationis autem viribus plura habet in *Magnet. Vulner Curat. §. 30.* sicut & *Tract. de inject. Mater. p. m. 368. §. 15.* ita philosophatur: *Imaginative saga per ens materiale format ideam liberam, naturalem & nocuam &c. Homo etiam dimittit medium aliud executivum, emanativum & mandativum ad incantandum hominem, quod medium est idea desiderii; est enim à desiderio inseparabile, ferri circa optata.* Et sic, juxta eundem *Helmontium Tract. Potest. Medicam. p. 296. §. 46. alienæ formæ imperium ac character supervenit, ut contagium faciant inter symbolizantia, & inde veneficia & incantamenta nascantur. Etenim quæ per Blas voluntarium præparantur*, pergit, *plerumque præparantur ad functiones motus localis, ad nervos diriguntur, doloribus nempe ciendis.* Ex his principiis Helmontianis facem Curiosis accendisse videtur Curiosus ille Pantomysterii Scriptor de Virgula Mercuriali, *Johann-Godofredus Zeidlerus*, ex Schola archiphilosophi transfuga, libertatique eclecticæ redditus, Physicus factus non inelegans; dum omnem effectum virgulæ Mercurialis, tam consuetæ ex furculo corylinio desumptæ, quam aliuş materiæ simili intentione ac effectu illi substitutæ, filamenti nempe cujusdam metallici, costæ sartoriæ, arundinis Hispanici, priapi tauri, gladii, emunctorii, tubuli fugendo Tabaco destinati, farciminis fumigati, cultri & forcillæ, forficis, regulæ ligneæ aut metallicæ &c. ex intentione, cogitatione & impressione seriâ, experientiâ multiplici edoctus judiciose applicat: Sicut solâ intentione firmaque fiduciâ & seriâ impressione Galliæ ac Angliæ Reges Strumas aliosque morbos mediante tactu, curare solent: quales & complures alios etiam *Valentius Greatreack, Anglus*, magno c. successu, solo mediante tactu & frictione, curavit, uti ex *Tractatu ejus peculiari, Boyle inscripto*, patet: solâ intentione firmaque fiduciâ milites & venatores bombardarum explosionem pulverisque pyrii accensionem impedire possunt: pari imaginatione seriâque intentione ac impressione malevoli neonymphos in actu benedictionis Sacerdotalis ligant & ad conjugalem congressum inhabiles reddunt, nunc ligulam constringendo & nodando, nunc seram pensilem obserando, cultrum parieti aut januæ cubiculi infigendo, modisque innumerabilibus aliis, quos *Johann. Bodinus* recenset *in Dæmonomania*: simili ratione etiam superstitiosæ mulieres per cribri hæreditarii, nec non libelli Evangeliorum Dominicalium Hæreditarii, forfice aut clave suspensorum, saltum aut circumactionem & motum spontaneum, certam simul adjurationis formulam suspectorumque nomina recitando, furti vulneratio-

nis, aut alius criminis perpetrati reos explorare audent. Soli fidei ac forti imaginationi adscribendæ sunt illæ morborum curationes, quæ per certa quædam verba instituuntur, vel simplicia vel Barbara, carmina & characteres, aut voce, cantu &c. &c. prolata, aut amuleti loco variis corporis partibus appensa, de quibus *B. Phosphorus Noster in Gammarologia Lib.* II. *Sect.* II. *cap.* 9. *pag.* 868. *seqq.* Sola fide firmaque impressione à vulgo superstitioso in Dania morbi curantur per mensurationem, de qua *Bartholinus Histor. Anatom. Cent. V. Observat.* 48. *p. m.* 276 277. sicut non absimili fundamento à Bavaris in certa quadam cephalalgiæ specie caput mensurari & circumligari solet, uti refert jam dictus *Bartholinus l. a. ex Hoefero Lib.* I. *Med. Locor. Commun. Lib.* I. *cap.* 3. Quo in sensu etiam certo modo huc applicanda, quæ leguntur *Matth.* IX, 22. XVII. 20. XXI, 21. 22. *Marci* V, 34. XI, 23. *Lucæ* XVII, 6. *Johannis* IV, 48. 50. ---- 54. Quanti ponderis sit ægrorum fides in Medicum, docet *Hippocrates de Medico t.* 1. *Præcept. t.* 4., ubi *hunc fide magis, quam duritie, mederi* ait: sicut & *Avicenna, fidem ac spem erga Medicum & Medicinam sæpè plus efficere, quam ipsam cum Medico medicinam*, testatur. Mentem enim, Fidem atque Imaginationem, nominibus quidem tria distincta esse, eandem tamen vim & robur habere, unumque ex altero nasci, adeoque tribus his nihil impossibile esse; unde per Fidem, cum ab hac fortis & constans Imaginatio non differat, Miracula fieri posse; in homine vim instar Solis habere, qui sicuti radiis suis omnia corpora, ad quæ, diriguntur, illustrat & afficit; ita & Imaginatio extensa afficiat res, & mirificis viribus, ad quas dirigitur, imbuat; adeoque nos per solam Fidem, fortemque & efficacem Imaginationem, cujuslibet hominis spiritum ad Imaginem aliquam cogere ceu coërcere posse, non ineptè judicat *Paracelsus Tract. de Imagin. c.* 12. *in Tomo Opp.* II. *p.* 501. Simili Intentione firmaque Cogitatione & Impressione incantatrix vetula, effluviis suprà dictis aqueis in minimas atomos procul dubio jam tum resolutis & dissipatis, secum adductæ fœminæ clavem circa suum baculum aliquoties gyravit, & prius lectulo puellæ, mox autem peræ suæ ingessit, anteà tamen utrumque puellæ brachium & faciem manu suâ demulserat; hisque actionibus imaginativis clavem & baculum mumiâ suâ & puellæ spirituosa vitali imprægnando, ideis malitiæ ac odii signavit & sigillavit, atque sic truculentum hoc malum, vomitorio Medici Bohemi tum curatum, pejorem in gradum evexit. Nullam enim sagam esse, quæ non sum-

mæ

mæ invidiæ & infidelitatis malitiæ plena sit confirmat *Paracelsus lib. de Sagis Tract. IV. cap. 2. in Tomo Opp. II. p. m. 454.*

Nec à causarum consortio excludimus puellæ nostræ, vindictæ unicè intentæ, iracundiam fascino inductam, quâ animam à sensoriis avocando, deliria (juxta Poëtæ effatum: *Ira Furor brevis est* &c.) & motus convulsivos exasperavit: Uti hæc cum vindicta attentata ex desiderato ovo satis appareret, quod singulari modô pictum alterô hemisphærio vetulæ Sabinæ cum furca & scopis, altero verò diaboli imaginem, exhibere debuit: item, quod die 16. Januarii in talos se erigens torvos undique circumferendo oculos è lectulo erumpere & dubio procul cum vetula altercari voluerit; hinc ab adstantibus impedita, pugno minitanti similis, manum alteram contundendo incantatricem allocuta sit, & ad conflictum quasi provocaverit: tandem, quod mense Aprili inter cursitationes epilepticas sæpius in angulo prope fornacem horridis gestibus manus vibraverit, & cum vetula Sabina imaginaria, non aliter ac si corpore adesset, altercata fuerit.

Pergo ad primarium epilepsiæ nostræ symptoma seu tonicam potius centri ovalis in cerebro convulsionem, curiosissimam nempe Catalepsin, peroratione concionatoriâ & decantatione hymnorum Ecclesiasticorum, somnis ecstaticis ac divinatoriis, aliisque effectibus stipatam: qualem etiam Uratislaviæ in Juvene quodam epileptico observavit Colleza & Amicus Veteranus Noster Academicus, *Dn. D. Georgius Heintke, in Ephemer. Nostrar. Anno VII. Dec. II. Observat. 144.* Conferatur etiam *Annus X. Decur. jam dictæ Observat. 20. pag. 50. & 52.*, nec non *Annus* II. *Decur.* III. *Observat. 161. pag. 249.* ut & *Theatri Freiberg. Chron. Part. Poster. ad Annum 1620. pag. 425. & 432. seqq.* Historiæ symptomatici hujus affectus diagnosticæ, nec phænomenorum causæ formali, hîc amplius non inhærebo; cum *Illa* sufficientissimè ex suprà allegati *Hannemanni Observat. 76. Anni Ephemer. jam dictarum I. Decur.* II. *in Scholio*, & *Domini D. Hoffmanni*, Consiliarii & Archiatri Regii Meritissimi, P. P. Halensis exasciatissima *Dissert. de Catalepsi p. 7. & 8.* hauriri possit; *Hanc* verô Ipse in *superius facta Casus hujus Denominatione & Explicatione*, prolixius verò in *Observat. 122. Anni* VII. & IIX. *Decur.* III. *Ephemerid. Medico-Physic. Nostrar. p. 197.----202.*, pro viribus explicaverim. Addere his jam licet, ipsum *Hippocratem* suo jam tempore primam hanc *Platonis* sententiam foviisse, quia ex *ejus Tract. de Princip. & Carnibus statim*

§. 2. *eluceſcit*, τὸ θερμὸν immortale eſſe, cuncta intelligere, videre, & audire, & omnia tum præſentia tum futura, ſcire: quam Doctrinam à Coætaneo ſuo *Democrito* hauſiſſe, ex *Suida* & *Euſebio Grandis in pecul. Diſſertat.* habet. Sicut ergò *ex dicta Obſervatione*, & alias Practico cuivis experto, conſtabit, quod cataleptici nullis acclamationibus, frictionibus ac punctionibus, nec ullis penetrantiſſimis ſalibus ac ſpiritibus, tam naribus admotis quam ori infuſis excitari poſſint: ita etiam in noſtra omnes Sacerdotis requiſiti motitationes, oblocutiones ſeveræ acclamationes, minitationes, tentatæ excitationes & in perorando confuſiones, &c. fruſtraneæ fuerunt; quin illa potius huic atque parentibus aliisque adſtantibus, ceſſante paroxyſmo cataleptico, ſuam ſub hoc de diſcurſibus & cantionibus ſacris inſcitiam, multis profuſis lachrymis, conteſtata eſt. Animæ enim (pariter ac in agoniſantibus quibusdam maximam partem deſtructæ vel diſſipatæ, de quo Conf. *Borrichius in Bartholini Actis Med. Haffn. Volum V. Obſervat. 67. pag. 162.*) ad centrum ovale influxu intercepto, nec non ſenſationibus & reliquis functionibus in Cerebro ad tempus impeditis, mens immortalis omniſcia ab illius ac corporis commercio ſeparata, neque à ſpeciebus in mundo obviis, neque aliis objectorum idealium impreſſionibus, obrui ac turbari potuit. Unde etiam non mirum, quod ægrota noſtra ſub paroxyſmis epilepticis horrendis, loquelâ interruptâ, preces, cantiones, ſpeciatim reſponſiones ad Quæſtiones catecheticas à Sacerdote ſibi propoſitas, ſuſpendere coacta fuerit; illis contrà remittentibus, ubi ſubſtitit exactè ſciverit, adeoque exorſa inde conſtructione obſervatâ, peroratiónis telam ritè pertexuerit; cum ideæ memoratæ menti ac animæ impreſſæ, paroxyſmi tempore ſuſpenſæ; hoc autem remittente, animæque motu ordinario reſtituto illi ac cerebro redditæ fuerint. Animam prætereà rationalem, mentem nempe humanam, ex corpore vivo, citra vitæ extinctionem, ſeparatim conſiſtere poſſe, omnìnòque poſſibile eſſe, ingenioſiſſimè judicat Incomparabilis ille Theologus, *Dn. D. Spenerus, in Homil. Prax. Chriſt. p. 857.* Et ſic, juxta *Ariſtotilem lib. VI. Ethicorum, non hoc ipſo, quo homo eſt; ita vivit, ſed quod eſt quid in ipſo Divinum*: quo pariter ſenſu *Ovidius lib. VI. Faſtorum* ſcribit:

Eſt

Est DEUS in nobis, agitante calescimus illo:
Impetus hic Sacræ semina mentis habet.

Plato enim, *Cicero*, *Seneca*, *Jamblichus*, *Plotinus*, aliique saniores Ethnici, tam lumine naturæ quam scripturâ edocti, particulam auræ divinæ, νοῦν, ipsam Animam, (pro diverso concipiendi modo nunc rationalem nunc sensitivam vulgò dictam, ψυχὴν, & Principium vitale,) non esse, passim in suis Scriptis tradiderunt, unde Philosophiæ Platonicæ Interpres acerrimus, *Marsilius Ficinus*, *Commentar. in Plotinum* Mentem à Ratione; sicut etiam ipse *Plotinus*, cum sanioribus *Physicis* ac Medicis, νοῦν καὶ ψυχὴν, manifestè distinguunt: quâ etiam ratione in *Zoroastrinis* dicitur: ὁ παλὴρ κατέθετο νοῦν ἐν ψυχῇ: Uti hæc allegavit in omni politiore literatura versatissimus Theologus, *Dn. D. Valentin. Ernestus Löscherus Noster in Histor. Enthus. Philosoph.* §. 22. Maximam imò differentiam inter πνεῦμα sive νοῦν, ἀψυχὴν sive, quæ idem denotat, καρδίαν, Spiritum sive mentem immortalem & Animam sive Cor, ipsâ Scriptura Sacra nobis monstrat, in specie *Genes.* VI, 3. 5. IIX, 21. *Exodi* XXXI, 6. XXXV, 34. 35. XXXVI, 1. 2. *Psal.* LI, 11. *Proverb.* VI, 14. *Jerem.* XVII, 9. 10. *Sapient.* II, 2. (ubi λόγος judiciô Illustris *Thomasii in Pnevmatol. c. 7. p. 135.* minus rectè Sermo, unſere Rede / interpretatus, rectissimè Mens, Anima rationalis in Scholis Physicorum ac Medicorum hactenus dicta à multis Theologis & Theosophis explicari solet, nec non VII, 22. --- 26. *Matth.* XV, 19. *Lucæ* I, 47. XXI, 34. *Galat.* V, 17. --- 23., item laudatissimi *Thomasii in Poiretum* §. 3. *seq.* & *Hoffmannus Diss. de Morbis Mentis* §. 2. p. 4.

Male quidem non pauci Theologi auræ divinæ particulam in homine interpretantur, opponentes quod hâc hypothesi sequeretur: quasi homo ab æterno creatus esset; in Deum converteretur; ac ipse DEUS hoc modo in tot innumeras partes divideretur. Res ipsa autem omni caret dubio, modò phænomena dicta in Praxi Medica quotidiè occurrentia, non ex principiis illis Scholasticis ac chimæricis, sed fundamentis & experimentis Anatomico-Physiologicis explicarentur, considerando, quod aura hæc divina immaterialis & immortalis cum corpóre animali nostro intimè aut hypostaticè, uti Deus & Humana Natura in Christo, commixta sit, nec ullum cum illo,

ejusque Oeconomia & functionibus, commercium habeat, sed mediante Animâ, tanquam vinculo spirituoso, connectatur atque uniatur, & per solam Inhabitationem in nobis quiescat; unde perpetua inter eam & carnem sive animam oritur lucta, adeoque naturali in statu ac connexione cum corpore, sine prævia informatione, operationes tales divinas in Casu nostro propositas, vaticinando, linguis peregrinis nobis alias ignotis loquendo ac discurrendo, exerere non potest, nisi aut à carnis operibus, (iis nempe non impedita & suffocata,) aut catalepsi à vinculo suo libera, & corporis commercio excluſa sit; sicut contra Christus, modo extraordinario sine ulla ecstasi, neque supernaturali divinâ neque Mediâ, sed solô divino suo sibique cum Patre consubstantiali afflatu, largiori nempe Spiritus Sancti dono, in Discipulis ac Apostolis, ποικιλογλωσσίαν, variaque dona divina & Sacra alia *Johann.* XX, 22. 23. *Actor.* II, 4. seq. X, 44. 45. 46. XIII, 4. 5. produxit. Quo etiam pertinet sapientia, Intelligentia & Scientia Bezaleelis & Oholiabi, fabricandi in omni artificio ex auro, argento aëre, marmore, gemmis, & variis lignorum speciebus *Exod.* XXXI, 2.---- 6. XXXV, 30. seqq. XXXVI. 1. 2.; nec non Septuaginta Seniorum, ac magistrorum sive rectorum populi Israëlitici; Eldad item & Medad, *Num.* XI, 16. 17. 25. seq., nec non Josuæ *Deuteron.* XXXIV, 9. Si ergò ipse Filius DEI & hominis lapsi Redemptor CHRISTUS, ἡ δύναμις τοῦ ὑψίστου, à Spiritu Sancto in semine sive ovulo mulieris per ἐπισκίασμα & inumbrationem atque sanctificationem conceptus ac incarnatus, & juxta *Paulum Philipp.* II, 7. *in similitudine hominum constitutus, & figurâ ut homo repertus*, à nullo Theologorum in hominem sicut nec humana Natura in divinam mutatus, sed propter duarum naturarum hypostaticam unionem θεάνθρωπον, Verus DEUS & Verus Homo, creditur; multò minus corpus nostrum animale ex gleba terræ formatum, propter auram hanc divinam illi insufflatam & inhabitantem, in Deum mutatum asserere quis audebit; uti etiam hominis talem, ex eodem principio derivatam ἀποθέωσιν Præceptor quondam Noster benè meritus, *B. Ammannus in Iren. Numæ Pompilii cum Hippocrate*, exsibilat, quando sub prosopopoea Hippocratis *p.* 5. ita loquitur; *Qui me ἀποθεώσει post fata mea dignati sunt, stultitiæ suæ argumenta prodiderunt affatim; quomodo enim ex homine potest fieri DEUS, etiam juxta Paganismum? nam nihil in me fuit unquam divinitatis, nisi divinæ particula auræ;* &c. Sicut enim *DEUS & Homo unicum constituunt mediatorem JESUM CHRISTUM*,

1. Tim.

1. *Timoth.* II, 5. ; ita Mens noſtra per quam ſolam à brutis differimus, in Corpore Animali habitans unicum Hominem : Et ſicut DEI Filius, habitu ut homo inventus, DEUS ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus eſt ; ita & hoc de homine, quoad præcipuam partem, inſufflatam nempe auram divinam ſeu mentem immortalem, prædicare nullus dubito, cum huc reſpicere videantur dicta *Davidis Pſalmo* CXXXIX, 16. *Jerem.* I, 5. & *Pauli Epheſ.* I, 4. 5. Cognoviſſe jam quædam mentem noſtram, cum nondum corpori eſſet unita, rectè ſtatuit *Auguſtinus*, referente hoc *Tillemontio* Tom. XIII. *Commentarii Compon. Hiſtor. Eccleſiaſt. inſervituri*, ubi de vita Auguſtini, idiomate Gallico editi.

Unde homines 1. *Corinth.* III, 16. 17. VI, 19., & 2. *Corinth.* VI, 16., *Epheſ.* II, 21. 22. *Templum Dei & Spiritus Sancti* dicuntur : qui nempe 1. *Corinth.* II, 12. acceperunt *Spiritum qui ex DEO eſt, ut ſciamus, quæ à DEO donata ſunt nobis* : quos idem *Paulus Actor.* XVII, 28. 28. in Deo Vivere, Moveri & Eſſe pronunciat ; atque *Ethnicorum Athenienſium Poetas* allegando, Dei genus vocat, uti hoc etiam *Beatus Lutherus in Gloſſa Margin.* confirmat : imò *Coloſſ.* I, 15. & 2. *Corinth.* IV, 4. Chriſtum Imaginem Dei dicit ; hinc *verſu* 7. quod *theſaurum hunc* (φωτισμὸν nempe ſeu illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie JESU CHRISTI juxta *verſum antecedentem, in vaſis fictilibus*, corpore nimirum ex gleba terræ fragili, *Nos habeamus, ut virtutis* (divinæ in corpore noſtro,) *excellentia ſit Dei, & non Nobis*, qua ſcilicet hominibus : item *Epheſ.* IV, 16. quod ex Chriſto totum corpus ſit coagmentatum, qui *Johann.* XVII, 22. hominibus *eandem, quam ipſi Pater, gloriam dedit, ut ſint unum, ſicut Pater & Chriſtus unum ſunt.* Ipſe *Chriſtus in Oratione Dominica* Nos orare docuit : *Pater Noſter, qui es in cœlis* ; idque tam Auræ illius divinæ ſive mentis in prima creatione nobis inſufflatæ, quam etiam Redemtionis ratione : conf. *Paulus Epheſ.* I, 6. & *Wirdigii Medic. Spirit. in Prolegom.* §. 8. Unde idem etiam *Paulus Rom.* IIX, 15. 16. 17. dicit, quod *Spiritus Dei una cum Spiritu Noſtro teſtetur, Nos Filios Dei eſſe, per ſpiritum adoptionis clamantes : Abba Pater* ; Quippe DEUS de terra fecit aut creavit corpus organicum una cum Anima corporea, נפש *Neſchamah* ; uno verbo ἄνθρωπον ψυχικὸν, in ſtatu nempe animalitatis, ſine mente præditum : ſicut etiam duæ hæ partes materiales ab omnibus Theologis & Anthropologiæ Scriptoribus rectè conjunguntur & pro unica parte habentur, adeoque in ipſa Scriptura Sacra, in ſpecie *Geneſ.* VI, 3. 12. 13.

VII,

VII, 16. 21. IIX, 16. *Galat.* V, 13. 16, 17. 19. 24 *Matth.* XXIV, 22. 1. *Rom.* III, 20. *Epheſ.* VI. 12. 1. *Petr.* IV, 6. & *paſſim* conjunctim ſumptæ Nepheſch, σάρξ, Caro, appellantur: uti hoc, linguæ Hebrææ imperitus, ex Diſcurſibus eruditiſſimis ſupra laudati *Löſcheri* noſtri (qui quidem, quoad attributa divina mentis ſive τὸ πνεύματος nobiscum non conſentit, ſed Veteri Theologorum ſententiæ adhuc adhæret,) aliquoties audivi. Ideoque homo lapſus & irregenitus, in quo nempe πνεῦμα per opera carnis à functionibus ſuis divinis impeditum aut ſuffocatum eſt, adeoque *non capax eorum, quæ ſunt Spiritus Dei*, à *B. Luthero* 1. *Corinth.* II, 14. eleganter vocatur *Homo naturalis*, der natürliche Menſch; in verſione verò Latina *Homo Animalis*, & in Græco Fonte ἄνθρωπος ψυχικὸς Animali huic, quoad vultum ad ſidera erecto, *DEUS in faciem inſufflavit* Auram ſuam divinam, *Niſchmat Chajim*, *Geneſ.* II, 7. Dei nempe Spiritum & Divini Spiritus partem juxta *Senecam Epiſt. 66. 92. ac lib. de Otio Sapientis*, item juxta *Paracelſum lib. Azoth ſeu de Ligno & Linea Vitæ in* T. *Opp. l. p. m. 676. Arnoldum in Hiſtor. & Deſcript. Theolog. Myſticæ p. 42.* Quo divino afflatu anima, vitæ omnis primarius Rector & fons in corpore animali, in actum ſecundum & motum vitalem excitata atque acccenſa eſt, (verbum enim *Naphach* à linguæ ſanctæ Profeſſoribus per Excitavit, aufgeblaſen und angezündet explicari, ex *ſæpius citato Loeſchero* audivi,) & ſic *homo evaſit in Nepheſch, Animam viventem*, i. e. primum Vivere, Moveri, & Homo Eſſe incepit. Cum ergò *DEUS* hoc modo *hominem fecit in imagine ſua ſecundum ſimilitudinem ſuam Geneſ.* I. 26., & juxta *verſum ſequentem creavit in imagine ſua; in imagine Dei, (umbratili nempe ſeu ideali repræſentatione juxta aſſimilationem Dei,) illum creavit*, factum eſt *Animal Divinum* & *Sacrum*, juxta *Poterium C.* II. *Obſervat. & Annotat.* 77., atque Celeberrimum *Wedelium Dec. V. Exercit. Medico-Philolog. 8. p.* 43. ; aut, quod idem eſt, *Animal Mentale, ad imaginem nempe Dei conditum* juxta ſuprà laudatum *Oribaſium Noſtrum in literis Nördlingâ 3. Februarii Anni 1690. ad me miſſis, animal quaſi amphibium ſive mediæ naturæ ac ordinis inter angelos (ad imaginem Dei*, teſte *Lactantio in Inſtit. lib.* II. *ſ. 6. & B. Huttero in Compend. Locor. Theolog. V. Quæſt. 2. conditos,) & bruta* ſecundum *Williſium de Anima Brutor. p. I. c. 7. p. m. 60.* Conf. *Geneſ.* V, 1. IX, 6. *Sapient.* II, 23. *Syrac.* XVII, 3. 1. *Corinth.* XI, 7. *Coloſſ.* III, 10. *Jacobi* III, 9. Neminem igitur abſurdi quid credere puto, qui hominis mentem immortalem ex aura Dei ſive hujus eſſentia, aut ſubſtantia immortali & immuta-

mutabili extitisse statuit, intempestivo *Concilii Bracarensis Anathemate*, quod allegat *Gerhardus in Genesin*, non obstante Conf etiam *Thomasius in Præfat. ad Libros Poiretti*. Nec ullus Theologorum, quantum scio, imaginis divinæ reliquias, quæ à particula auræ divinæ nihil, nisi terminis illis scholasticis ac metaphysicis differunt, in homine lapso unquam negavit aut oppugnavit. Dum enim imago DEI in essentia spirituali, æterna, summa sanctitate ac bonitate, justitia, misericordia divina, similibusque attributis *Sap. Sal.* VII, 22. *Galat.* V, 22. 23. & *Wirdigio l. a. §. 10.* enarratis consistere, rectissimè quidem dicitur, confunditur tamen ipsa substantia archetypi sive εἰκόνος divinæ, cum virtutibus & fructibus divinis, adeoque forma expressa, ipsa nempe *umbratilis repræsentatio juxta assimilationem Dei*, ceu ens ipsum cum proprietatibus & effectibus.

Vanum pariter & planè falsum est, quasi hypothesis de particula auræ divinæ in homine divinitatis divisionem inferat. Utut equidem plurimi particulam hanc à *Platone*, *Seneca*, aliisque Ethnicorum Philosophis in sensu Physico ita intellectam & appellatam falso præsupponant, indeque divisionem in partes integrantes realem sibi concipiant; eandemque cum divisione plebeja, mensuratione nimirum confundant. Nemo tamen hodiernorum physicorum ac Medicorum divisionem Physicam, spirituum etiam corporeorum, imò corporum simplicissimorum elementalium, naturæ è diametro repugnantem facilè admittet, nisi forsan in conceptu Mathematico seu mentali, quatenus tantum est quasi scintillula ignis sive luminis divini, lucis spiritualis, purissimæ, clarissimæ; radius potentiæ Dei, defluxio sincera gloriæ omnipotentis, splendor lucis æternæ, &c. uti Dei essentia ex *Sapient.* VII, 25. 26. & in *Actor Halens. Tomo* V. *Observat.* 2. p. 67. ex *Bernardini Ochini Apologis*, describitur: sub cujus etiam idea ipse Deus in Scriptura Sacra à nobis concipi vult, quando nimirum *1. Johannis* I, 5. *Lux, in quo nullæ sunt tenebræ & Jac.* I, 17. *Pater Luminum*, dicitur. Conf. *Evangelium Johannis* I, 5. 8. 9. IIX, 12. XII, 35. 46. Sub qua lucis specie patribus etiam primævis apparuit, ut Abrahamo, *Genes.* XV, 17 vel sub ignis & flammæ, ut *Mosi Exod.* III, 2. *seqq.* XXIV, 17. *& Israëlitis in deserto* XIII, 21. 22. XIV, 24. XIX, 18. *Num.* IX, 15. *sequ* XIV, 14. *Deuteron.* IV, 11. 12. 15. 24. 33. 36. V, 4. 5. 22. --- 26 IX. 3. 10. 15. XIIX, 16. atque *Ezechieli* IIX, 2. Videatur etiam *Thomasij Pnevmatol* c. 7 §. 135 nec non *Appendix, annexa eruditissimi Stübelij Observationibus, quas hic Albrechti-Christiani Rotthij Atheisticis sic dictis Thomasianis opposuit,*

p. 47. Morhofius Dissert. de Enthus. seu Furore Poët. p. 76. & Kirchmayerus de Phosphoris, Natura Lucis, & Igne S. II. c. 2. p. 19. *seq.* Quemadmodum igitur minima ignis scintillula globi nostri sublunaris in sensu saltem vulgi, per ἀπαρίθμησιν nempe seu partitionem, pars ignis dicitur, quæ in mente quidem ac Mathematicè in millenas alias dividi potest; reapse tamen & Physice ab essentia ignis, lucis, &c. nil differt, multò minus ab igne divisa dici potest, de quo etiam legi meretur *Wirdigius l. a. lib. l. c. 16. §. 9. pag. 63.*; nec, ubi à candelæ ardentis flamma, utut lumine terreno & actuali, vel millenæ aliæ accenderentur, credi debet, flammam seu lumen illud in millenas alias divisum esse: ita per auræ divinæ particulam aut scintillulam luminis æterni incomprehensibilis nemo sanus neque mentis nostræ neque ipsius Dei in partes divisionem concipere valebit, quando nimirum illa, mediante spiritu hominis vitali sive anima, per traducem propagatur, & tanquam in vehiculo, fomite aut capsula in perpetua flamma sive lumine servatur, ac millenis aliis individuis communicatur, non secus ac millena alia lumina ex unico excitari & accendi possunt. Ut taceam, quod cum *Judic.* XIV, 6. 19. XV, 14. *Johanne* XX, 22. *Athanasii Symbolo versu 23.*, & *B. Huttero Loco* l. *Quæst.* 9. Spiritum Sanctum à Patre & Filio prodeuntem piè credamus sine ullo horum divisibilitatis conceptu.

Quæritur autem: unde insolita rerum cognitio extra paroxysmum catalepticum, libero nempe animæ per cerebrum influxu? e. g. undenam ovum à matre reconditum fuerit? undenam puella sciverit, vetulam Sabinam sepimentum vitis castraturam? unde prædictio venti & canis latratus? unde facta illa die 7. Aprilis indictio reperiendorum Magicorum? quæ & qualia hæc futura sint? Resp. quod puella hæc, propriâ ex confessione, per somnium viderit & addidicerit. Jam verò, cum juxta *Ciceronem de Divinationibus lib. l. c. 23.* corpus in somno, similiter ferè ac in catalepsi, mortui instar jaceat, in quo mens nostra tantum viget & vivit; adeoque hæc à sensationibus & terrenorum impressionibus vacat, & à vinculis animæ liberior ad recipienda cœlestia; idonea & multò divinior sit, non mirum, si quando rerum humanam cognitionem superantium Visionibus gaudeat. Conf. *Jamblichus lib. de Mysteriis*, & *Artemidorus Doldianus in Oneirocr. c. 1.*, qui duplicem in mente nostra vitam statuunt, quarum altera cum corpore existeret atque cum illo versaretur; altera verò divina, à materiæ conditionibus remota & sejuncta

sit,

fit. Cùm ergò mens somni tempore â corpore veluti liberata in se permanens vitâ hâc intellectuali atque divinâ quodammodo expergisceretur & excitaretur, operaretur dein, & hoc modo rerum futurarum videret initia aperta & clara. *Mens* enim, hæc nostra juxta *Vossium in Theol. Gentili p. 900 eo ipso momento, quo â corpore sensationes debiliores recipit, eò magis DEO uniri potest* unde *Ovidius lib. III. de Ponto Eleg. 4. Ista DEI vox est: DEUS est in pectore nostro; Hoc duce prædico vaticinorque DEO.* Observantur autem catalepsis & agonisantium insolita scientia, somniaque ejusmodi cataleptica ac divinatoria, censente etiam *Huarto in Scrutin. Ingen. c. 3.* utplurimum in hypochondriacis, in specie ad melancholiam hypochondriacam inclinantibus, &, qui juxta sæpius laudatum *Hoffmannum in Fundament. Medic. c. 3. §. 15. ab his gradualiter tantum differunt*, phlegmaticis; â peculiari nempe & certa spirituum ac massæ sanguineæ crasi, adeoque *tranquillo horum statu ac motu*, juxta eundem *Hoffmannum Disputat. de Potent. ventor. in Corp. Humanum, inque subjectis ad vitia & malitiam minus facilibus* cujusmodi indolis & nostram puellam fuisse, ex curiosi & circumspecti Catecheræ Zittavienſis, *Dn. M. Grünevvaldt*, relatione hujusque cum puella ægrotante instituto examine catechetico, abunde patet; quæ etiam, parentum ac vicinorum testimonio, â tenera ætate laudabilia pietatis modestiæ & obedientiæ specimina edidit. Decuriâ seculi elapsi nonâ (annus memoriâ mihi excidit) in pago non procul abhinc dissito, Berendorff, puer rusticus septem aut novem præter propter annorum, mentis alias placidæ ac tranquillæ, dysenteriâ correptus, in agone, me & Dn. Davide Wolffio, ecclesiæ illius & Dôbernicensis Pastore nunc beato, præsentibus, se ipsum selectissimis cum Veteris tum Novi Testamenti dictis erigebat, dictorum loca, capita, quin & ipsos versiculos allegans, illaque sat scienter explicans, cum tamen, præter Psalterium, syracidem, Epistolas & Evangelia Dominicalia, Scripturam Sacram nunquam perlegisset; quamvis nec hoc negandum, quòd præfati Pastoris testimonio sacris conctonibus utriusque ecclesiæ singulari cum attentione nunquam non interfuisset, omnesque præcox ejus ingenium stupuerint. *De le Febure*, Celeberrimo Regis Galliæ Pharmacopœo & Chymico sæpe laudatus *Thomasius Histor. Sapient. & Stultit. P.* 11. refert, quòd ille in somno linguis peregrinis locutus fuerit, ac aliis in omni faria, quâ interrogatur linguâ, responsa dederit. De se ipso profitetur suprà laudatus *Zeidlerus l. a. p. 180.* quòd inter somniandum longum satis sermonem Græco & Gallico idiomate habuerit, cum tamen inter vigilandum vix unam vel alteram periodum, haud interruptâ serie, efferre potuerit. Huc quoque pertinet curiosa historia *Zanardi*, quam hic *Tract. de Universo Parvo, mixto Homine, Quæst XIV. p. 98.* de se ipso allegat, & ab *Hannemanno*

Nostro Ann. III. *Ephemerid. Nostrar. Observat. 61. Decur.* III. *p. 74.* refertur, quòd ille in componendis, carminibus, neque in Græca Hebræaque linqua, multum peritus fuerit; in somno, currente discursu, carmina pulcherrima Latina & vulgaria formaverit, concionesq; ordinatas ornatas & pulchriores in somno confecerit quam in vigilia, & quæ in vigilia cum multo labore non penetraverit, in somno in promptu habuerit. Hæc ex principiis primis menti nostræ connatis manare; principia autem hæc nobiscum nata imaginis divinæ reliquias esse, prudenter judicat *Zanardus.* *Diffiteri ergò non possum*, (ut laudatissimi *Hannemanni verbal. a.* eleganter adducta mea faciam) *mihi hanc arridere sententiam, quâ statuo, omnium scientiarum, linguarum artiumque prima principia vel ideas menti humanæ esse innata, & per modum disciplinæ evolvi atque in actum secundum produci; sicque omnes homines potentiâ, quoad innatas ideas, æquali modo esse eruditos.* Conferatur etiam *Paracelsus in Fragment. ad Medicin Physic pertinent. cap. de Morb. Somnii, in* T. *Opp.l p. m. 176.* ubi quemlibet hominem omnes artes & scientias in se habere, nec alterum altero plus minusve accepisse statuit, unde *Cartesius*, in se nunquam plus ingenii esse, quàm in quolibet ê vulgo, non imprudenter judicavit *Dissertat. de Meth. §.* 1. Elegantes etiam circa insomnia Observationes recenset *Heinricus. ab Heer. Obs.* 2. Nec minus curiosa de Poëtis ingeniosissime somniantibus exempla exhibent nobis Celeberrimi illi Polyhistores, *Morhosius Dissertat. de Enthusiasmo sive Furore Poëtico p. 75.* & *Arion Noster in Observat. Medico Physicatr. Fasciculo* II. (*Anno Ephemer. Nostrar. VI. Decur.* II. *annexo*) *Obs. 21. p. 24. usque 28.* nec non *Obs. 12. p. 14.* -- *18.* somnium ecstaticum, prudentiæ & vaticinii plenum Johannæ de Allioth, Sociæ olim Virginum Cistertiensium prôpe Isenacum. Præ aliis allegationem meretur virgo illa Stadensis in *Append. ad Annum* I. *Ephemer. Curios. Nostrar. Dec.* III. *p. 37. -84.* quæ per integrum annuum spatium, omnem morbi vicissitudinem ipsamque medendi rationem Medico suo, *Clarissimo* nempe *Bauzmanno*, variis somniorum prædictionibus manifestavit. Parallelum fere Exemplum communicavit Gerard. Feltmannus, Tract. de Dea Podagra, c. 23. Mirum mortis ex somnio præsagium Dn. *Epicharmes Noster Anno* I. *Decur.* III. *Obs. 24.* & mirabilia aliquot somnia *Schottus in Phys. Cur. lib.* III. *c. 25.* recenset. Alexandrinos olim in somniando felices fuisse dictos, vid. *Isaacus Vossius Commentar. in Catull p. 28.* De mirabili somnio Artorii, Medici Imperatoris Augusti, quo mediante Imperator servatus est, legi potest *Lactantius Instit. Divin.* II, *8.* & de mirabili somnio Ottonis Heintici, Comitis Lippiensis, *Index Zeileri ad p.* II. *Epistolar. sub voce* Träume. Somniis his catalepticis ac divinatoriis meritò adjunguntur, Abrahami *Genes.* XV, 12. Jacobi XXIIX, 12, XXXI, 10. Reg. 12.

XXXII.

XXXII, 25. -- 34. hujusque filii Josephi XXXVII, 5. -- 10. pincernæ & pistoris Pharaonici XL, 9. 10. 11. & 17. uti etiam Pharaonis ipsius XLI, 1. 8. & 17. seqq somnium Jeremiæ, *in hujus Prophetiæ c. I. 11. seqq. & Ezechielis hujus Prophetiæ c.* XXXVII. Nebuchodonosaris *Daniel.* II. Josephi sponsi Mariæ *Matth.* I, 20. 24. II, 13. 14. Uxoris Pilati XXVII, 19. Et talia utplurimum in subjectis frigidioribus & placidioribus, uti sunt hypochondriaco melancholici, phlegmatici, & pituitosi: quorum isti, propter salia acidiora rigidiora & asperiora in massa sanguinea hincque spiritus crassiores, quasi tenebricosos, & in motu tardiores, sunt naturaliter taciturni & cogitabundi, nimiis meditationibus, vel cogitationibus firmioribus aut fixioribus ac profundioribus occupati; qua ratione etiam *Aristoteles* in Poëtis acrimoniam humoris melancholici requirit: Hi verò unà cum illis à succis serosis mucilaginosis, aut uberiore chylo dulci, in actionibus segnes torpidi, tædiosi, somnolenti &c. paucos spiritus gignunt, unde succumbentes citissime somniant. Nemo enim sanæ mentis uti suò jam tempore rectissimè judicavit *Plato in Tim. pag. 543.* divinum & verum vaticinium ullum assequitur. Mente namque hominis juxta *Paracelsum Tract. supra alleg. de Imaginibus*, in se ipsa submersâ & suffocatâ, *homo oculis videntibus est cœcus, auribus audientibus surdus, &c unde his profundis suis cogitationibus in mente submersus similis quidem illi est, qui omnes sensus amisit, & pro stultissimo in mundo habetur; apud DEUM tamen vir est sapientissimus, cui DEUS somnia sua secreta ostendit, & abdita quævis, plus quam cœteris mundi sapientibus omnibus, commonstrat.* Cum quo conf. *Matth.* XI, 25. Ubi verò spiritus animales nimis subtiles nimiumque mobiles sunt, mens illis incarcerata (animam enim sive spiritus animales esse capsulam sive vehiculum sive vinculum mentis immortalis, quæ nempe illius beneficio corpori animali jungatur & ferruminetur, ex *Scriptis Zoroastrinis suprà allegatis Tachenio in Princ. Morbor p. 40. Hoffmanno de Affectu Catalept. p. 10. & 13. necnon Wirdigio l. a. c. 14. §. 2. 13. & c. 16. §. 4.* patet) tunc illis brutis & sensitivis appetitibus adeò immergitur, ut altioribus & profundioribus meditationibus vacare non possit; unde spiritibus animalibus adversus mentem concupiscentibus voluntas hominis se exerit prava; Confer. 2. Corinth. IV, 4. & *Oribasius Noster in Miscellan. Medico-Pract. P. II. p. 591.* Somnia ergò ecstatica ac divinatoria à catalepsi, qua causam formalem, multum non, sed gradualiter tantum, abludere certum est. Juxta *Willisium* enim *de Anima Brutor. P. I. c. 16. p. m. 129.* Somnus nihil aliud est quam animæ à continuis motibus, laboribus, exercitiis &c. delassatæ quies & quidem in hypochondriacis, melancholicis & phlegmaticis tranquillior & firmior. Quemadmodum autem hi, præ aliis, internorum viscerum spasmis, cephalal-

gis tensivis, capitis obnebulationibus, ephialte, tam nocturno, quam diurno Gespenst-Erscheinungen und Aufhucklungen / uti putant, somniisque turbulentis & terrificis &c. obnoxii sunt: eodem modo iidem quoque in somno strictura cerebri nervulorum horumque fibrillarum spasmodicæ firmiori sunt expositi, unde animæ aut spirituum animalium in centrum ovale motus plus minus sufflaminatur, ut ideò mens immortalis omnigenæ scientiæ in se capax, minus â carnis operibus suffocari aut aliis ideis adventitiis turbari, sed libera ac triumphans ideas suas animæ imprimere possit.

Interim, quando uberior in somno spirituum plus minus restilium influxus concurrit, simulquè fortior impressio idealis accedit & menti communicatur, imperfecti quippiam interdum ac phantastici, non secus ac in somniis naturalibus, occurrere nullum est dubium. Et talis impressio dubiô procul ægrotæ nostræ simul somniis deliris ac phantasticis occasionem dedit, quatenus continuò de ovo imaginibus desideratis pingendo, de vetula odiosa, de fascino &c. cogitavit, hincque in delirium, nunc mite, nunc furiosum spiritibus verò animalibus omni tempore â deliriis, nec non continuis membrorum exagitationibus & concussionibus, quiescentibus in somnia varia abrepta videtur. Rectè enim *somnia*, effato *Helmontii Tract. Jus Duum Virat. §. 30 Sennerti in Institut.* & sæpiùs laudati *Ettmülleri in Colleg. Pract. T. Opp. ll. p. 939. & 1045. dormientium sunt deliria*; sicut *& hæc vigilantium somnia.* Quid quæso, aliud videntur singulares illi discursus de vetula, quam in tergo fasciculum filamentorum sulphuratorum gerere. & Crispum (quali capillitio diabolum, anteà forsan ex imaguncula quadam aut anili confabulatione impressum, sibi imaginata est) adorare dixit, nisi impressiones quædam deliræ? Nonne delirantis sunt gesticulationes, quibus puella filamentorum glomerationem, ligamentorum lineorum texturam, horumque confectorum, manui sinistræ superinvolutionem, linteorum lotionem, pavimenti expurgationem, recusionem, pecuniæ numerationem, ciborum præparationem, &c. simulavit? Nonne delirium ecstaticum fuit conversatio cum virunculo albo in prato viridi, ejusque visio in cœlo spondæ? Quæ inter meritò referendas putamus omnes illas visiones (dormientium ac somniantium quidem; pariter ac vigilantium, in quibus tamen posterioribus sempet concurrit spasmus nervi optici in tunica retina expansi) Philosophi Teutonici Jacobi Böhmii, Asseburgiæ, Leade, fullonis illius Brunsuicensis Johannis Engelbrechtii, Philosophorum Alchymicorum, & Enthusiastarum istorum Quackeri aliàs dictorum; qui cum omnes ex idiosyncrasia nativa sint hypochondriaco-melancholici, Musicâ restitui solent uti etiam hoc ex *Mersenno* allegat *Heucherus in Curiosis Dissertat. de Araneo §. 19.* conferatur quoque Celeberrimus *Gerdesius Disput. de Morb. l. ideal. Sect.*

II:

II. Pract. §. 6. Pariter ac sagarum in montem Bructerorum conventus, inque hac conversatio, tripudia & concubitus cum diabolo &c. puras putas Visiones & somnia sive deliria ecstatica esse, nunc ex idiosyncrasia nativa, partim hypochondriaco - partim cholerico - melancholica hinc pravis & malitiosis nimiumque intentis rerum magicarum meditationibus ac fixis conceptibus, nunc ipsis magicis unguentis (qualia describunt *Paracelsus in philosoph. Magna & Occulta, Cardanus de Subtilit. c. 18,* & ex his *Godelmannus l. a. lib. 11. c. 4. §. 1. 11. & 22.*) aliisque diabolicis artibus & remediis contracta, ex multifariis Actis hujusmodi Inquisitionalibus perlustratis edoctus, firmiter mihi persuadeo. Conferatur Illustris in Ducatu Magdeburgensi Consiliarius Ecclesiasticus Regius, *Henricus Bodinus, in Disput. de Fallacib. Indiciis Magiæ §. 13.* & jam citatus *Godelmannus c. 4. & 5.* ubi hic *in specie c. 4. §. 23.* egregiam & curiosam historiam allegat de Nobilis cujusdam Megapolitani famula, â veneficis sortilegii, & quòd cum ipsis aliquoties in monte Bructerorum fuerit, accusata. Nobilis hic, ex propria famulæ confessione sæpius institutam & sequenti nocte cum reliquis instituendam migrationem & transvolationem in montem Bructerorum percipiens, adjunctis sibi Pastore & domesticis, mulierem noctu diligentissimè custodivit, exploraturus utrum transvolaret nec ne? Sed misera illa unguento quodam se illinens in somnum profundum ita incidit, ut nec illâ nocte nec sequente die excitari potuerit? Altero autem mane interrogata respondit, se in Bructerorum monte conventum cum reliquis veneficis reverà celebrasse, nec aliud sibi persuaderi passa fuit. Simile exemplum adducit etiam *jam laudatus Bodinus in Disput. alleg §. 26.* Videatur quoque *Carpzovius Prax. Criminal. p. 1. Quæst. 48. n. 22. seqq. Reinking in Respons. Jur, in Processu contra Sagas c. 1. n. 99. seqq. Fichardus T. II. Consil. 3. n. 3. Alciatus lib. IIX. Parerg. c. 22, Wierus lib. III. de Præstig. Dæmonum, Camerarius Hor. Succis. c. 74 Craanen de Homine c. 92. p. 573. Sperlingius Institut. Phys. lib. II. c. 4. Quæst. 9.* In puella interim nostra eò progressus est Spirituum animalium motus (ut verba Excellentissimi *Aretæi Nostr. in Vade Mecum Anatom. seu Clave Med. Anatomico - Experimental. Exercit. 12. p. m. 571.* huc applicem:) ut, quàm vividè illa imaginationi suæ vetulam Sabinam representavit, tandem etiam extra corpus suum existere, atque cum ea expostulare, deceptâ phantasiâ putarit. Quò etiam pertinet Epilepsia alia melancholico - hypochondriaca cum delirio ecstatico quam Collega & Amicus olim Noster, B. Dn. D. *Fribe* observavit in *Anno IV. & V. M. A. N. C. Decur. I. Observ. 81, ubi p. 70.* epileptica quædam torvo cum vultu, furore & incandescentia, ad angulum, ac si inibi horrendi quid videret, monstravit, Similis delira impressionis de incantatrice vetula exemplum in paroxysmo epileptico, ipsoque imminente

minente & post eundem, hîc Delitii mihi observare contigit, quod illustrationis gratiâ jam allegare lubet. Puella honestis parentibus orta, duodecim annos nata, mirè præcox, debitamque staturam ante pubertatem adeò excedens, ut juvenculam adæquaret, anno 1689. mense Junio inopinatò concidebat, primô quidem & sequenti paroxysmo sine convulsionibus per horæ tamen quadrantem mentis incompos multum de vetula incantatrice nugabatur quam in parentum vicinia habitantem, nomine vocabat. Paroxysmi recurrebant initiô tribus, & malo ingravescente duabus & omni septimana, postea tandem intra quatuor aut quinque septimanas; & imprimis paroxysmo tertio epilepsiâ formali corripiebatur, solâ tamen pedum jectigatione & concussione, a dominis ultra spithamam repetitis elevationibus dentiumque stridore stipata: per quadrantis horæ spatium sine sensu ac motu jacebat, & nullatenus excitari poterat; semper tamen in paroxysmi progressu post horæ quadrantem, applicato imprimis naribus spiritu salis Ammoniaci, & meâ ac adstantium motitationibus & acclamationibus, cum vetula dicta altercabatur eamque sæpiùs increpabat, & altâ voce magnaque cum indignatione citatioreque sermone dicebat: Apage vetula incantatrix, bestia! quadrante circiter horâ sive incipientis paroxysmi dimidiâ, iterum elapsâ cantabat formulas Cantico Canticorum analogas: Komm her meine Taube; du Hertzens-Schatz! Mein allerliebster Engel / ich lasse dich nicht / du hast mir mein Hertz gestohlen &c. quorum omnium post paroxysmos semper immemor erat. Interim contrectato circa umbilicum abdomine nullam notabilem in hoc distensionem, neque ullam duritiem spasmodicam in inferiori tamen hypogastrii parte concussionem quasi internam, percipiebam, unde primis paroxysmis epilepsiam ab intestinorum vermibus credebam, imprimis cùm puellæ facies tumida, colorq; pallidus ac fœdus cachexiam ostenderent & in statu hactenus sano cum aliquali meticulositate ac tristitia, nec non, parentum relatione, lumbricorum observata excretione ac stridore dentium nocturno (de chlorosi enim in puella tunc temporis pavidi animi teneræq; ætatis nunquam cogitassem) Medicamentis, hactenus tam â me, quam Celeberrimo Dn. D. Rivino, P. P. Lipsiensi simul in consilium vocato, ordinatis & incassum adhibitis, paroxysmoque circiter sexto aut septimo cum majori vehementia recurrente, partem affectam inter cantationes deliras exploraturus manu genitalium turgescentiam non levem, nunc distendentem nunc spasmodicâ duritie renitentem, cum spasmodica, uti conjiciebam, clitoridis erectione, paroxysmoque remittente liquoris genitalis excretionem, percipiebam; cujus etiam vestigia indusium post paroxysmos exhibebat. Unde, mutatâ priori sententiâ, parentibus moestis metu epilepsiæ chronicæ perturbacis, uterinam sive Veneream, â cachexia chlorotica ex reten-

to

to liquore seminali in glandulis turgescente ortam; matrimonio facilè curandam, judicabam. Liquore hoc excreto pedum concussiones quidem cessabant & sensus externi redibant; ægrota tamen mox surgens, solo indusio amicta, sine ullo pudoris indicio per hypocaustum aliquantisper ambulabat, posteà mensæ accumbens ultra horæ quadrantem rhythmos amatorios nunc recitabat, nunc cantabat, pupam brachiis simul complectebatur & osculabatur, rhythmis sive hymnis amatoriis sæpe intermiscendo: Komm du schöne Freuden-Crohne bleib nicht lange ꝛc. Du hertzens-Schatz ꝛc. Ultræ horæ porro quadrantis spatium crepundia tractabat, pupam, cujus vestimenta singulis paroxysmis mutabat, de novo vittâ ac stolâ ornabat, nummos in scatula collectos â parente exigebat, numerabat, & pupæ peræ indebat; donec ultimo sudor toto corpore copiosè erumpens mentem restitueret, fabulæque finem imponeret. Semper autem unô ac alterô â paroxysmo die, interdum etiam intermedio extra paroxysmum tempore, nec non duobus aut tribus ante eundem, tam domi, quam una cum matre templum frequentatura, non semel torvis oculis inhorrescens ac impallescens de vetula â tergo se insequente & in aures sibi quippiam susurrante, multum querebatur, matremque manibus tremulis amplectandô dicebat: Vah! vetula illa meretrix â tergo est, ac suo ministerio ad homuncionem lascivum (zu einen Huren-Kerl) pertrahere me conatur; cum tamen nemo, vel ante, vel post, vel circa illam, solâ matre exceptâ, conspiceretur: cujus spectaculi ipse aliquoties testis αὐτόπτης fui. Epilepsia hæc ultra dimidium annum vagis paroxysmis durabat, nec prius cessabat, nisi primum erumpente, mensium fluxu, qui singulo vigesimo die recurrebat maximo cum dorsi & hypogastrii dolore spasmodico, semperque cum urinæ cruentæ stillicidio dolorifico: qualem pariter mensium difficultatem ex nimio Veneris desiderio â vasis sanguiferis circa vesicam & partes genitales nimium turgescentibus, sanguinemque per anastomosin effundentibus, derivat sæpe laudatus & nunquam satis laudandus *Ettmüllerus Tom. Opp. II. in Praxi p. 719.* Sicut etiam vera & radicalis cura non nisi in uno vero bono consistebat, Prudentior enim hac in re facta, anno sequente amore illicito, uti rumor erat, Officialis cujusdam militaris delenita, quem mutatis vestibus de nocte, ancillæ subsidio, aliquoties accesserat, omnibus dictis symptomatis liberabatur. Modum, quomodo liquoris seminalis abundantis retentio, alteratio &c. facultatis animalis actiones tam enormiter lædere, epilepsiam excitare, phantasiæ vires potentissimè invadere, ad formandas ideas insuetas, hinc ad visiones de vetula &c. contribuere potuerit, prolixius hic explicare supersedeo, cum hoc eruditè satis præstiterit Curiosissimus *Stolterfobt* in Eruditissima *Disputat. Inaugur. de Idea Errante*

in Ecstasi seu Enthusiasmo, sub Præsidio suprà laudati *Gerdesii*, in Celeberrima Academia Gryphica Professoris Publici, habita *c. 2. §. 17. & c. 3. §. 33.*

Restat denique, ut de paroxysmis his, morte incantatricis cessantibus, aliquid adjiciam, imprimis cum parallelum exemplum suprà laudatus *D. Bauzmannus, in Obs. 25. Anni VII. & IX. Decur III. p. 47.* Observarit. Optime hoc ex consensu mumiali, hujusque actione in distans, explicari posse nemo inficiabitur, modó consideretur, quæ de hac sæpè allegatus *Helmontius in Magnet. Vulner. Curat. §. 22.* narrat de Nobilis cujusdam Bruxellensis naso adscititio, â Tagliacotio ex servi seu bajuli cujusdam Bononiensis viva brachii carne desumpto ac restituto, qui Bruxellis repentè friguit, & aliquot abinde diebus corruptus decidit. Hujus rei inopinum casum investigantibus inventum fuit, eodem fortè momento, quo nasus friguit & corruptus decidit, Bononiæ dictum bajulum exspirasse. Similem autem Observationem de Nobili quodam Neapolitano jam ante Helmontium Anno 1576. *Auctor Thesauri Rerum Admirandarum Tractatui suo* inseruit, unde adductam Helmontii historiam *B. Ettmüllerus T. I. Opp. in Colleg Therapevtico, ubi de Morbor. Archealium Curatione, p. 407*, & supra laudatus *Garmannus in Curiosissimo Tract. de Miracul. Mortuor. lib. I. Tit. II. §. 8.* aliique ex iis causis suspectam reddere conantur: quod Authores hujus omnes in rem ipsa quidem conveniant, in circumstantiis tamen quibusdem varient: ipseque *Tagliacotius in Chirurg. Curtor.* fateatur, se, id generis curtam ex alieno corpore restitutam fuisse, nunquam legisse, neque andivisse, neque unquam attentasse nec ullibi appareat, ipsum Operationis hujus in Nobilii Bruxellensi institutæ mentionem fecisse: nec surculos trunco alii insitos tabescere aut emori, arbor licet ipsa, ê qua sunt desumpti, emortua jam jam existat & exaruerit. Mihi autem, quod tamen pace tantorum virorum scriptum velim, rationes istæ dubitandi non satisfaciunt: cum (1.) quidem nihil novi sit, sed toto die eveniat, ut certæ cujusdam historiæ circumstantiæ â diversis Scriptoribus, ex falsis ac erroneis relationibus, immutentur; neque ulla hîc (2.) circumstantiarum discrepantia appareat: utrumque enim de restitutis nasis amputatis exemplum non de uno eodemque sed diverso loco & tempore, inque diversis subjectis, Nobili nimirum Neapolitano & Bruxellensi, annotatum reperitur; quorum alterius nasus triennio demum, defuncto servo, è cujus brachio desumtus ac appositus fuerat, simul emortuus est; alterius verò tredecim tantum mensibus elapsis non solum ægrotante tunc bajulo friguit, sed paulo & jam post eodem mortuo, putrilagine corruptus decidit. (3.) Helmontius relationi suæ inseruit Nobilem Bruxellensem quod de brachii proprii incisione timuerit, bajulum ad hoc conduxisse, ê cujus brachio Tagliacotius traducem, pro restituendo naso eruerit; quo & liquidò patet,

Tag-

Tagliacotium in Nobili hoc meticuloso curam Neapolitani ex alieni brachii carne, post editam demum Chirurgiam Curtorum, tentasse & imitatum esse, imprimis cum ipse *Tagliacotius l. a. lib. 1. c. 18. p.m. 194.* traducem ex alieno corpore desumendum nullus dissuadeat, sed potius tam Autoritate quam ratione comprobari posse confidit &c. nec absurdum & impossibile esse *p. 195.* pergit, *quin ex alieno corpore, atque id nullâ cum difficultate, secerni possit &c.; unde p. 198. concludit: Expetendum itaque, ut aliena corpora pro traduce excidendo & inserendo substituantur; propria verò, & singulis sua, quantum poterit, â doloris sævitie, â brachii deformitate & imbecillitate, â cæterisque incommodis illæsa & innoxia conserventur.* (4.) Desurculis tenellis (quos opponit *Conringius de Med. Hermet. p. 234.*) alieno trunco insitis arbore horum tabescente aut emortuâ licèt, feliciter nihilominus crescentibus, alia subest ratio; partim quòd *non tanta corporum nostrorum, quanta plantarum diversitas reperiatur* juxta *Tagliacotium l. a. p. 196*; partim in arboribus, utpote solidioribus & omni sensu ac ratione destitutis corporibus, tanta quanta in homine inspiratio & transpiratio non fiat, unde etiam illis nulla imaginatio, multò minus ulla in spiritu vegetabili vitali impressio idealis concedi & signari potest; eoque consensum mumialem arboris cum arbore animadvertere vix aut nunquam licet, præsertim cum in arboribus calore quippe solis, ventis aliisque aëris injuriis expositis, effluvia illa spirituosa ab illis in minimas atomos ad varias mundi plagas continùo dispellantur. Consensum contrà mumialem inter arborem & hominem Ipse, multiplici experientiâ edoctus, atteștari possum: e.g. Vicinus meus, Christophorus Cnôfflerus, Prætor in Præfectura Delitiensi Provincialis, 68. jam annorum, decimo octavo abhinc anno bis & ter annuatim, nunc tribus & quatuor, nunc octo, nunc quatuordecim, aliquando etiam novendecim septimanis, arthritide vagâ scorbuticâ admodum contumaci & dolorosâ, præter brachia, crura & axillas, maxillam simul inferiorem, nucham & tempora, alternis vicibus affligente, corripiebatur: Excrutiebatur item uxor civis cujusdam nostratis tibialium mercaturam exercentis duodecimo abhinc anno per sex & octo septimanas, imò præterlapso anno ultra tres anni quadrantes, atrocissimis abdominis doloribus scorbuticis, continua cum alvi constipatione, & interdum vomitu materiæ æruginosæ, nullis clysteribus nec ullis aliis remediis, nec ipsis opiatis ægrotæ idiosyncrasiæ infensis, cedentibus, & ab intempestivo purgantis usu in artuum lacerantes dolores, quin etiam paresin & contracturam manuum degenerantibus; Rustica pariter quædam in pago Tzschortau, dimidio milliaris abhinc distante, atrocissimis artuum doloribus per benè longum tempus: quorum omnium

affectus â rustico quodam sene, devoto & modesto, in pago quodam Præfecturæ Ilenburgensi incorporato, Wölpern dicto, degente per curam sympatheticam, consensum nempe mumialem arboris cum homine, exceptâ manuum contracturâ, curati sunt, ipsis ægris sanitatis constantiâ partim per duos & tres, partim in alterum jam annum, gaudentibus. Id quod effluviis reciproce ingredientibus, accedente tamen forti & ægrotantium & medicastri fide horumque intensione seriâ non inepte rribuendum haud immerito auguror: pari ratione hic quoque locorum â superstitiosa plebe infantes, pueri ac juvenes hernioси, ante solis ortum denudato corpore per quercum flexilem & in media sui parte fissam tribus vicib. reciprocis transmittuntur, atque coalescente arboris deligatæ fissurâ perfectè restituuntur qualis curæ, per fissam etiam tiliam cum successu peractæ, exempla legi possunt in *Bartholini Act. Med. Haffnienſ. Volum. II. Obs. 61. p. 164 & Vol. V. Obſ. 92. p. 242.* Rusticus curam suam sic instituit: primum propinat tres pulveres ἄνω κὰτω, leniter tamen purgantes, quos ê ramusculis arboris sympatheticæ (des Gicht-Baums / uti vocat) pulverisatis constare asserit; quibus quidem vicinus meus uti noluit, pretio soluto illos, inscio rustico, seponens. In primo statim ægrorum accessu eos adhortatur, ne curam hanc tanquam sagatricem vel diabolicam, sed opus divinum potius existiment, procidens dehinc in genua preces devoto animo & submisso sermone fundit, ægrosque, ut pro impetranda divina benedictione summo Numini ardenter supplicare velint, serio exhortatur. Quo facto arbusculum quendam (de cujus quidem specie nondum certior fieri potui, nisi quòd mediocrem hominis staturam æquet, & baccas rubras ferat, quas liberis suis comedendas concedat) arripiens, surculos hujus per singula digitorum in ægri manibus ac pedibus interstitia traducit, nec non cœteras articulationes his ipsis attingit atque demulcet, posteà arbuscùlum terræ inserit. His ita gestis, ubi posthæc sanatus, multos etiam post annos, vel in alius generis morbum aut valetudinem adversam incidit, vel ipsâ morte abripitur, arbor aut flaccescit aut exsiccatur; quo ex rusticus de sanatorum valetudine ac statu quotidiana fermè indicia capere solet. Insuper ex ore Amici cujusdam Lipsiensis fide digni habeo, quòd ubi arbusculus unus ac alter aut ventorum impetu aut frigore, aut alia quavis tam aëris quam animalis cujusdam injuriâ avulsus vel fractus fuerit vel exaruerit, se & alios in recidivam arthritidis incurrisse minimè cessantem, usque dum cura illa sympathetica de novo fuisset instituta. Etlicet (5.) *Schottus in Schola Steganographica* testantibus *Ephemer. Erudit. Gallicis mense Septembri anni 1666 p. m. 509.* affirmet, quod veritatem historiæ Helmontianæ ab incolis Bruxellensibus propter horum indignationem, indagare nunquam ausus fuerit; non tamen

men exinde colligi passe arbitror, puram putam esse, fabulam, cùm ejusmodi curationes cum nobilioribus personis virisque præcipuis institutæ in secretissimis omninò habeantur, minimeque propalari soleant, irrisionem factitiorum membrorum, nedum insitorum nasorum, illis rectè verentibus. Quæ etiam (6.) potissima sine dubio causa fuit, cur Helmontius, natione Bruxellensis, ad testes oculatos Bruxellis tunc temporis superstites provocarit, cum facilè subodorari potuerit rarissimam hanc Observationem, & quidem ex alieni corporis carne, propter Neapolitanæ similitudinem in dubium vocari posse: sicut denique (7.) operationem hanc â se ipso institutam non gloriatur, sed Tagliacotio tribuit; adeoque pro mumiæ magnetismo hujusque in distans consensu probando & confirmando pari facilitate historiam illam parallelam in Thesauro Rerum Admirandar. descriptam, quam propriam de Bruxellensi annotatam Observationem, allegare potuisset. Ut taceam *Brancam Siculum, Calentium in Epist ad Orpianum, Stephanum Gourmelinum in Chirurg. l. 1. Guilbertum Cognatum Nosonerum lib. II. Narrat. Fallopium de Decolor c. II. & de Metallis p. 144. Servium in dissert. de Unguento Armar. p. m 43. 44. 1, Rattray. in Aditu ad Sympath. & Antipath. p. m. 29. & 70. Bürlein in disp. de Hoplochrismate Altdorffii sub Christoph Nicolai præsidio habita §. 75. Griffonium in Hildani C. I. Obs. 31. Thomam Fienum in Chirurg. Tract. XII. de Nasi amputati ex carne brachii Restitutione c. 1, & 2. & Purmannum* im Chirurgischen Lorbeer-Kräntz *p. I. c. 31. 234. seqq.* Rhinopœiam ex alieni brachii carne partim calluisse, partimque possibilitatem hujus confirmasse. Conferatur etiam *Bartholinus Histor. Anatom. c. VI. Obs. 59.* de nauclero quodam, cui caro in hypochondrio sinistro ictu tormenti ablata, carne vervecinâ restituta fuit.

Plura interim & egregia mumialis consensus exempla suppeditabunt *Digby in Tract. de Sympathia, Marcus Marci in philosoph. Veteri Restituta Bartholinus Histor. Anatom. C. I. Obs. 41. Ettmüllerus T. I. Opp. in institut. Medic. p. 407. 410. seqq. Theatrum Sympatheticum, & Weberus in Aneh. Sauciat. p. 21. seqq.* Cùm igitur ex supra deductis nullum dubium, quin vetula incantatrix firmissima imaginatione ac in propriam animam impressione effluviâ liquoris aquei, omnesque cum clave ac baculo, & reliquis in hypocausti angulo repertis mediis magicis, institutas actiones ad puellam nostram direxerit, fieri aliter non potuit, quin extinctâ per mortem corporeâ animâ antea tamen ê medio sublatis mediis magicis ideæ hæ malitiæ impressæ simul deletæ fuerint, hinc cessante causâ & effectum magicum cessare oportuit: simili ratione ac epilepsia illa (cujus meminit Celebris Poliater Mülhusanus, *Dn. D. Hoyerus, in Anno*

III. Dec. III. Ephemerid. Noſtrar. Obſervat. 52.) faſcino inducta, derepente ceſſavit, ſublato ê foribus inſtrumento ferreo magico, circuli ad inſtar cum ſtylo formato; quô contrâ foribus denuò affixô, epilepſia illicò & vehementiſſimo gradu rediit, utut vetula incantatrix dudum in cineres erat converſa. Quòd autem relata in Caſu noſtro phænomena non eodem momento, quo incantatrix exſpiravit, ſed ſucceſſive & die demum ſexto, penitus remiſerint, id ipſum reliquiis animæ ſeu ſpirituum animalium, in motu ſuo & radio luminoſo quidem extinctorum, ſed non penitus ac formaliter deſtructorum, tribuendum nullus dubito. Ex hoc enim fundamento diverſas corporum mortuorum operationes ac effectus, omniaque mortuorum miracula oriri, ex *Helmontii, M. Marci, Ettmülleri Operibus, & Wirdigio l. a. §. 3. p. 58* nec non ipſis *Mortuorum Miraculis â* ſæpius laudato *Garmanno collectis*, ſufficienter conſtat. Sicut & ex eodem fundamento ipſorum mortuorum apparitiones, & ſpectra, ab Illuſtri Præſide quondam Noſtro, *B. Dn. D. Volckamero Obſerv. 192. Anni* II. *Decur.* 11. *Königio Anni* VI. *Obſerv. 37. p. 98. B. Claudero Anni* VII. *Dec. dictæ Obſ.* 163. *Maxvello in Medic. Magnet. lib.* I. *c. 2. p. 9. Beckio loco ſuprà citato p. 284.* nec non *Riedlino in Linear. Medicar. Anno 1696. pag. 612. -- 614.* derivantur. Glaciem hâc in re præ aliis primum fregiſſe videtur Philoſophus ſuprà allegatus Teutonicus, *Jacob Böhmius. in Epiſt. Theoſoph.* XXII, §. 8. -- *13. p. 117. ſeqq.* ubi rationem formalem de ſpectris non inelegantem habet, modò ea, quæ Animæ rationali, menti nimirum immortali, attribuit, ad animam corpoream aut ſpiritus animales applicentur, ſuperflui autem & præter neceſſitatem in homine multiplicati ſpiritus chimærici, aſtrales aut ſiderei, elementares &c. expungantur.

(o)

CARO-

CAROLI NICOLAI LANGII.
LUCERN. HELVET. PHIL. ET MEDICI.
ACADEMICI NATURÆ CURIOSI
&
PHYSIOCRITICI SENENSIS.

IDEA.

HISTORIÆ NATURALIS LAPIDUM FIGURATORUM HELVETIÆ

Ejusq; Vicinia

IN

QUA SIMUL CONTINETUR

LACTIS LUNÆ DESCRIPTIO

ET

USUS MEDICINALIS.

OMNIBUS SEDULIS.

PHILOPHYSICIS

DICATA.

IDEÆ
HISTORIÆ LAPIDUM FIGURATORUM HELVETIÆ.
Eiusque Viciniae.

CAPUT I.
Occasio operis.

INgens hujus Ævi sciendi cupiditas & susceptus ubique fermè usus majori, quâm hucusque actum est, solertiâ res naturales investigandi, nihil propemodùm sub hoc nostro sole sensibus obvium intactum reliquit, quod non Trutinæ Philosophicæ subjectum fuerit, ut meritò præsens sæculum Aurea scientiarum Ætas nuncupari queat. Quacunque possibili methodo perlustrata sunt Animalia, detecta Vegetabilia, & elaborata Mineralia, ut vix quidquam tribus his Regnis contentum occurrat, quod ulteriorem exigat indaginem, hominique sufficiens felicitas sit, eam Scientiam Naturalem adeptam esse, quæ perspicacissimo hoc tempore â tantis Viris tradita fuit, ad cujus partem saltem minimam assequendam, cùm aliquibus in locis hujus Regionis Lapides Figuratos deprehenderim, omnem possibilem operam adhibui, eos colligendi, mentemque meam ob curam ægrorum sæpè nonnihil oppressam suavissimâ hâc Contemplatione refocillandi, stimulatus quidem primò â Curiosissimo Tractatu Clariss. Listeri de Cochleis &c. Angliæ, cujus methodum potissimùm secutus sum, deinde ab ipsa Helvetiâ Patriâ meâ majori ex parte Lapideâ, præsertim, quâ Orientem respicit & per Alpinas rupes ab Italiâ segregatur, invitatus, clarè agnoscens, commodiorem Occasionem ad aliam materiam excolendam in hâc terrâ mihi non suggeri, etenim copia Figuratorum Lapidum hinc indè collectorum brevi temporis spatio in tantam molem accreverat, ut ad eos in ordinem redigendos particularis methodus exigeretur, quam tumultuariè elaboratam, obiterque contractam unà cum Epitome totius Opusculi quod de Lapidibus Figuratis meditatus sum, vobis, Charissimi Philophysici, ex animo commendo.

CA-

CAPUT II.

De Lapidibus ingenere, eorumque Principiis.

FAcilioris autem intelligentiæ causâ pauca & vulgaria de Lapidibus ingenere præmittenda censui, ab eorum descriptione, quòd sint: Mineralia dura, gravia, nec ductilia, nec in aquâ solubilia, nec per se liquabilia, principium sumens: Dein breviter perstringam ea, quæ ad eorum generationem necessariò concurrunt, nimirum Sales in convenienti vehiculo fusos, Liquorem Terrestrem Viscidum, & demùm horum duorum proportionatam Configurationem, ac Fluiditatem, ut debitè coaptari possint: â Primo Lapidum durities, gravitas & figura potissimum dependent, â Secundo procedit eorum color, diaphaneitas, vel obscuritas, Ultimum verò iis friabilitatem, aut firmitatem inducit.

E quibus patet Primarias Lapidum Proprietates â Salibus dependere, adeòque & hos præcipuam eorum causam constituere, qui mediante Aquâ, vel Aëre quocunque diffusi poros corporum subeunt, & unà cum iis in Coagulum, Lapideum figuntur, atque firmantur.

Aqua Sale ad petrificationem omnium aptissimo in Subterraneis imbuitur ab eorum enim calore in vapores versa, ad internas summarum Alpium Lapideas Cavernas extollitur, ubi partim in guttulas sese colligens, sensimque strias efformans, limpidissimis Fontibus originẽ præbet, partim verò subtiliori suo halitu â constanti guttularũ destillatione excitato poros saxosorum parietum penetrat, Salemque in iis contentum elicit, duram Lapidum substantiam (haud dissimili modo ac Gutta cavat Lapidem) solvendo, in Terram levem, friabilem, & albicantem immutando, quæ vulgò Lac Lunæ vocatur, Germanis Monn-Milch/ cujus descriptio in proximo capite exponetur.

Sicuti Aqua in prædictis Cavernis copioso Sale ad induranda corpora valdè congruente perfunditur, ita per summas montium Rupes excurrens, & in subjectas Petras vehementi strepitu cadens, aut per alia loca salebrosa leniùs diffluens pedetentim non parvam salium quantitatem extrahit, non secùs ac aër calidus & humidus, præsertim Notus vehementi impetu ad Rupes & Saxa allidens, eas fundit, & Sales inclusos emulget, qui ab ascendentibus aqueis vaporibus rursus soluti, mediante rore vel pluviâ Fluminibus, Fontibusque nostris communicantur. Potiorem autem Salium partem, quibus Aër imbu-

tus est, deberi marinis effluviis, abundè testantur morbi Scorbutici, qui accolas maris potissimùm infestant, & Sali acri in Aëre delitescenti adscribuntur.

Subtilior Salium portio ad poros corporum pervadendos apta nata iis Petrificationem inducit, crassior verò ob particularum inæqualitatem externæ tantùm superficiei adhærescit, & ex Crustâ Lapideâ involvit, quemadmodum â Liquore Terrestri & Viscido in visceribus terræ vi caloris Subterranei elaborato, & mediante Aëre vel Aquâ Sali unito Lapidum Diaphaneitas, vel Opacitas contrahitur, prout nimirum magis vel minùs depuratus fuerit.

CAPUT. III.

Descriptio Lactis Lunæ ejusque usus Medicinalis.

LAc Lunæ est Terra, quæ à variis Authoribus variè denominatur. Ferrandus Imperat. lib. 5. cap. 14. hanc Terram Agaricum Mineralem appellat; Gesnerus Agaricum Saxatilem seu Fungum Petræum, eo quòd Agarici instar saxosis parietibus adhæreat. Agricolæ Steinomarga, Germanis Mon-Milch / Stein-Marck ob substantiam albam, fungosam & porosam, ex quâ concreta est.

Maximus Lactis Lunæ proventus est in Helvetiâ, ubi in summis altissimorum Montium Speluncis colligitur, quarum præcipua est in summitate Montis Fracti Seu Pileati ob adjacentem famosum Pileati Lacum valde celebris ditionis Subsylvanæ, & ab incolis ob copiam Lactis Lunæ ibi delitescentis Moon-Loch / (id est Caverna Lunaris) nuncupata. Hæc Caverna sita est in prærupto angulo, quem duæ excelsæ rupes non multùm infra summum Montis cacumen efformant, Ingressus altus est pedum circiter sexdecim, latus verò novem, ê quo indesinenter nitidissimus, & à decidentibus è fornice guttulis conflatus Rivulus gratissimo murmure decurrit. Crypta post decem passus in ampliſſimum Antrum excavatur, cujus Diameter se ad viginti passus extendit, Altitudine 14. pedes superante. Quod iterum Septentrionem versus angustius factum ultrà trecentum passus Montem penetrat, ubi tandem in immanem, & stupendam Cavitatem dilatatur, quam Pastoribus ob præruptas vias hucusque experiri non licuit. Per hanc Montis cavitatem usque ad radicem ejus porrectam, vapores aquei à calore interno ex latente Aquâ, quam procul dubio Pileatum cingens Lacus Lucernensis per subterraneos hiatus suppeditat, exci-

excitati ascendunt, & undique fornici (qui per totum sui tractum, excepto antro commemorato pendente quasi arcu velato, in hiantem, sensimque magis angustatam fissuram ad summum Montis culmen usque abeuntem desinit) applicantur, qui nunc poros Saxi subeundo, Salemque in iis contentum solvendo, & imbibendo materiam terrestrem viscidiusculam & albicantem post se relinqunnt, nunc rimas Rupium altius penetrando integra fragmenta Lapidea separant, sibique tam ingentes, Cavernas efformant.

Interna Cavernæ superficies ex omni parte & quidem pluribus in locis ad pedis unius crassitiem Lacte Lunæ obducta est, & sicuti â constanti aquarum lapsu indesinenter absumitur, ita à perpetuà vaporum, qui intra Cavitatem à casu ipsius aquæ non parùm augentur, destillatione, Continuò reparatur.

Decimo nono Augusti 1703. Ingressus sum aliam Cavernam Lunarem excavatam in monte prælto Wallenstock appellato, ejusdem ditionis, ex meris rupibus congesto, cujus ostium minore, quàm prioris Cavernæ aditu patet, sensimque angustatum post triginta passus deducit in Cryptam satis amplam fornice acuminato obvelatam, è quâ alia via primâ longè demissior recluditur, & tractu viginti passuum expanditur in vastam Cavernam antro Cavernæ Lunaris Montis Pileati nec spatio nec quantitate Lactis Lunæ hinc inde adhærentis minimè cedentem, ubi tres novæ viæ apparent, quarum duæ declives sunt, & tertia sursum tendit, ob frequentes autem & profundas rupium fissuras ulterius progredi non placuit, ne delapsum forte saxorum fragmentum viam nobis occluderet, & sic recessum impediret.

Per dictas rimas constanter Aqua limpidissima guttatim destillat, nec non per illa foramina subrotunda, Diametro suo Spithamam colligentia in istis Cryptis passim obvia, quæ intùs à decidente Aquâ valde lævigata tortuoso multisque flexibus sinuoso ductu versus apicem montis porrecto altissimè montem pervadunt, donec sensim contracta prorsus obliterentur; Aqua per has fissuras & foramina defluens, ab annosâ nive summitates Montium occupante, & à calore æstivo solutâ suggeritur, quæ poros saxorum penetrando paulatim eos exedit, sibique tales vias ad internas cavitates parat, ubi continuo suo halitu & vapore superficiem saxorum extimam solvit, & in substantiam Lactis Lunæ convertit.

Præter commemorata in præscriptâ Cavernâ observare licuit Lac Lunæ ingressui Cavernæ proximum, aërique magis expositum facillimè iterum induere naturam Lapidis, sine dubio ob nitrum aëreum illi de novo commixtum, à quo elegantes figuras acquirit; nam si ab intenso frigore per modum Crystallisationis subitò induretur, in pulcherrimas striolas Muscí foliolis haud dissimiles excrescit, si verò paulatim condensetur, in superficie Lapidum elegantissi-

mum opus reticulare efformat, eodem fermè modo, quo Hædera suis ramusculis hinc inde dispersis, sibique incumbentibus muris adhærere solet, Utrum hujusmodi Lapides è substantiâ Lactis Lunæ producti Galactitæ nomen mereantur, versatioribus in hâc materiâ decidendum relinquo.

E quibus patet, Lac Lunæ esse: Terram post Lapidum per aqueos vapores sale exhausto resolutionem residuam, albam, levem, friabilem, parùm viscosam, saporis subdulcis, sine odore internis Lapideis parietibus, & fornici Cavernarum subterranearum summis in Montibus sitarum adhærentem.

Lac Lunæ ab Aquâ dissolvitur, eamque colore lacteo tingit, dein cum aceto mixtum effervescit, & à Spiritibus acidis majori adhuc effervescentiâ exeditur, sed cum Spiritu vini nec tumultuatur, nec dissolvitur, quæ denotant, substantiam Lactis Lunæ partium esse tenuium, siccare sine morsu, abstergere, acida imbibere, acria edulcorare, plerisque morbis ab iis provenientibus mederi, & non parvam Lac Lunæ inter & Bolum Armenam deprehendi affinitatem, cujus potiores vires possidet.

Usus Lactis Lunæ vel est internus, vel externus. Internè prodest in Sodâ & ructu nidoroso, grumis Sanguinis dissolvendis, nec non in hæmorrhagiis, aliisque Sanguinis profluviis sistendis. In ardore urinæ, & reliquis ejus affectibus ab acrimoniâ & aciditate ortis, speciatim in stranguriâ juvat, dolorem nephriticum sedat, & arenulas è renibus pellit, earumquè generationem impedit. In colicâ, diarrhæa & dysenteriâ præsentaneum est remedium, quod nonnulli etiam in febribus malignis & pestilentialibus cum fructu exhibent. Demum lac mulierum lactantium copiosè auget propinatum cum Crystallo præparatâ, semine fæniculi, aliisque specificis.

Externè Lac Lunæ confert ad acidum occultum ulcerum absumendum imprimis tibialium, quæ mirè purificat, conglutinat, & ad cicatricem perducit. Multi illud loco Nihili albi colliriis addunt ad exsiccanda oculorum ulcera, eorumque defluxiones acres inhibendas. Veterinarios quoque nostros in variis tumoribus id applicare asserit Celeb. Wagn. in sua hist. Natur. Helvet.

Ex dictis facile colligitur, substantiam Lactis Lunæ non conflari ab exhalationibus metallicis ad superficiem Lapidum concretis, quod hucusque plures insignes Viri credidere, nam potiùs aliquod recrementum metallicum grave Arsenico, Sale, aut Sulphure hæterogeneo onustum constitueret, quàm Terram albam, levem, ab omni acredine defæcatam & summè edulcorantem, de quâ hæc pauca sufficiant.

CA-

CAPUT IV.

Recensentur Lapides Helvetiæ, qui neglectâ Figurâ quidquam peculiare & admirandum sibi adjunctum habent.

EXpositis genericis lapidum principiis, eorumque generationis modo, differentiæ quoque pertractandæ forent, cum verò jam à pluribus Authoribus magnâ sane diligentiâ adductæ sint, generalioribus omissis eas tantum perstringam, quæ neglectâ figurâ quidquam peculiare sibi adjunctum habent, quas inter primò occurrit saxum, seu Lapis Titubans, ab Incolis Gnap-Stein vocatus: Hic in summo altissimi montis nostri Pileati, seu fracti apice occidentali situs est. Plures suspicantur, hunc lapidem à tumido Diluvii torrente ad tam sublime cacumen effectum esse, nisi fortè fragmentum sit subjectæ rupis ab Austro afflante subtus exesæ. Hunc sequitur saxum odore violas referens, quod in sylvâ Hercyniâ & aliis Helvetiæ montibus copiosè colligitur, odor autem non ex ipso lapide (prout jam pridem notavit Agricola,) sed ex musco quodam croceo ei adhærente exhalat. Tertium locum sibi vendicat silex perforatus, in uno alterôve monte inventus, ubi omnes silices foramine obliquo donati sunt, cujus causam in excrementa insectorum lapidem corrodentia refundendam puto. Post silices pauca de Pyritis adjungo, quorum species apud nos uberiores sunt, nec non de Gypso & Alabastro, quibus montes nostri abundant, subjungendo quædam propter affinitatem structuræ de Lapide Bononiensi, licet in patriâ nostrâ non colligatur. His demum connectam brevem descriptionem Lapidis Ceraunix, in quercu propè Badenam Helvetiorum reperti.

CAPUT V.

De Lapidibus Figuratis ingenere.

HActenus traditi sunt lapides Helvetiæ, qui aliquam admirandam proprietatem sibi adjunctam habent, nunc ii considerandi veniunt, quos figura sola notabiles reddit; quorum in patriâ nostrâ tanta est copia ac varietas, ut mirum ludentis naturæ artificium vix

aliâ in re clariùs eluceſcat, ipſaque ſubſtantia lapidea Antiquorum Proteus videatur, qui in quamlibet corporum formam olim ſeſe transmutabat; Etenim hi lapides figurâ ſuâ non ſolum vegetabilia, ſed integra quoque animalia, eorumque partes præcipuas graphicè repræſentant, ac præ ſe ferunt.

Figuræ lapidum duplici modo obſervantur, ſiquidem vel planam tantum ſuperficiem occupant, & tanquam pictæ exhibentur, vel ex ſolidis lapidum variè transformatorum formis conflantur, ſive hæ ſint integri Lapides, ſive minores majoribus immerſi, qui propriè Lapides Figurati vocantur.

Antequam autem ad ulteriorem Lapidum Figuratorum diviſionem deſcendo, eorum Loca nativa, in quibus per totam Helvetiam ejusque vicinìam colliguntur, adduco, ut cuilibet huic ſtudio ſeſe applicanti, porrigatur occaſio, ſibi de hujusmodi lapidibus proſpiciendi, novasque eorum ſpecies detegendi.

Cauſas lapidum figuratorum deſcribam in quâlibet eorundem claſſe vel etiam genere, ſi opus fuerit, apponendo proprietates & vires, quibus pollent, & nobis perſpectæ habentur, nam ſicuti innumera horum lapidum diverſitas deprehenditur, ita non minùs cauſæ eos producentes diſcrepabunt.

CAPUT VI.

Quomodo Lapides Figurati in debitum ordinem redigendi ſint.

AD lapides figuratos in debitum ordinem redigendos tria requiruntur.

Primò omnes Lapidum Figuratorum ſpecies ita conſiderandæ ſunt, ut omnia ea, in quibus conveniunt, vel diſcrepant, diligenter notentur; ſi in Eſſentialibus, id eſt, Diverſitate Figuræ, de quâ hic tantum agitur, differant, ad plura genera referendæ ſunt, ſi verò magnitudine, colore, odore, vel etiam ſapore integram lapidis figuram non immutationibus tantum diſſentiant, in unum genus colligendæ erunt, unde ſequentes lapides ſpecies ſunt ejusdem generis: *AMMONIS CORNU* Maximum ſex anfractuum, ſtriis lateralibus valdè elatis, & in ſpinam dorſi inter duos ſulcos eminentem abeuntibus, jun-

juncturis foliaceis ad tertium orbem usque apparentibus. *AMMONIS CORNU* minus duorum anfractuum striis valdè elatis, & in spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus. *BUCCINITES* à sinistrâ ad dextram convolutus, major cinereus, lævis, quatuor spirarum mucrone productiore. *BUCCINITES* à sinistrâ ad dextram convolutus minimus, pullus, lævis, trium spirarum mucrone productissimo. *CONCHITES ANOMIUS* mediocris, sublividus, rostro prominulo, & veluti pertuso (Luidio in suo Litoph. num. 837. Terebratula dictus,) striis maximis, valvâ superiore profundissimâ Lacunâ donatâ. *CONCHITES ANOMIUS*, minimus, subflavescens, tenuissimè compressus, & rostro prominulo veluti pertuso, striis tenuioribus, valvâ superiore unicâ lacunâ donatâ. Ex his adductis Lapidum Figuratorum speciebus patet, loca nativa species non multiplicare, sed tantum individua, non aliter ac in Botanicâ, ubi sphondylium hirsutum foliis angustioribus C. B. prodr. 83. in Lusatia collectum non differt specie ab eo, quod in nostris Alpibus Rhæticis observatur.

Secundò omnes species, quæ quoad figuram & structuram inter se conveniunt, genus quoddam constituent, ita ut genus Lapidum Figuratorum nil aliud sit, quam collectio lapidum figurâ & structurâ suâ inter se consimilium, quod ulterius subdividitur in Primarium, & Secundarium, vel superius, & inferius. Genus Primarium vel superius est, quod adhuc includit plura genera, quæ vicissim suas species continent. Sic: Stalactites est genus Primarium, vel superius; quia adhuc in plura Stalactitarum genera, quorum quodlibet suas proprias species includit, subdivitur.

Tertiò quemadmodum plures species, ne confundantur, in sua genera colliguntur, ita hæc facilioris Methodi gratiâ in suas Classes contrahenda sunt. Classis autem est Collectio plurium generum Lapidum Figuratorum ex unâ saltem nobiliori ac potiori figuræ & structuræ suæ parte inter se consimilium: Quâ ratione primo quasi intuitu omnes species Lapidum Figuratorum sub unâ Classe comprehensas contemplari licet.

CAPUT

CAPUT VII.

Enumerantur Classes Lapidum Figuratorum Helvetiæ ejusque Viciniæ.

OMnes itaque Helvetiæ Lapides Figuratos octo Classibus complector, quarum:

CLASSIS I.

EXhibet Crystallina; quo nomine intelliguntur omnes Lapides Figurati pellucidi, vel vitri instar nitentes, & aliquâ peculiari figurâ donati, sive hæc sit multangula, sive rotunda, sive Cylindracea, sive crustacea.

SECTIO I.

Lapides Figurati Crystallini pellucidiores.

Genus I. Gemmæ Helveticæ.
Genus II. Crystallus Montana.
Genus III. Selenites seu Lapis Specularis.

SECTIO II.

Lapides Figurati Crystallini dicti obscurè pellucidi.

Genus I. Stalactites Stiriæ formis.
Genus II. Stalactites crustaceus.
Genus III. Stalactites tubulatus in formam tubulorum minimorum congelatus.

SECTIO III.

Lapides Figurati Crystallini dicti opaci, & vitri instar leviter nitentes.

Genus I. Stalagmites.
Genus II. Talcum.

CLAS-

CLASSIS II.

EXhibet Lapides Figuratos Pictos, prout figuræ eorundem planam tantum lapidum superficiem occupant, quos à seminio illorum animalium vel Vegetabilium, quæ pigmentis suis repræsentant, mediantibus vaporibus terræ, vel maris ad certam telluris altitudinem delato, & accedente congruâ Matrice fœcundato produci, cum Clarissimo *Luidio* contendam, cujus opinionem pluribus rationibus & Experimentis suadere conabor, nullus tamen inficias ibit, quod non etiam corpora colorata intra terram putrescentia colorum suorum vestigia luto imprimere possint, quæ prædicto luto tractu temporis in lapidem verso denuò inhærebunt; huicque sententiæ facilius acquiescendum foret, modò explicaretur, quomodo corpora animalium, vel Vegetabilium, quæ in hujusmodi lapidibus pictis exprimuntur, tantam terræ profunditatem, è quâ erui solent; illæsa & integra penetrare queant.

SECTIO I.

Lapides Figurati Picti animalia, eorumqũe partes repræsentantes.

Genus I. Lapides Figurati Picti animalia volatilia integra repræsentantes.
Genus II. Figurati Picti partes animalium volatilium repræsentantes.
Genus III. Lapides Figurati Picti animalia aquatilia integra repræsentantes.
Genus IV. Lapides Figurati Picti partes animalium aquatilium repræsentantes.

SECTIO II.

Lapides Figurati Picti vegetabilia; eorũmque partes repræsentantes, qui Dendritæ dicuntur.

Genus I. Lapides Figurati Picti vegetabilia integra repræsentantes.
Genus II. Lapides Figurati Picti partes vegetabilium repræsentantes.

CLASSIS III.

EXhibet Lapides Figuratos Petrificatos, seu Incrustatos, id est, corpora ex naturâ suâ alterius substantiæ in substantiam Lapideam commutata, vel crustâ Lapideâ obducta.

SECTIO I.

Animalia integra, eorumque partes petrificatæ.

Genus I. Animalia integra petrificata.
Genus II. Partes animalium petrificatæ.

SECTIO II.

Vegetabilia integra eorumque partes petrificatæ.

Genus I. Vegetabilia integra petrificata.
Genus II. Partes Vegetabilium petrificatæ.

SECTIO III.

Lapides Figurati Petrificati figuræ incertæ, ad quid referri debeant.

Genus I. Lapides Figurati Petrificati figuræ regularis, & incertæ, ad quid referri debeant.
Genus II. Lapides Figurati Petrificati figuræ irregularis, & incertæ, ad quid referri debeant.

CLASSIS IV.

EXhibet Lapides Figuratos Intortos, quorum orbes serpentum in modum in se convolvuntur, & Ammonis Cornua vocantur, ad quam Classem referendi sunt Nautilitæ, ob eundem circumvolutionis modum. Me non latet, plures, qui Fossilia Testacea à Cataclysmo ortum suum deduxisse volunt, præsentes Lapides figuratos unà cum subsequentibus petrificatis adnumerare; cum autem plures rationes

tiones & experimenta, quibus Diluviani tam faciliter respondere non poterunt, huic opinioni repugnent, verisimilius videtur, hujusmodi Lapides à vi plasticâ proprii seminis in subterraneis gigni.

SECTIO I.

Ammonis Cornua lævia.

Genus I. Ammonis Cornu læve spinâ subrotundâ.
Genus II. Ammonis Cornu læve spinâ eminente.
Genus III. Ammonis Cornu læve spinâ eminente dentatâ.

SECTIO II.

Ammonis Cornua Tuberculis insignita.

Genus I. Ammonis Cornu tuberculis in interno orbium ambitu sitis.
Genus II. Ammonis Cornu tuberculis in externo orbium ambitu sitis.

SECTIO III.

Ammonis Cornua Striata striis Integris.

Genus I. Ammonis Cornu Striatum striis integris in spinam subrotundam abeuntibus.
Genus II. Ammonis Cornu Striatum striis integris in spinam acutam abeuntibus.
Genus III. Ammonis Cornu Striatum striis integris in spinam eminentem abeuntibus.
Genus IV. Ammonis Cornu Striatum striis integris in spinam sulcatam abeuntibus.
Genus V. Ammonis Cornu Striatum striis integris in spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus.

SECTIO IV.

Ammonis Cornua Striata Striis Divisis.

Genus I. Ammonis Cornu Striatum Striis Divisis in Spinam Subrotundam abeuntibus.

Genus II. Ammonis Cornu Striatum Striis Divisis in Spinam Acutam abeuntibus.

Genus III. Ammonis Cornu Striatum Striis Divisis in Spinam Eminentem abeuntibus.

Genus IV. Ammonis Cornu Striatum Striis Divisis in Spinam Sulcatam abeuntibus.

Genus V. Ammonis Cornu Striatum Striis Divisis in Spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus.

Genus VI. Ammonis Cornu Striatum Striis Divisis præcedente tuberculo subrotundo.

Genus VII. Ammonis Cornu Striatum Striis Divisis præcedente eminentiâ oblongâ.

SECTIO V.

Lapides Figurati Intorti Serpentum in modum in se convoluti Squammati Nautilitæ dicti.

Genus I. Nautilites Squammatus.

CLASSIS V.

EXhibet Lapides Figuratos Intortos Turbinatos, quorum Orbes Cochlearum in modum producuntur, & Cochlitæ vocantur.

SECTIO I.

Cochlitæ Mucrone Elongato.

Genus I. Cochlites Terrestris.
Genus II. Cochlites Umbilicatus.
Genus III. Neritites.
Genus IV. Trochites.
Genus V. Buccinites.
Genus VI. Turbinites.

SECTIO II.

Cochlitæ Ore Elongato.

Genus I. Cochlites Pyramidalis, seu Cylindroidæus.
Genus II. Echinophorites.

SECTIO III.

Cochlitæ Ore & Mucrone simul elongatis.

Genus I. Strombites.

CLASSIS VI.

EXhibet Lapides Figuratos Turbinatos Helicem non habentes.

SECTIO I.

Lapides Figurati Turbinati Helicem non habentes subrotundi, striati, vel punctulati, Echinitæ dicti.

Genus I. Echinites Clypeatus.
Genus II. Echinites quinis radiis è duplici serie.
Genus III. Echinites Discoidæus.
Genus IV. Echinites Spatagoidæus.
Genus V. Echinites Cordatus vulgaris.
Genus VI. Echinitarum Radioli, & Scutula.

SECTIO II.

Lapides Figurati Turbinati Helicem non habentes læves, Belemnitæ dicti.

Genus I. Belemnites Pyramidalis.
Genus II. Belemnites Cylindroidæus.

CLASSIS VII.

EXhibet Lapides Figuratos Bivalves, qui Conchitæ dicuntur.

SECTIO I.

Conchitæ Valvis æqualibus Læves.

Genus I. Conchites Valvis æqualibus Lævis Figurâ ex alterâ cardinis parte diffusiore.
Genus II. Conchites Valvis æqualibus Lævis subrotundus.
Genus III. Cochnites Valvis æqualibus Lævis ex utraque parte æqualiter diffusus, & à cardine ad oram magis elongatus.

Genus IV. Conchites Valvis æqualibus Lævis ex utraque parte æqualiter diffusus, & à Cardine ad Oram angustior.

Genus V. Conchites Valvis æqualibus Lævis insigniter Ventricosus: Bucardites dictus.

SECTIO II.

Conchitæ Valvis æqualibus Striati.

Genus I. Conchites Valvis æqualibus Striatus Figurâ ex alterâ Cardinis parte diffusiore.

Genus II. Conchites Valvis æqualibus Striatus Subrotundus.

Genus III. Conchites Valvis æqualibus Striatus ex utraque parte æqualiter diffusus, & à Cardine ad Oram magis elongatus.

Genus IV. Conchites Valvis æqualibus Striatus ex utraque parte æqualiter diffusus, & à Cardine ad Oram angustior.

Genus V. Conchites Valvis æqualibus Striatus insigniter Ventricosus Bucardites dictus.

Genus VI. Conchites Valvis æqualibus Striatus ex alterâ Cardinis parte insigniter elongatus: Rhomboidalis dictus.

Genus VII. Conchites Valvis æqualibus Striatus Subrotundus Striis omnium maximis: Imbricatus dictus.

Genus VIII. Conchites Valvis æqualibus Striatus ad triangulum accedens Striis inæqualibus, Concham Indicam visu prodigiosam Bonani, referens.

Genus IX. Conchites Valvis æqualibus Striatus Compressus: Pectunculites dictus.

Genus X. Conchites Valvis æqualibus Striatus Compressus & Auritus: Pectinites dictus.

SECTIO III.

Conchitæ Valvis Inæqualibus Anomii dicti.

Genus I. Conchites Anomius sine rostro Compressus: Ostracites dictus.

SECTIO IV.

Conchitæ Anomii rostro Prominulo non Pertuso.

Genus I. Conchites Anomius rostro prominulo non pertuso, Luidio; Gryphites dictus.

SE-

SECTIO V.

Conchitæ Anomii roſtro prominulo veluti pertuſo. Luidio : Terebratulæ dicti Læves.

Genus I. Terebratula Lævis Lacunoſa.
Genus II. Terebratula Lævis ſine lacunâ.

SECTIO VI.

Conchitæ Terebratulæ dicti Striati.

Genus I. Terebratula Striata Lacunoſa.
Genus II. Terebratula Striata ſine Lacunâ.

CLASSIS VIII.

EXhibet Lapides Figuratos Tubuloſos, qui Tubulitæ dicuntur.

Genus I. Tubulites Dentalis.
Genus II. Tubulites Vermicularis.
Genus III. Tubulites Balanorum Calices referens.

HÆc ſunt, Doctiſſimi Domini Philophyſici, omnia Lapidum Figuratorum Helvetiæ noſtræ genera, quæ inter conſtantem Medicinæ praxin detegere licuit, quibus addam Appendicis locò Lapides Figuratos Monſtroſos, quorum ſtructura ordinarium naturæ curſum aberrare videtur, & Complicatos, id eſt, Lapides Figuratos diverſi generis inter ſe arctiſſimè unitos, qui non parum lucis pro rimandæ naturæ ludentis operandi normâ, & detegendâ genuinâ Lapidum Figuratorum productione conferent.

Cum verò in re tam difficili integra Lapidum facies ſolâ deſcriptione nunquam ita exprimi poſſit, ut eam Lector ſatis clarè & diſtinctè agnoſcat, non ſolum quodlibet Lapidum Figuratorum genus, ſed quoque rariores eorum ſpecies omni poſſibili diligentiâ depingi curavi, adnexis plerumque Matricibus, prout in iis inventi ſunt, præcipuisque eorum partibus, præſertim Cornuum Ammonis Spondilolithæ dictis, quorum diverſitas, & nunquam ſatis admiranda ſtructura, quæ ſola propriam meretur tam Phyſicam, quam Anatomicam attentionem, magnam opem ad indagandam Rei Lapideæ Figuratæ Naturam afferet. In quâlibet icone integra Lapidis effigies cum nomine majuſculis litteris expreſſo, & Notâ Characteriſticâ, per quam ab aliis Lapidibus differt, exhibetur.

Ut

Ut demum utile dulci misceatur, brevem descriptionem subjungam Nephritidis, & Calculi Humani, quomodo in corpore nostro generetur, quibusque remediis ejus cura & Prophylaxis instituenda sit, occasione Calculi Humani rarissimi, Rheinfeldæ ante septem annos excisi è rene dextro alicujus Domini ob tabem ab exulceratis renibus & subsequente vitiatâ stomachi digestione inductam, vitâ defuncti, cujus superficies ferè undique spiculis Crystallinis pellucidis & nitentibus obducta est, cui adnectam alteram observationem Anatomicam Costarum Bifurcatarum in Homine Badenæ Helvetiorum exenterato deprehensarum.

Hoc est Epitome mearum Exercitatiuncularum, de Lapidibus Figuratis, quibus mentem meam ab ægrorum curis liberam ad terenda superflua momenta jam per aliquod tempus sublevavi, hoc vobis, Indefessi Rerum Naturalium Scrutatores obiter contractum præbeo, perspicacissimo prudentiæ vestræ arbitrio committendum, ut si non prorsus erroneum judicetur, fovente vestrâ humanitate ad majorem perfectionem perducatur, communicatisque observationibus accuratius Opusculum comparetur. Datum Lucernæ Helvetiorum pridie Nonar. April. 1705.

Quamvis etiam Nobil. *Dn. D. Joh. Jacobi Scheuchzeri*, Poliatri Tigurini Clarissimi & Academici Naturæ Curiosi Specimen Lithographiæ Helvetiæ curiosæ, Tiguri Anno 1702. editum, atque Illustrissimo ac Excellentissimo *Dn. Francisco Honorio, S. R. I. Comiti de Trautmansdorff &c.* summo Musarum Patrono inscriptum, quo lapides ex figuratis Helveticis selectissimi, quorum originem universali diluvio vindicare parat, æri inciſi sistuntur & historice describuntur, integrum huic Appendici inserere primo constitutum fuerit; cum vero nuper singulari in scripto quo rariores physicas Helvetiæ observationes recensere incepit, eosdem lapides delineare atque describere eidem libuerit, atque in ipsa, quam singulari ardore, quin & amplissimi Magistratus Tigurini authoritate parat, Historia naturali Helvetiæ uberius sit expositurus, hac occasione saltem singulare & indefessum Dn. Authoris studium commendare, Lectorique benevolo egregii operis olim edendi spem facere libuit; de quo nempe non nisi quod eruditione multiplici placere queat, sibi promittere debet, atque ut eidem perficiendo DEUS vitam & vires concedere faveat, merito obtabit.

B. C. D.

B. C. D.

GEORGII FRIDERICI FRANCI DE FRANKENAU,

MED. D. & P. P. REGII HAFNIENSIS,

NEC NON ACAD. NAT. CURIOS. COLL.

BREVIS. AC VERA MAGNI ILLIUS ET FAMOSI FLUXUS MARIS VORTICOSI,

ARCTANDRIS

MOSKÖE - STRÖM;

ALIIS VULGO

MAAL-STROM

DICTI,

EJUSDEM QUALITATUM,

VARIORUMQUE IBIDEM ADMIRANDORUM DESCRIPTIO.

Mirabilem gurgitis seu Euripi Hyperborei historiam, ad extremam Lofoten in Norvegia oram reperiundi, atque omnium, qui sunt, Celeberrimi & maximi, teste *Johan. Bunone in Not. ad Philipp. Cluverii Geograph. Lib. 3. cap. 20.*; nunc scribere aggredior, & cum Naturæ Curiosis atque inclutæ Academiæ nostræ symmistis, eâ qua accepi fide tam ipsissimorum spectatorum, quam aliorum dignissimorum hominum communicare sustineo, prout inter collectanea dulcissimi heu quondam

Genitoris noſtri, ἐξ μακαρίτε, paſſim invenio, quam publici juris, ut ipſe aliquando faceret, mors intempeſtiva obſtitit. Magna autem cumprimis ex his debetur gratia plurimum Venerabili Nidroſienſium Epiſcopo, Dn. D. *Petro Kroog*, cujus Diœceſi quoque ſubſunt *Moskœ-Ström*, vicinæque illæ inſulæ, quod tantum deferre voluerit precibus Beati Parentis, veniente ſimul in partes ejus Generoſo Dn. *de Fölckersham* S. Reg. Maj. Daniæ in Norvegia Chiliarcha optimè merito, & prolixis ſolidisque reſponſionibus motis ab ipſo ſuper curioſis iſtis Anno Seculi hujus primo propoſitionibus perbelle ſatisfacere; qui & majorem multò nobis in hoc opere præſtitiſſet operam, pro ut fatetur *Idem Summe Rever. Vir in relatione*, ni bina ejus diaria nupero illo Nidroſienſi incendiò miſerè periiſſent; Hunc ipſius defectum ſingularis ſupplevit bonitas Illuſtris Viri, *Henr. à Möinichen*, S. R. Maj. Conſiliarii Juſtitiæ & Archiatrorum Senioris, qui acceptam hanc à fratre ſuo in Nordlandia t. t. Paſtore, ſuccinctam ſed diligentiſſimam Charybdis iſtius Nordlandicæ Obſervationem alterius cujusdam Collegæ, & Parochiarum iſtius loci Paſtoris ſupra viginti duos annos vigilantiſſimi *Dn. Michaelis Biörnſen*, Parenti noſtro fideliter communicavit: Hic modo laudatus Vir decies quater periculoſum iſtud vadum feliciter emenſus, ſepties nimirum verſus Africum, totidemque vicibus inde reverſus crebra cum incolis hac de re habuit colloquia.

Atque ejusmodi majorem multo inveniunt fidem apud æquos rerum æſtimatores, longeque præferenda ſunt illis, quæ inter alios antiquiſſimus ſeptentrionalium Scriptor, *Olaus Magnus*, Celeberrimus *Athanaſ. Kircherus in mund. ſubterr. relationum* item *Curioſar. Hamburgenſium Auctor*, *Eberh. Guern. Happelius*, *M. Andreas Chriſtiani Fil. Aroëboë in hexaë. Mero ſuo Rythmico-Danico*, Förſte Uges tredie Dag (*hebdomadis primæ tertio die*,) *pag. 102. ſeq. Clauſonius in Deſcriptione*, quam ſequitur *Happelius l. d.*, *Norvegiæ*, &c. circa hæc commenti ſunt; facile tamen hi omnes excuſari poterunt, cum conſtet, ex aliorum potius relatu tales, utpote rei ignaros ita de hac ſcripſiſſe materia; ideoque tutius eſſe arbitror eâ abs re, de qua præter inanem rumorem nihil aliud habueris, calamum abſtinere, quam pro albo nigrum vendere, ac frigidiuſculis denique, & ne teruncio quidem dignis commentariolis, loco novæ alicujus veritatis onerare homines.

Et quidem quoad *originem vocis* hujus inſoliti fluminis; non Maal Ström incolis, aut Umbilicus marinus, quemadmodum per-

pe-

peram nonnulli illud ita vocant, verum Mosköe-Ström rectius appellatur, à vastæ magnitudinis jacentibus ibi, & à mari surgentibus in altum Saxosis Montis scopulis Mosken vel Mosköen rectius dictis, qui à nullis habitantur, ob difficilem fortassis aditum; tum etiam, quod nonnisi media tantum æstate, cœlo sereno ac placido, nullisque tumescente æquore fluctibus eò appellere liceat; prima tamen & genuina nominis hujus montis incunabula non satis liquent: quantumvis enim prioris ævi homines non sine ratione cuivis loco sua imposuerint nomina, iisque satis cognita fuerint habita, tractu tamen temporis hæc aliaque oblivioni tradita deprehenduntur. Arduam hanc montis ætherei faciem quidam Nösset seu promontorio Hövringensi prope Nidrosiam assimilant, longitudinem verò æquiparant distantiæ loci Lade ad Bachoën; ast latitudo tanta non habetur, cum angustæ saltim rupes in longum se exserant & in altum tollantur, quæ mare versus admodum præcipites; verum in medio cacuminis quædam panditur planities, quam Væroënses demessuri incolæ accommodata probe tenentes tempora non sine magnô labore & periculo ascendunt, fœnumque in manipulos illic colligatum, domum secum ferunt.

Quoad *situm ejus*, propior est Mosköe mons Insulæ Væroë quam Lofoten, & quidem tertia parte; si enim duas tertias distantiæ inter Lofoten & Mosköen assignaveris, unam tantum tertiam deprehendens inter Væroë & Mosköen; nam ultimus Lofotensis Insulæ terminus à Væroë distat uno milliari Norvegico; extremum in illa templum vocatur Moskoënæs seu promontorium quod prædictum respicit montem, & dimidio milliari à binis illis prædiis, Hellen seu Helleggen, ac Besk-Helvöy adhuc abest, dum media inter Austrum Africumque itur plaga. Et quoniam plures adhuc, minores tamen huic monti adjacent Insulæ, quas generaliores mappæ silentio prætereunt specialiores autem, in quibus exprimi deberent, vix habentur, eas breviter tantum heic commemorabo; suntque Ambaaren, Iibleffen, Höyholm, Kielholmen, quæ magnitudine haud superant Munckholmen, prope Nidrosiam Insulam, & circa quarum littora piscatum frequenter eunt accolæ; præterea varii etiam ibi dantur majores scopuli, ut Suaroën & Buchholm, qui ex adverso Ambaaren orientem versus spectant. Cum à Moskoën itur ad Væroën, plures ejusmodi numerantur, ut Otterholm, Flimen, Sandflessen, Huidholm, Skatholm &c. ab æstu tamen maris neutiquam liberi. Præ-

ter dictos alii adhuc sub aquis latitant scopuli & diversæ magnitudinis saxa, Arctandris Scalder dicta, nonnullis etiam Herjeke. circa quæ in orbem agitur fluxus iste Maris, vorticemque talem constituit mirabilem. Heic æstate capiuntur pisces, inquilinis Sey vocati, ludentes super algam, item Stopd Field, Staunen / Eunychen &c. Ceterum è regione Röst versus Caurum sita traditur Insula duorum milliarium ambitu, quam Udröst vocant, ast adeo demissa est terra, ut accedente maris æstu tota fere submergatur, hancque ob rationem vix habitabilis censetur; Quamobrem cavendum heic quam maxime navibus illis has Insulas prætereuntibus atque Russiam destinatis, ne plus justo appropinquent, æstusve tempore à flumine absorbeantur, & in Mosköe gurgitem præciptentur.

Scopulorum quidam sex, octo vel duodecim Orgyarum sub aquis habent *profunditatem*, & propius versus Lofotensem oram aliqui triginta vel quadraginta orgyarum altitudinem æquant. Alias fundus ipsius Moskoë fluminis non adeo habetur hic profundus, verum circa Lofoten, uti jam dictum, & alteram Værören partem profunditatem maris quadraginta, sexaginta imò octoginta Orgyarum aliquando sunt percontati: Alii profunditatem hujus loci non inepte colligunt ex demissis funibus, Arctandris Ganquad dictis, bolidis instar, quibus majores capiunt passeres, & quorum extrema pars annexa lapide majori ad fundum maris demittitur, altera dum superior pars, cui particula ligni aut suberis alligatur, semperque supernatat, nisi maris æstus sit nimius.

Præfecturæ Lofotensi paret Mosköen cum adjacentibus Insulis, in qua duæ sunt Parochiæ Buxnæs cum annexis templis Hoël, Borgen, Flachstad ac Mosköenæs, ut & Varöe cum vicina Insula Röst. *Altitudo poli* hujus loci ab incolis 68. graduum habetur, atque in recentioribus mappis maritimis *van Ceulen* sic notatur. Circa solstitium æstivum per integrum mensem Solem habent inocciduum supraque Horizontem. *Happelius in relat. suis Curiosis* vorticis hujus marini ponit distantiam à Nidrosia sexaginta milliarium; verum plurimum Venerabilis *Episcopi Dn. Kroog relatio* facit eam 52. tantum milliarium, ad experientiam maritimorum Norvegorum provocans: Cursum eò tendentes naves littora legunt Nordlandene, καλὲξοχὴν sic dictarum terrarum, quia septentrionem magis spectant, usque dum relicta Helge Landet / ad locum Flynvax dictum perveniunt, directò interim cursu in Japygem tranando Westfiorden. Videtur quidem cursus iste

iſte non ſine ambage, verum tutior multò perhibetur, irruente cum primis procellarum turbâ, atque id faciunt tales navigantes, quia neſciunt illam lineam recta ducentem ab Örlandet ad Væröen, quam tamen multis iisdemque periculoſis infeſtam ſcopulis tradunt nautæ & piſcatores.

Quoad *magnitudinem* vorticis hujus*, ea tam exacte definiri nequit, quippe ſecundum anni tempora, Lunæ phaſes, ventorumque ferociam valde variat: *Athanaſius Kircherus l. d.* ſcribit peripheriam ejus extendi ad tredecim mille paſſus & ultra; alias quadrantem milliaris unius circiter abſolvit prope præfatum montem; verum qua Occidentalem ſpectat plagam, Oceanum verſus, ad dimidium fere milliare extenditur; ita ut proprius hujus vorticis tractus ovalem quaſi ibi demonſtret figuram: ipſum verò flumen dimidio tantum milliari ab extrema Lofoten ora incipit, pergens ad inſulas Ambarene ab Arctandris nuncupatas, ibique dimidii milliaris latitudinem vix æquat, alias ad Inſulam Röſt latius interdum extenditur, latitudine quatuor integrorum Norvegicorum milliarium. Longitudo totius fluminis, in illo æſtus gradu, quem fiere vocant, ad duo fere milliaria in Occidentalem ſeſe extendit Oceanum, curſum dein ſeptentrionem verſus prope Lofoten dirigens, ut conſtanter aſſerunt piſcatores victum ibi quærentes: recedente autem mari curſum verſus Orientem dirigit ad duas propemodum leucas, ſeque in flumen illud propinquum, omnibus notiſſimum, Weſtfiord dictum pacatiori tandem fluxu exonerat; & ubi maxime cogitur in anguſtias ac profunditatem ſimul, nimirum Lofoten inter & memoratas jam Inſulas Ambaarene, maximam in decurſu ſuo vehementiam exhibet.

Ordinarie *Motus ejus* directe ab Oriente in Occidentem fertur & vice verſa, quamvis circa dimidium fluxus marini gradum, quem fiere appellant & refluxus pariter, modo antrorſum, modo retrorſum moveatur. Latitudo ſeu diſtantia fluminis iſtius à continente decem vel duodecim circiter milliarium habetur. A Septentrione Lofoten ultima ora, Norvegis Fielseggen dicta adeſt, ab Auſtro vero memoratus ante mons ſcopulis horridus, quem amplexu quaſi ſuo fovet mirabilis ille maris fluxus: proxime duæ adjacent parvæ Inſulæ Væröe & Röſt ex duabus parvis Parochiis conſtantes, tribusque majoribus à ſe invicem diſtantes milliaribus; idem eô curſus ac à Moskönæs ad Væröe obſervatur, ſed admodum difficilis ac periculi plena eô habetur via.

Rapiditatis fluxus hujus marini gradus tecum si perpendas, non semper uno eodemque se habent modo; nam reliquorum marium instar *nascenti* mox *Lunæ*, mox *decrescenti* obediunt, ita ut circa noviluuium aut plenilunium vehementissime; levius verò circa quadras ejus, & dum curvatur in cornua, gyretur ille fluxus, præsertim si simul tempus consueti incidat æstus: nimirum crescente tum mari, utplurimum Cæciam versus feruntur ejus fluctus impetuosi, decrescente verò illo eadem ut ante rapiuntur velocitate versus Vulturnum; hinc commodissimum istud transeundi tempus naviganti-bus tunc existit in Lunæ phasibus & quadraturis, magna licet sit maris reciprocatio, neque Sæva ventorum obstet rabies; propterea etiam mediæ duæ horæ decrescentis maris transeuntibus semper habentur magis opportunæ; instante autem nova aut plena Luna id minus tentare licet. Nam siquidem Vortex motum sequitur acus Magneticæ, ita ut ex. gr. si per horam declinaverit versus meridiem, mox sequenti horâ versus Africam, post in Meso- Africum & Argesten se flectat; hinc reflictâ Lofoten Væröe qui petunt; mediô refluxus tempore committant se mari, vel tertia etiam ejus parte, & contra qui Væröe relinquunt, tenduntque versus Lofoten, observabunt præcise tertiam accessus maris partem; tunc enim secundo simul feruntur flumine navigantes, & quantum viæ conficitur, tantum se ad lubitum accommodat ille fluxus; hinc à Lofotensi Insula tempore accessus maris; à Væröe autem ad Lofoten tempore discessus ejusdem non datur ire: Adde quoque, ubi Luna fuerit cornuta, tunc ultra quartam vel dimidiam circiter milliaris partem extra hunc vorticem prosequuntur nautæ iter in Oceano vitaturi istam Charybdin; tempestate verò Coortâ turbida, altisque ut vocant, fluctibus (Spring-Flöed) accedentibus simul Lunæ phasibus, frustra id tentant contra audentiores, quippe tam latè se diffundit tum vortex, ut minime eum prætarire queant. Unum adhuc est quod notari meretur: Nimirum semper Lunæ quasi obviam fertur Moskö-flumen, sive in Occidente sive in Oriente appareat Luna, tunc similiter cursum suum eô dirigit; hinc est, quod ante dicebatur, illud nauticæ pyxidis motum sive Lunæ circulum presso sequi pede.

Vehementiam hujus fluminis quoque non parum adauget immitis & turbidi cœli constitutio; recedenti quippe freto in cursu obsistens Cæcias fortius spirans, majorem aquarum copiam ex Oceano invehit, ac tumidorum fluctuum adversum motum & agitationem autum-

tumnali præsertim & brumali tempore efficit, quibus non solum tunduntur saxa ibidem sedecim sub aquis latentia orgyis, sed in altum eos surgere & in cœlum quasi facit minari, maximæ navis Bellicæ malum altitudine superantes quam longissime : Adde quod tantum edant fragorem ac strepitum collisi inter se spumantesque fluctus ac percussa inde littora, ut terra haud ita procul dissitis videatur tremere, imò ad plura milliaria audiri queat ejus sonitus ; quin etiam asserant Lofotensis Insulæ incolæ fenestras ibidem, januas, trabes atque ahena super ignem in caminis pendentia, imprimis in prædio Hellen vel Hilden cognominato, atque extremo Lofoten angulo exposito, manifesto tremore concuti ; unde impossibile omnino habetur, ullam tunc navim, maxima licet ac instructissima fuerit, quare non præstantior altera manifesto absque periculo flumen illud unquam superare posse ; placida verò ac serena tempestate libere decurrit absque strepitu, & quidem aliter ac scribit *Happelius in relat. suis curiosis*, ubi fluxus istius probè gnari accurate observant tempus & omni cum commoditate illud tranant ; id quod dimidio refluxus tempore versus Austrum accidit, illoque æstus gradu, quem Fiere vocant, tutius proficiscimur, secundisque utimur undis ; scilicet cum in occidentem excurrit flumen, tali modo dirigamus cursum oportet, ut in Oriente ex adverso saxorum simus positi, & ubi versus ortum decurrit, ex occasu versus ea navigemus, quod ex dicta modo fluminis descriptione satis etiam liquet, nam fluxus tum est pacatior, neque recta in ortum vel occasum fertur, sed in Austrum magis aut septentrionem, prout nempe fluxus se habet aut refluxus. Hæc flumen istud superandi feliciter difficultas cautos magis reddit accolas ; ideoque Præfectus harum insularum maris incrementum vel decrementum colligit, è petris caput suum super aquas extollentibus, & secundum hanc observationem transituros semel, iterum atque iterum advertit, commodam jam esse occasionem utendi remis; sin neglexerint eam, aliorum periculis cautior factus de portu vel littore navibus solvendi non amplius concedit potestatem ; idcircò nullibi plures unquam periisse homines experiemur, quam heic in Moskoe flumine ; minor enim, quem vix suspiciunt, metus ille plus animi ipsis addit, & audaciores multò facit.

Ex supra allatis constare satis posset sapientioribus genuina *Euripi hujus hyperborei ratio*, quò autem cuilibet evidentius ea pateat, lubet paucis quorundam, & publicis & privatis literis tam exterorum

quam

quam inquilinorum consignatas de hac materia rationes expendere. Vir ingenio, atque infanda rerum scientia Celeberrimus *Athanasius Kircherus in mundo suo subterraneo* canales quosdam statuit subterraneos seu certos meatus, per quos Moskõe flumen derivatur hinc in sinum usque Botnicum, & dein in mare album in Moscovia, atque sic unum in aliud se exonerare putat mare: imò etiam, quod profundissimi in Medio Sueciæ siti lacus Venner & Vetter, quorum nulla attingit fundum bolis, aquas suas per invisibiles ejusmodi terræ ductus recipiant ex ipso Oceano, & sic cum illo communicent. Imprimis si fides habenda scriptorum septentrionalium famigeratissimo, & cui terrarum harum proprietates quam maximè erant cognitæ, ex certis principiis colligenti inferius totum illum tractum Septemtrionalem quasi esse excavatum, & in certos, invisibiles tamen meatus subterraneos distinctum: Unde occasionem sibi sumebant veteres gentilium inferendi aut somniandi potius, inesse scilicet Terræ huic animam viventem, seque per tales purgare voragines, spiritumque trahere quasi per modum in- & exspirationis; verum quis nescit, quod hæc alio sensu debeant explicari, nec ita proprie intelligi à sapientioribus. Globum quidem nostrum terraqueum si consideremus, non ineptè cum Insula quadam is comparari potest, in quo occurrunt tractus immensi stupendæque profunditatis abyssi, quarum ope id quod decedit alteri, alteri rursus apponitur. Tale quid Harlemi olim in Belgio contigisse scriptores referunt: Pari etiam modo connexum cum Ponto Euxino mare Caspium perhibent, quamvis ducentis à se invicem Maria hæc distent milliaribus. Dubitare præterea illum non sinit talis marium connexio vel cum fluminibus conspiratio, utut sit invisibilis, quæ vel in locis editioribus continentis, ex. gr. in Germaniæ Provinciis, Eyfelia dictis prope Cœnobium illud Benedictini Ordinis ad Lacum, zum Looch, ut & alibi in Helvetia lacus ejusmodi, vel etiam Media reperiuntur in terra. Probari hæc ulterius possunt exemplis aliis. Sic in ipso cacumine montis, in Hispania, Stella dicti, datur lacus aliquis, è quo sæpius naufragarum in mari navium extrahuntur tabulæ, quamvs duodecim à mari distet leucis, fluxum tamen & refluxum cum eodem pariter servat mari. Novit ipse summe Reverendus Episcopus in Nordlandia similem lacum non procul ab Ervigen, in quô idem etiam observare licet: Et facile fieri potest, ut tales gyri ac vortices maris uno quid absorbeant loco, & alio reddant istud; Verum hujus rei ne vestigium

qui-

quidem heic apparet in Mosköe flumine, nec quicquam enim absorbet, sed cum vi quadam repercudit undas, & si quoddam daretur hic barathrum, jam dudum illud æstivo tempore & tranquillo mari nautarum bolide esset exploratum; cum contra non ultra octo, decem vel duodecim orgyias altum stet ibi mare.

Quapropter *vera* Charybdis istius Aretöæ *caussa* mihi non videtur posita in magna quadam profunditate, sed in fundo potius inæquali, ac magnis scopulis & saxis delitescentibus sub aquis mire referto, ut & tractus Lofoten angustiâ & reliquas inter jacentes Mosköe fluminis Insulas, tales producente vortices; quibus si annumeres porro maris æstum ferociorem, procellarum ventorumque impetum, coärctationem denique ac vastorum in semet recurrentium fluctuum renixum; scilicet dum regredi tentat West-fiorden, & Oceanus rursus irruit, quæ caussæ simul sumtæ, prout vel plures vel pauciores, modo majorem modo minorem Mosköe fluxui pariunt vehementiam, ut mox increscere mox decrescere idem rursus videatur; ita ut qui hodie sine ventis decurrat placidus, alio tempore fluctus suos ad montium altitudinem quasi extollat, ut hic verè dicatur, conturbata misceri maria ætheri. Adhæc penitius hæc licet cognoscere, si conferamus alia in Norvegia flumina prope Nidrosiam cum dicto fluvio. Videamus quæso Kiöring Vägen inter Moß-Vigen & Inderörn / ubi fretum occurrit tam arctum, ut sermonem miscentem, stans littore in uno, alium in altero probe intelligas, quamvis fundum ejus nemo hactenus explorarit; tales tantum inde oriuntur gyri, qui medio fluxus tempore tutò tamen superari queunt. Circa Dolme-flumen in Hitteren similes quoque dantur vortices, qui non aliam agnoscunt caussam: Circa Tromsörn in freto quodam alius porro maris existit fluxus, qui semper gyrat aquas à secunda scil. ad quintam usque refluxus horam, omnem interim adversus flumen negans transitum; verum cum altum aut demissum plurimum stat in mare, tunc satis placidus & sedatus ejus exsistit cursus. Hammeröense flumem ex quintuplici constat aquarum confluxu angusto pariter in freto, hinc incredibiles gyros & magnorum fluctuum caussatur motus & agitationem.

Saltense flumen ejusmodi scatet syrtibus, quod non sine horrore aliquando transfretavit circa medium maris decrementum; si enim unius aut alterius ulnæ tantum spatio declinassel aut cessisset cymba fluvio, facile de vita ipsius actum fuisset. Omnia hæc modo

memorata flumina exactam cum Mosköe fluxus servant analogiam si non in totum, in tantum tamen, ut multis adhuc parasangis antecedat Mosöe flumen cetera, cum non solum allegatarum causarum ibi plures, sed & majores certè deprehendantur.

Unica tamen notatu digna heic occurrit differentia, quod prædicti scil. hi fluvii circa maximum & minimum etiam maris æstum sint navigabiles; verum Mosköe fluxum contrario se habeat modo, id quod terrarum situi describere non veretur. Ceterum illatæ causæ explicandis phænomenis, quæ verè accidunt Mosköe flumini bene inservire poterunt: Utut enim in hoc Patria nostra infelix foret dicenda, quod exteris interdum notior quam nobismetipsis rerum nostrarum sit status, neque dubitandum sit de curiositate peregrinantium aliorumque emissariorum, quam pervestigandis caussis & naturæ hujus Euripi impenderunt, in hoc tamen à nostra procul aberrant sententia, quod describant illum fieri per modum helicis, cujus quippe centrum quasi per tritorium, quicquid ei obviam fertur, omni tempore absorbet, & pro Voragine à plurimis habetur; à quo errore nec ipse *Relationum Curiosarum Auctor Kircheri* opinionem amplectens, immunis judicari poterit, arbitratus medio in gurgite dari meatus & cuniculos subterraneos in abyssum exporrectos, per quos statis horis aqua omnis absorberetur, aliis verò revomeretur; quapropter nulla navis, *pergit*, quam magna aut instructa etiam foret, vehementiæ ejus resistere poterit, si ad unum saltim milliare appropinquarit; sed à gurgite arripitur, aliquot vicibus in circulum gyratur, & in medium abyssi dein summa cum vi præcipitatur, atq; à latentibus syrtibus, ad quas vehementer allidit, in mille frustula discerpitur; quod & ceto immanis corporis & virium belluæ, si accedat, accidere idem vult; hinc ab ipso das grosse Trichter-Loch salutatur; cui sententiæ pariter favet beatus *M. Andr. Areböe in suo hexaemero pag. 103 seq* mediis nimirum in scopulis inveniri saxum aliquod aut petram excavatam, quod flumen agit in gyros, quam ob rationem quasi voraginis similitudinem refert, quod tamen omnino asserere non audet, sed prudentioribus potius & occulatioribus dijudicandum relinquit; quibus pariter contradicunt dictarum Insularum incolæ fluxum hunc investigandi nullum prætermittentes studium edocti visis tum miris quotidie effectibus, tum à Patribus acceptis relationibus.

Quoad

Quoad posterius, Patrum nempe relata, in hoc una omnes consentiunt, ut si vel decem vel centum ex his rogaveris, hoc tamen uno respondeant ore omnes: *Cetum*, si Mosköe flumen intraverit, idque adversus tranare laboraverit, præstare hoc neutiquam posse, hinc in aëra furibundum quasi exsilire, ratum isthoc sibi molimine & nisu viam sterni ulterius, ast irrito conatu reverti cogitur, atque hunc laborem sæpius aggreditur; cum verò advertit se neutiquam posse superare illud, horribilem tunc edit mugitum instar bovis, posthæc non amplius apparens. Sunt qui & hanc addunt circumstantiam, quod ubi grandiores Delphini prius insultaverint vel adhæserint ceti dorso, ilia ejus in vasto hoc gurgite rumpantur, & hoc modo intereat, apparente utplurimum, sedato Euripo, magnâ sanguinis & pinguedinis superficiei maris innatantis copia, milleque frustulis, interitum ejus nuntiantibus.

Altera relatio habetur *de pinis & abietibus*, quæ radicitus exstirpatæ fluxu ordinario quotannis illic appellunt, & cum per aliquod temporis spatium moram in hoc gurgite traxerint, dum prodeunt iterum sine ramis, cortice aut radice dein conspiciuntur, ac si ferro vel securi ubique essent divisæ; ex quibus colligere volunt, dari Charybdin ibi, quæ resorptas aquas, elapsis sex horis pro more æstus marini revomat. Dictis hisce diu fidem adhibere noluit, tam quoad saltum ceti, quam mugitum, quem edit; hæc edoctus cum primis, quod sit è piscium genere, careatque organis respirationi dicatis, vel sono edendo necessariis; verum alibi offendit homines fide dignos, qui Experientiam propriam, accidisse idem in Finnmarchia & Grönlandia, allegabant; oculatum verò hujus spectaculi testem circa Mosköe flumen invenit neminem: Sermonem tamen cum aliis super hac re instituit, rationem magis consulentibus, quam relationes ambiguas, qui eam nullius momenti vel ponderis habuere; & ceto, si advenerit commodo fluxus tempore, non majus impendere periculum, quam reliquis piscibus, qui numero fere innumeri sine discrimine flumen illud subeunt rapidissimum; estque veritati haud absonum; animal hoc à Natura quasi edoctum, certum maris fluxum & refluxum probe observare, ut cum eo simul accedat, & tempestive dein recedat, ne natantem aqua destituat, id quod sæpissime compertum est.

Sunt qui *naufragum lignum*, vel aliud consuetum è Finnmarchia quotannis ad vorticem hunc appellere, submergi, & in saxa aut sco-

pulos turbine actum, fruſtillatim tandem expelli ſcribunt, quod Rexter / Lat. *Abietinum lignum* appellant, & à Salten Inſula vel ipſa Ruſſia venire creditur, cum ad viginti & plura adhuc milliaria nullum prorſus tale inveniatur, ejusdemque fere ſemper ſit conditionis: Alii à ſeptentrionali Islandiæ plaga vel Grönlandia illud venire putant; ſed cum vagum hinc inde oberret, nec ſubmergatur ibi, neque à turbulentis fluvii hujus vorticibus tale immineat periculum, conjecturis meris loco certi fundamenti hoc itidem innititur exemplum.

Unde *opiniones iſtiusmodi* in medium à nobis ſupra allatæ, ſuis cum careant fundamentis, meritò à cordatioribus *rejiciuntur*; ſcil. in imò Voraginem, vel rotundum idque excavatum reperiri ſaxum: Quippe alterum eorum, ſi verum, flumen non minus ac vorago eo in loco, ubi ſaxum aut vortex, ſemper hæreret, id quod aliter plane, ut ante diximus, reperitur. Ad hæc ſi daretur ibi vorago, rectilineo motu ab Oriente in Occidentem neutiquam ferretur flumen, & vice verſa dum abſorbetur, nunquam collectis ſimul aquis dein pergeret in Orientem, id quod poſt hominum memoriam nunquam aliter contigit. Aſſenſionem potius & approbationem merentur pleniorem ἀνλόπται, & qui conſtantiorem illis in locis invenere manſionem; inter quos præcipue nominare licet Dn. Vice Paſtorem, Virum, dum viveret, probatæ fidei ac integritatis, talia nobis ſuppeditantem, qui ſæpenumero feliciter flumen iſtud emenſus cuncta ſuis oculis uſurpavit: In Mosköe gurgite, ait, milliaris circiter ambitu plus minusve, non unus ſolum, ſed ſexcenti dantur vortices; habito ſcil. reſpectu ad vires ventorum validas hæc agitantes æquora; hinc optime concludit, ſi tot in fundo maris ad eſſent cryptæ vorticoſæ, jam dudum exhauſiſſent illæ Oceanum, atque hæ voraginis iſtius, quam deſcribunt auctores, reciprocationes poſt ſex horarum decurſum redderent, quas ante exhauſiſſent, aquas, id quod tamen veritati atque Experientiæ quotidianæ contradicit; quoniam æque altos Mosköe fluxus exhibet fluctus tempore acceſſus maris exiſtente unda ejus depreſſa, ac cum recedit & mare ſtat altius, quamobrem locum heic habere nequit vorago. Quod autem, cuncta eò delata à fluctibus vi quaſi arripiantur, detrudantur, & ad ſcopulorum abigantur latera, unde non prius eluctari aut prodire poſſunt, quam contrarius marini introducatur æſtus motus, qui abſconditum in lucem denuo proferat; illud ingenti ac inſueto fluctuum, qui Cœlum quaſi petere videntur, aſcenſui & immodicæ maris agitationi & cauſſarum

sarum suqra allatarum syndrome suam debet originem : Etenim circa Hustad Vigen in Romsdalen placido etiam cœlo, quanta maris sit fluctuatio, perspicuè satis licet cernere, si vel minimus saltim accedat ventus ; cum horrore quilibet horrisonos expaveſcit aquarum strepitus à cautibus incautis huc repercussos, cum tamen tractus ille maris quodammodo sit clausus ; quamobrem nemo mirabitur idem & fieri cum prædicto flumine, scil. quando furibundum claustris Æolus emittit aquilonem, & vastum Oceanum ad scopulos illuc impellit sævo impetu, adeo ut unda sequatur aliam, & in venientem ex voraginibus assurgat, unde Haf-Sûrn (ita vocant in terris illis hyperboreis motam sentinam) sive ima fundi maris pars tumultuatur adversus superiorem, mirisque conturbatur tum procellarum furoribus, Et quid quæso non vastabit Oceanus turritos dum scopulos sub aquis decumani sic ferunt fluctus.

Atque dubitare minime licet *fundum maris* heic similiter ac alibi terram *inæquabili varietate distingui*. quam percontando bolide opportuno tempore ubivis multivariam se reprehendisse experti [illegible] ejus loci piscatores, hinc si oculis ita ac humanæ paterent industriæ, talia sub undis loca, facile qui occultè laterent reconditi & derelicti saltus atque anguli in apricum protraherentur. Cui scopo multam fœnerare possent lucum tales qui se mergunt in mari, quemadmodum famosus ille fuit urinator seu amphibium humanum, Pesce-cola vel Nicolaus Piscis dictus Italis, qui Messanæ in Sicilia se in Charybdin illam prope Scyllam audacter in mare demisit Siculum, aureum Imperatoris Friderici cratera repetiturus, quod & fortunato prima vice ipsi cessit, fundum tamen non attigit, sed vi fluminis in petræ foveam fuit delatus. De curioso hoc vado dein, quod feliciter subiit, seqq. nobis aperuit mirabilia : (1.) Rapiditatem fluminis (2.) è subterraneis cryptis scaturiginem (3.) Syrtium acutarum incredibilem copiam. (4.) Polyporum, canumque carchariarum ibi degentium ac triplice dentium seriè instructorum insignem abundantiam, quibus & idem Nicolaus Piscis cessit dein in victimam, secundum ausurus iter successu tamen minus secundo, mortemque citius quam Ducatis plenum pro eo reportans loculum. Modo citatas tres has priores observationes quomodo Mosköe fluvii conditionem illustrare posse crederem, imprimis cum caussæ ejus majoris sint momenti, quam Charybdis illius Siculæ ; vel quæ aliunde etiam peti possent vel ex Hoston in Britannia, fluvio S. Matthiæ prope Burdigalam in Gallia, in Hispania

ſpania circa Gades, Mallagen, & his ſimilia loca; quibus merito annumeranda cenſeo loca Auſtriæ ſuperioris in Danubio navigantibus infeſta prope Greinam, ſex milliaribus infra Lintzium ſita, horriſonamque illam Rheni cataractam prope Scaphuſium in Helvetia, præcipiti lapſu ſexcentos producentem dicto in fluvio gyros; prout ipſe Anno 1690. cum Beato Parente hujus raritatis quandam fui ſpectator: quæ ſingula autem minime ſunt æquiparanda Euripo noſtro hyperboreo, ſive rapiditatem ejus ſpectes, vehementiam aut magnitudinem, in cujus granditatem, vim motumque ſtupendum omnia pene Naturæ miracula, tam ſuperiora quam inferiora, exteriora & interiora, cœlum cum terra marique omnibus conſpirant partibus.

Ex quibus omnibus ſingularis *fluxus iſtius* vorticoſi patet *conditio*, quamdiu enim libere devehitur ejus æſtreus, neque illidit ſaxis, ſine ullo movetur ſtrepitu, placatumque per mare volitant navitæ & piſcatores, quia hæc loca Arctandris opulentiſſima habentur piſcibus, & ex Oceano copioſiſſime huc confluentes, Weſt-fiorden, Lofoten, Sulten, Lödingen &c. loca adeunt, remeantque eadem via poſt peractum ibi tempus aliquod recedente mari; ſi vero in ſemet agat vel recurrat Oceanus, ut ante dictum, ac procellarum vis refluxui moliatur obices, tunc mirum in modum turgeſcunt æquora, & murmurantis maris fremitu vicina loca reſonant, undaque monſtriferos mille agit ſinus ac vortices.

Dictæ hæ rationes de Mosköe fluxus cauſſis nunc ſufficiant, pergo ad *alia* ejusdem argumenti *notatu digna*, nec minus lectu jucunda in præcipuis vicinis Inſulis nempe Lofoten, Væröe & Röſt viſibilia, breviterque commemoranda. Et (1.) quidem, quod ad *Lofoten*, harum Inſularum quæ eſt maxima, attinet, vocis illius etymologiam derivandam cenſet *Præſul Nidroſienſium Venerabilis in MSS. ſuo* à pedis Leonini figura, proprieque hanc Inſulam Løvefoden (quod pes Leonis Latinis,) appellandam: Oculis enim ſi ſubjeceris Sennien aut Hinden & Lödingen unà cum Lofoten in tabula Geographica, repræſentabit tunc tibi Sennien femur, Lödingen tibiam, & Lofoten pedis plantam, quanquam vix credi ſibi velit, primum, qui nomen ei impoſuit, vidiſſe unquam Leonem; hoc tamen nemo negaverit, Ponţum ibi quintuplici modo interluere Lofoten, & in 4. veluti Leonini pedis ungues diſpeſcere; propterea etiam in quatuor diſtinguitur partes: Prima quadrans eſt Gimsöe, ſecunda Borg, tertia Holl, & quarta Flachſtad; *nomina* autem *fluviorum*, quorum mentionem nunc feci-

fecimus, sunt ista: (1.) Sund-fluvius, qui ab interiori situ, Strömnæs-fluvius, (scilicet à duobus prædiis Sund & Strömnæs,) appellatur (2.) Nap-fluvius, qui prædio Nap aut Fang-Ström sui nominis debet originem (3.) Gimsöe fluvius (4.) Raff fluvius (5.) Mosköe-fluvius.

Præfectura Lofotensis non quidem adeo est ampla, quemadmodum in antecedentibus jam jam meminimus; quamobrem sex vel septem abhinc annis Vesteraalensi adjungebatur, minoribus tamen Insulis minime accensenda venit Lofoten; satis enim habetur spatiosa, & angularem obtinet figuram; versus meridiem sinus montibus falcatus in arcus conspicitur, neque immanibus caret scopulis, qui ad 12. 14. imo 16. milliaria, ut apud Salten & Gillisoen à spectantium oculis libari satis queunt. Maritimæ oræ solum licet sit sterile & macrum, non tamen ubivis idem est, vel ac se habet; suis enim oculis vidit prælaudatus D. Episcopus, transeundo Borgen ab una extremitate ad aliam, & observavit ibidem humum viridem, lætum feracem & fœcundum; miratus hæc quæsivit, cur terræ huic plura non mandarent semina; hoc ab incolis tulit responsi; se tentasse illud sæpius, sed in irritum cadentibus omnibus, ob Aquilonem perpetuo frigus ibi spirantem, radentem terram, segetesque in ipsa extinguentem herba, ut matura surgat nulla; sed aliam inveni dein magis valentem præcipuamque fuisse causam, abundantem antehac piscium proventum; hinc questu & lucro dueti agriculturam neglexere, aliter ac illi faciunt hodie Arctoi Orbis incolæ, qui piscatus hodierni inopiæ mederi volentes, obtusi vomeris dentem procudere vel acuere, bovesque jugum ferre docent. Atque in tantum res piscaria eos hodie cœpit deficere, ut prostet in Lofoten quædam Parochia, cui olim in decimas cessere trecenta, quadringenta vel quingenta Vaage piscium, (quod ponderis genus est apud Arctandros, & viginti continet pondo, quorum unum facit ut Lißpund, sive aliis sedecim libras circiter,) hodie autem vix duodecim, sedecim vel viginti Vaage per aliquot annos decumarum loco dare potuerunt incolæ. Adhæc, quod segetes negant Lofoten, reserciunt alibi pecudes numerosæ & præpingues, quibus non sunt tantæ molis aut densitatis ossa, medulla tamen præ aliis magis perhibentur repleta: Et talem pecudum pinguitudinem inde facile licet colligere, quod sebi in plurimis ovibus duodecim ad minimum inveniuntur libræ, hinc omne, quod aliò transfertur, butyrum, caseus, & caro ob eandem ratio-

rationem & præstantiam ceteris palmam præripit. Præterea tam arietes ibi quam capri, non binis ordinario more, sed 4, 6, vel 8. interdum cornibus sunt instructi, quod naturæ soliquc pariter arguit ubertatem, quamvis ejusmodi pecora non æstivo tantum, sed & toto hyberno tempore victum in montibus, petris & ericetis musco obsitis studiose quærant, semperque sub dio maneant; præsertim cùm nives non sint ibi duratæ neque jaceant altæ, partim quod perpetuo spirantes venti congestas conterant, partim etiam sole madeant & [illegible]escant, in quibus alendis singularem heic DEI Providentiam licet cernere.

Alterum quod habitatorum vitæ sustentandæ hic præbet adminiculum, *aves* sunt quamplurimæ, quas suo idiomate seqq. nominibus sic exprimunt: Alcher/ Böeficer/ Fierk[illegible]/ Gaaßbov / Hafhest / Hafh mmer / Hafelder / Haffugle/ Kielden/ Kriecher/ Kiusva / Langlie / Lamb / Lunden / Seeding/ Seischalder / Skaare/ S[illegible]ven/ Strandmaager/ Svartbay / Sokkurenter / Tenden / Tristen ꝛc. Quarum tamen avium naturam & proprietates heic recensere non opus duco, cum & aliis in Norvegiæ locis occurrant, dixisse saltim sufficiat, quod ex rapaci volucrum genere, falcones albos, Aquilas, corvos & milvos ubertim alat prædicta Insula; ex vernis autem Anseres ferinos, glauci vel cinerei coloris, sturnos &c. cum plurimis aliis marinis antea recensitis maxima in copia, quarum multa millia catervatim per mare vel aëra volitant aut nidis suis incubant.

Nam quemadmodum apud Saltenses & Tromsoenses peculiaris datur major & minor mons, in quo cubilia nidosque sibi construunt aves, sic quoque apud Lofotenses vastus atque spatiosus invenitur mons, in quo non solum caveas pro excludendis ovis atque pullis suis habent volucres, sed & talem duxit ipsa Natura montem, ut in modum helicis sit excavatus suos habeat ordines atque receptacula, in quibus sine numero pariunt aves, quibus capiendis inserviunt incolis assueti canes & homines labore assiduo & quotidiano. Quidam ex aucupibus de sublimi montis cacumine per funem se demitti patiuntur; & non sine admiratione audivi, quam parvum pondus vel homo non adeo adultus demissum talem & ad asperas adhærescentem rupes in æquilibrio sustentare valeat. Audaciores adhuc aliqui non abhorrent à periculoso incessu exteriorum istorum ordinum, & asperitatum montis inaccessi, quorum mentionem modo fecimus, suntque tam angusti, ut vix spatium extremis pedum digitis capiendis sufficiat. Atque in hoc habent, quo suam exerceant aut ostentent adolescentes inconsideratissimam temeritatem, dum in capiendis plurimis gloriam captant avibus: communiter autem quilibet horum aucupum centum & viginti

ginti quotidie colligit aves, quas cingulo subnectit suo, vel alligat fasciæ dolioli, quam de collo suspensam gestat.

Alii majori adhuc gloriolæ cupiditate incensi plures conquirendi aves, maxime periculosa adeunt loca, & in periculo, quod amant, sæpius pereunt, deque spe salutis in mare præcipites decidunt.

Imò aliqui eò proceduntaudaciæ, an dicam insaniæ, difficillimis adeundi locis, in quibus vix ac ne vix quidem gressus firmare valent suos, illi dant ova, quorum interiora si fracta, & calore Solis indurata, usum dein præbent vestigiorum, quibus insistant aptius. Quapropter ad cohibendam, & ab omni lapsu continendam præcipitem hanc nonnullorum licentiam & audaciam, talis posita est Lex habitatoribus, ut qui hoc modo vitæ subit periculum, habeatur αὐλόχειρ, & quamvis deinceps ejus reperiatur cadaver, sepulturæ tamen nullus sit in cœmiterio publico locus. Interdum & ad extrahendas aves Lunder dictas, præter canum subsidium utuntur hamo aucupes, hocque naturali instinctu feruntur prædictæ, aves ut una abs altera alarum rostris amplexu invicem ægerrime distrahi vel divelli patiantur; ita omnes continua serie captoribus cedunt in prædam; aut canum ope, qui præstò sunt, eas sedibus exturbare suis poterit, ubi diligenter attendendum erit aucupi, ne, dum maxima volucrum copia subito in faciem ejus involat; semet

In mare præcipitem saxis deturbet ab altis.

Ejusmodi aves alites ad maximum incolorum redundant fructum, si vel spectes ipsarum ova, carnes, vel plumas. Usitatissimum est his in locis uno eodemque tempore culeum vel amphoram (vernaculè Tonnam) dimidiam vel integram, imo duas quandoque omnis generis ovorum colligere quibus sine discrimine vescuntur pagani qualiacunque etiam sint, vel spissa, turbida, rubicunda aut variegata, imo sanguine interdum uncta, nec quicquam curant, si vel pulli jam rudimenta egissent. Estivo tempore avium fruuntur carnibus, verum saporem hæ omnes præpinguem rancidum adipis instar balænarum elixæ (Trahnhafftig) habent, quantopere ipsius etiam studuerunt famuli hunc corrigere, tum ex aqua purissima sæpius eluendo, tum excoriatas ipsis marinis aliisque additis insuper condimentis excoquendo; ingratum tamen rancorem piscium redolentem saporem tollere non potuere. Pectoribus quoque ejusmodi avium sale conditis integras adimplent cupas, vel fumo aut vento indurant has vel siccant carnes habitatores, quantumvis admodum sint graciles, misere ac fere insipidæ. Alii qui in captandis adhuc avibus sunt feliciores, quam consumendis illis pares; imponunt has asseribus, ut putrefacta & exutâ omni carne plumas auferant, sibique solas servent; hinc ex quovis majori cen-

tenario numero Lunder & Alcher avium (in tali centenario numerantur 120. aves) facile sex libras circiter plumarum colligere poterunt, & quamlibet harum tribus vendunt imperialibus (norvegis Vaagen dictam) magnumque illis addunt lucrum.

Præterea *volucres* his in Borealibus tractibus *proretarum vel excubitorum loco sunt piscatoribus*, & piscium sub undis observant cursum, quibus dein illi pascuntur. Observatu dignum est, quando asellorum aut halecum turmalittoribus ex alto mari appropinquant (quam inquillini vocant Torsche- aut Silde-Berg) hanc in aëre tum comitantur multa millia avium, & vice versa si in altum se recipiunt, sectantur hæc pariter, præsertim Mossen / (quod volucrum genus est) Ejusmodi aves piscibus in mari recta impendent etiamsi vel centum sub undis latitent orgyis, unde notam sibi sumunt piscatores, suaque confestim summittunt retia, & hamos quibus levatis concluforum piscium intestina cedunt ipsis in escam loco mercedis & servitii. Proximam alias hujus comitatus caussam statuerem adventantium piscium multitudinem innumeras squillas (Kegert e) ante se fugantem, ita ut hæ cogantur legere littora vel loca edita, quibus in arena relictis marique dein destitutis satiantur Moßerne, eorumque explentur ventres.

Celebratissimum locus hic præbet *piscatum* quibusvis accolis, multumque frequentatur à Vaarfelder (sunt vicini Insulam Helgeland habitantes;) verno enim tempore aselli grandiores, æstate minores ac piscis Sey, autumno autem haleces & Langer capiuntur heic pisces. Cum piscium copiæ legunt littora, & rivulos seu scaturigines aquæ dulcis sectantur, ut ponant ibi sua ova, interdum eæ longitudinem suam ad aliquot orgyiarum millia extendere dicuntur, & profunditatem, ad viginti aliquot permare, ita ut bolis demissa ex ferro librarum duodecim sine submersionis periculo sustentetur ab his ac à monte piscoso in tanta tamen, dum præsto sunt, copiâ, piscatorum non rarò eludunt spem metuentes sibi ab hamo, id quod dolendum. Alias pisces conquirere etiam oportet in locis arenosis & ostiis fluminum aquæ dulcis, quibus delectantur & magnopere inhiant eorum scaturgini idque satis inde elucet, quia, dum capiuntur & aperiuntur, aqua tali distenta sunt eorum interiora: Ut silentio præteream nunc quæstiosissimum illum & uberrimum piscatum Haakiæring / per fœtidissimum cadaver flumini immersum qui alliciuntur, & quorum unius jecur tonnis duabus seu amphoris ad implendis sufficere potest, ut & Haabranden / qui piscis est priori longè major. Ex piscibus heic locorum captis nihil quicquam inutiliter perit; nam prout intestina avibus in hanc rem necessariis cedunt malimoniam, sic & capita & dorsa arefacta (quæ Molle vel Löbing & Taare appel-

appellant) cum infusa dein aquâ fervente molliuntur, jumentorum hyeme optimum habentur pabulum.

Occasione prælaudati piscatus, cujus & in superioribus partim meminimus placet alium rariorẽ adhuc priori subnectere, qui de Marmellen quandoque accidit in Lofoten ejusque confinibus. Hi Marmellen speciem præse ferunt infantis alicujus propemodum semestris, & præter spem subinde piscatorum capiuntur hamo, in nidum dein reponuntur, foventur & lacte sustentantur. Tales vulgus oraculi instar habet; norunt enim faucibus obtusis, obscura nec sonora voce proferre cuncta præterita atque futura, quænam ipsis impendeant fata, quæ ex piscatu sors, quid boni malive amicis aut inimicis, præsentibus vel absentibus sit exspectandum. Viginti quatuor horarum spatio, eodem, quô sublati ante sunt, loco rursus exponi debent, & quamvis quædam prostent exempla quæ fidem dubiam faciant præsagiis, simplicioribus tamen omnibus pro vero oraculo ejus accipiuntur dicta.

Præter hæc de avibus & piscibus in medium à nobis adducta plane singularia occurrunt & alia prioribus similia rara: Nimirum circa extremum Lofotensis promontorii angulum, non procul ab ipso cacumine *Magna* conspicitur *fovea*, spatiosi instar cujusdam atrii, quod aliud dein excipit haut minori amplitudine, hocque tertium deinceps, omnium maximum & spatiosissimum. Ex his primum adiri quidem potest, secundum etiam aliquatenus, intrantibus tamen hoc, nescio quô arrectæ quasi horrore steterunt comæ, ut ulterius progredi non licuerit; ad tertiam verò perveniendi usque speluncam, nemini adhuc fuit datum. De quibusdam incolis constans fert fama, quod manibus se invicem amplexantes, tertiam illam, tetram & horridam specum ultimam subire voluerint, at nemo primus eorum rem hanc aggredi fuit ausus, hinc re infecta abiere. Alii pariter istud ausuri, funes secum sumsere, quibus præeuntem primum alligatum, si opus, retrahere potuissent ejus sodales, sed frustra, nam terror & metus subito invadens ipsos discedere jussit. Alii cum cane fecerunt periculum adigendo eum ad cryptam hanc horridam, ubi duriori fato exterritus varieque jactatus sudatorium fervens illic expertus fuit, nudatus enim & consumtis per totum corpus pilis, ex adversa Nap-fluminis regione in lucem denuò prodiit, hinc locum illum communiter balnei aut sudatorii Lofotensis nomine salutare solent.

Raris denique quæ contingunt in Lofoten coronidis loco adjiciam *portentum* aliquod seu *Meteorum* potius *igneum*, quod circa Söbierg montes appareat: Sæpissime enim æstivo tempore vident accolæ tanquam titionem quendam cito aliorsum rapi ex his montibus, ceu sede sua horis matutinis; quando au-

tem vesperascit è maris regione versus caurum vel occasum æstivum eosdem redit ad montes citoque perit; ast hyeme plane non apparet. Multi meteorum hoc igneum putarunt esse Draconem ex veteri superstitione & consuetudine conjectantes, ac si corrasis illic incubaret gazis. Quicquid sit hoc tamen certum est, Lofoten æque ac alias Septentrionales plagas suis gaudere meteoris, ut faculis aëreis seu ignibus fatuis (Vind lyß dictis) quæ Curiosis satis amplum ulterius hæc perquirendi campum poterunt pandere.

Altera, quæ Præfecturæ Lofotensi subest, Parochia, constat duabus ex Insulis, sed paupertate nunc misere afflictis, nempe Röst & Væröe hæc postrema Insula *Röst Væröe* ad differentiam alterius, quæ Boë Værroë appellatur, Vesteraalen adjacet, atque hæc una ex omnibus, quæ sub Septentrione sunt, insulis, versus occidentem magis spectat: Sunt aliqui, qui superioribus temporibus lauta admodum conditione incolas vixisse asserunt, præcipuè ob felicia mercantium illuc negotia, quibus non parum opitulari tum videbatur copiosus piscium proventus; quicquid enim ex Lödingen / Salten &c. locis afferebatur, illud omne venum eò ibat. Neque hoc ulli adeo à vero absonum videri debet, imprimis eùm heic loci multa caminorum vestigia, murorum reliquiæ & rudera spectantium oculis se sistant, locique opportunitas commodum navigantibus præbeat portum: pariter sicuti Ingen in Finmarchia adhuc hodie monstratur locus, ubi Curia & publicis conviviis & tribuum collegiis destinatæ domus olim steterant; Præfectus etiam Vardoëhusiensis Bergensi simul ditioni tum præerat, antequam mercatorum conventui dicata domus exstrueretur: Quemadmodum & in Vaagen celebre fertur fuisse emporium, quod primæ domorum sedes ac fundamina, atque in plateas suas distincto satis hodie indicant; ast quàm fortunatus & splendidus olim fuerit Væröensium status, tam depravatus & miser nunc conspicitur. Hæc modo dicta Insula, quæ majori milliari circumscribitur, viginti conjugum paribus seu Rusticorum & villicorum familiis habitatur, similiter & Röst Insula. Temporibus his piscosi maris bonitas defecit ipsos, hinc passim dictarum avium Lunde = carnibus vivunt: Incolarum præstantissimus habetur, qui duas vel tres alit vaccas, quibus, sustentandis opus habent é dimidii vel etiam integri milliaris spatio dissitis insulis fœnum in locum suum congerere non sine magno labore & molestia, nam per funes illud exaltis demittitur rupibus, in binas huic scopo adaptatas cymbas, velocß superne instructas, quibus cum vitæ periculo sæpius mare transfretant, &, dum

Su-

--- --- *Subitæ saliunt in vela procellæ.*

puppim proximo applicare debent littori, ubi duo tantum dantur vada certa, reliquum hujus Væröe meris consistit promontoriis. Nihil autem majori cum molestia incolis hisce comparandum venit, quam lignum pro focis exstruendis, in quibus colligendis duodecim, quatuordecim, sedecim & pluribus hinc millaribus unum vel alterum etiam consumunt mensem, quoniam rara hæc parum solumodo bituminosis cespitis sexu Turfæ suppeditat.

Inter memorabilia denique hujus loci non infimo collocandum erit loco *Hygrometrum & Anemometrum Væröense*, quod veterum inquilinorum invenit industria rebus ex illis domesticis, quas natura solumque ibi Patrium suppeditarant, ad imitationem rere illorum thermo- & Baro-metrorum, quæ Celeberrimus *Otto de Guericke*, Magdeburgensium Consul. aliique Curiosi ante 4. & quod excurrit lustra nobis exhibuerunt: Nimirum est ipsa avis *Lunde*, hanc depilmant, exenterant, pellemque detrahunt, sublata dein carne, pellem rursus ossibus inducunt, sufflant eam, referciunt atque consuunt, consutam sic in cameris suis suspendunt. Imminente jam aëris mutatione, ad rostrum cumprimis attendunt avis hunc in modum aptatæ quò se vertat, quamlem enim in plagam spontaneo sertur motu, ex hac ventum sibi certo præsagiunt, indeque venturum exspectant: Et quoties cum pluviis magna imminet tempestas, rostrum ejus totum madere aut humectari asserunt, quamvis in hypocausto pendeat sicco, hôcque calefacto.

Secunda, cujus modo meminimus, & huc pertinet, *Insula*, vocatur *Röst*, distatque à Væroë tribus milliaribus, eâdemque cum prioribus utuntur conditione cives. Pecora ipsorum hyeme pariter tecta non intrant, hinc tonsura lanæ ovilis non nisi vere peragitur; pars istius pecudis feram quasi induit naturam, & sclopetis peti opus habet, partem canibus hæc ante edoctis sic venantur, ut quam digito monstravit herus bestiam, eam solam aggrediatur, captamque dein illæsam sistat hero; id quod & alibi Færöensibus & orcadibus Insulis commune est: Ad has oras etiam multi sæpius appellunt canes marini, capitibus albis distincti.

Altera summe Reverendi Dni. Episcopi Observatio conscripta erat *de Paradiso Röstensi*, quam non quidem ob ubertatem & bonitatem soli aut climatis, sed ob rerum ibi gestarum similitudines & joci causa Protoplastarum

noſtrorum Paradiſo æquiparare ſolebat; imprimis cum alii Viri docti, qui multa de hoc ejusque vero ſitu commentati ſunt, aliis adſcribant terris, ille verò Boreaſibus hunc tribuat honorem & quidem Röſt Inſulæ, quod ſcil. ipſa habeatur quoque Paradiſus; ſive apud L. B. fidem fabula accipiat, ſive ut hiſtoriæ credatur illud quod *Megiſerus* refert de Veneto quodam magnis opibus prædito, qui ducentis abhinc annis non ſine multorum millium Ducatorum diſpendio viam ſibi ſub Poli Arctici circulo ad Indos Orientales ſternere voluerat, &, poſtquam Diabolorum prætervectus Inſulam, naufragium famemque magnam cum innumeris moleſtiis ac periculis perpeſſus, ad Röſt I. ſ. littora tandem appulerat cum paucissimarum ærumnarum ſuperſtitibus. Huic, dum hiemare in illa cogebatur, nudæ famulatu quotidie præſto erant fœminæ, quæ minime tamen in voluptates eum pellicere potuere: Eodem in libro multa notatu Digna occurrunt, tum quoad Arctoam ejus converſationem cum Epiſcopo *Aslaco Bolte* in Brönöen, quam quoad cœptum illic ipſius commercium in Magno-Hammeren, cujus nulla hodiedum alia ſuperſunt veſtigia, Præterquam ex incendio ruinæ; verùm dictum foeminarum famulatum ac hoſpitium quod attinet, ſi vera ſunt, quæ typis exſcribuntur, facile largirer, Röſt Inſularum hanc ſeptentrionalem eſſe Paradiſum.

Tertiò palam eſt, quod in Paradiſo olim primorum Parentum inventus fuerit ſerpens, idcirco placet nunc ficto huic Paradiſo relationem aliquam adjungere *de* ſtupendæ magnitudinis *Serpente marino*, à Norvegis Caars Trolden nomine inſignito, & bis mille orgyiarum longitudinem habente, quæ verè ita ſe habet, & haud ita pridem loci illius incolis, æque ac aliis in Nordlandia innotuit: Lofotenſes Accolæ anno hujus ſeculi primo, cum pro more viſitaret idem Vir venerabilis eccleſias Diœceſi ſuæ ſubjectas, narrabant ipſi, quod ante triennium nempe Ann. 1697. monſtrum ejusmodi marinum, tam ipſorum littora quàm aliorum verſus Veſt-fiorden, Lödingen & Sennten præterierit, ſeque aliquoties ſpectandum dederit. Quare penitius & curatius inquiſivit in vaſti hujus animantis locum, ubi revera apparuerit; quamvis à non paucis res habeatur ficta; non deſunt tamen oculati hujus rei teſtes plusquam viginti, imo centum idem uno ore aſſerentes qui præfatum ingens hoc monſtrum ſuis viderunt oculis per integras tres ſeptimanas quotidie circa Alt Vagen in Senien media æſtate, nocte eandem cum die habente lucem, ob ſolem nimirum t. t. Arcticis his locis inoccidium. Amplitudinem vel longitudinem ejus, prout fidiſſimi certiſſimique de hac teſtimonium perhibent incolæ ſeſe ab Ervig flumine ad Kirche vaagnäß prope Altvaagen uſque extendiſſe. Caput ſerpentis

pentis istius horrebat squamis arrectis atque algâ coronæ instar aut serti pugno majoris; frons ex albo & nigro simul colore variegatus cernebatnr; vertici interdum insidebant aves, & caput mediocris areæ aut insulæ minoris capacitatem fere æquiparabat, figuram tamen serpentis versus oris extremitatem retinebat cuspidatùm; corpus reliquum à capite ad caudam inferiora versus amplitudine sensim sensimque decrescebat, eratque quasi sinuosum, ita quidem, ut in retis modum nodus vel flexura una Orgyiæ spatio ab altera distaret: Sub hac incurvi tergi contractione præternavigantium Cymbæ aut navigia subverti sæpe dicuntur.

Vix momentum aliquod sub undis occultarat se, ubi postea aërem ex serto super aquas capite magno hauserat nisu, id quod adstantes etiam in littore percipere potuere, illaque respiratione, quater vel quater redintegrabat, caput ejus magis tumere videbatur, & supra aquas tamdiu ferebatur. Serpentis hujus monstrosi præsentia non levem apud accolas excitarat molestiam atque terrorem piscatui simul Salmonum aliorumque piscium nectens moram; quapropter audaculus quidam, nec infimæ sortis vir ter ipsum sclopeto aggrediebatur, qualibet vicibus eum feriendo globulis, vix 4. orgyiis inde distans, & licet quàm optime partem illam superiorem oculi (qui cœsii erat coloris, orbis ligne magnitudine) percusserit, penetrare tamen non potuere, sed obiter tantum; hinc ut à petra repercussi ceciderunt globuli, anhelabat quidem quodammodo, sed nec quicquam inde movebatur, donec tandem castorei particula naribus objectâ, discessit, non amplius posthæc visus, qui interea tam templa adeuntes à sacris consuetis, quam victum in aquis quæritantes à piscatu abstrruit. Aliqui eundem more aliarum balænarum & marinarum belluarum lanceis jaculis & hamis petere volentes, sed rationem noxii illius habentes veneni, quod communiter illis inesse solet, ac piscatui maximum afferens damnum, quemadmodum aliorum antea didicerunt exemplis insectatione ista abstinuêre manus. Abiturus jam serpens caudam duplo vel triplo altiorem malo exporrexit, hacque dein sæpius percussit mare, unde tam irrequietum brevi tumultuosumque evasit tempore, ut, quæ tum in altum provectæ naves littus denuo legere cogerentur, & sic Valedixit.

Coronidis loco occasione hujus serpentis non abs re fore arbitramur, si paucis saltim meminerimus de duobus albicantibus serpentibus, ante hos quatuordecim annos Kiel-sundet tranantibus, qui adeo infecerunt & turbarunt aquas,

aquas, ut pisces diutius inibi vivere haud potuerint, sed innumeri postea mortui reperti ac penitus corrupti fuerint deprehensi.

Atque hæc sunt, quæ de Mosköe fluxu mirabili ceterorumque in vicinis Insulis observabilium curiositate, prout accepimus à Viris omni exceptione majoribus, laudatissimo scil. Nidrosiensium Episcopo, *Dn. Petro Krogb*, & Pastore quondam illius loci, Dn. *Michaële Biornsen* brevi commentariolo illustravimus, quæque in suum ordinem ac classes redegimus, inque eum vulgata [illegible]nem esse voluimus, ut communi simul exterorum inservirent & utilitati, & publico cumprimis inclutæ hujus Academiæ, cui diu hæc [illegible]stra destinavimus commodo ac incremento.



EPI-

EPISTOLA
D. JOHANNIS BAPTISTÆ SCARAMUCCII.
ad
ILLUSTRISSIMUM DOMINUM
ANTONIUM MAGLIABECHIUM
de
HYDROPHOBIA
ex vehementi indignatione oborta,
Ann. 1702. Maceratæ impressa & nunc ex lingua Italica in Latinam versa.

Illustrissime Domine.

NE importunus essem, aliquot per menses Dominationem Vestram literis venerari intermisi, idque eo magis, cum Eandem, cui literarium cum omnibus in Europa Literatis est commercium, qui virtutem Ejus colentes, præclaros labores suos Ipsi offerre solent, inutilibus meis literis inquietare non deceat, utpote quæ nihil aliud singulare, quam obsequii mei devotum argumentum exhiberent. Concedat tamen, ut Casum eo rariorem communicem, quo dignior est, doctorum Virorum considerationem qui subeat, quorum cum Ipsa sit Idea, eoipso omnibus in philosophia & Medicina Literatis eandem me communicare arbitror.

Juvenis 27. annorum, temperamenti calidi & sicci, in Monte Georgio, urbe quinque horis abhinc distante, in principio anni currentis 1702. ex causis quibusdam domesticis tantopere excanduit, ut etiam digitum indicem mordendo

dendo læderet; id quod cum circa horam 21. contigerit, adeo iratsci is perrexit, ut subsequente nocte circa octavam horam copioso vomitu bilis porraceæ, & mane horrore cum subsequa aliqua incalescentia, brevi tamen durante corriperetur. Versus horam 16. aquas omnemque alium liquorem, nec non corpora lucida & candida abhorrere incepit, ita ut etiam ad aquæ mentionem strangulari videretur. Hora 23. maniacus & plane furibundus fiebat, ut quoque in adstantium faciem exspueret, atque à pluribus personis difficulter cohiberi ac teneri posset. Extracto autem ex brachio sanguine quietior fieri incipiebat. Sed superveniente vomitu materiæ æruginosæ & postea bilis sinceræ, loquelam & vitam amisit, postquam aliquot brodii cochlearia cum pauco julepo perlato paulo prius absorbuisset.

Potissimum quæri hic potest, an memoratus adfectus hydrophobia nominari debeat, cum morsum alicujus animalis rabidi non præcessisse certissime constet. Ego quidem talem adpellarem; præsertim cum ad malum uterinum in masculino hoc subjecto recurrere non deceat; prout anno præterito M. Februario contigisse recordor, dum quædam ancilla 60. annorum circiter, vidua, à febre cum intensissima siti fuit prehensa, cui ubi liquida, alioquin desiderata, offerebantur, tremere & concuti incepit, cum terrore ac faucium angustia, in quibus per morbi decursum aliqui tremores cum molesto frigore notabantur, dum continuæ convulsiones recta linea ex abdomine versus fauces procedentes, & convulsivæ digitorum in manu distorsiones accedebant usque dum die quarto delirium supervenisset, quod usque ad prandium diei sequentis duravit, ubi aliquid aquæ, juxta domesticorum relationem, quamvis cum renitentia quadam & tremore haurire incepit, sed vesperi diei sequentis inter placidos discursus obiit. Omne id passioni hystericæ fuit adscriptum, licet domestici eam in prægressa æstate à parva canicula, dum osticulum in faucibus hærens ei eximebat, fuisse commorsam confiterentur. Rationes cujusdam Medici consanguinitate domesticis juncti, quibus aquæ aversionem morbi uterini symptoma esse probabat, primo ex hoc desumebantur, quod patrona ædium à canicula sine ullo damno, post servam demum, etiam fuerit demorsa; secundo quod faucium angustia convulsiva per rectam lineam ex abdomine effectus esset hystericus; tertio quod Mercatus in quadam hysterica, uti etiam Riverius recenset, aquæ aversionem observaverit; quarto quod ægrota aliquid aquæ hauserit, id quod hydrophobiam excludat. Ego vero reposui, quod necessario hydrophobia fuerit, siquidem Aetius de eadem differens scribit: *Contingit ipsis gravis perturbatio, quum aquam, vel aliud corpus perlucidum vident: quapropter ipsam aufugiunt, & aversantur.* Patronam post servam sine noxa fuisse commorsam, nil convincere, cum pro morsus contagio communi-

municando neceſſe ſit ut ſanguini jungatur, Inſuper, uti inferius dicemus, non omnes homines venenum rabioſum contrahunt. Subjunxi, anguſtiam faucium cum contractura recta linea ex abdomine prodeunte, à veneno rabioſo provenire, quod Spiritus animales offendendo ſpasmos producat. Circa Mercati obſervationem, à Riverio adductam, dixi, ad hydrophobiam ingenitam referri poſſe, dum Riverius *ex certa maliguitatis ſpecie* id proceſſiſſe ſcripſit; uti & Galenus habet, *abſurdum noneſſe, ut talis in corpore paulatim ſit genitus humor, qualis eſt rabidorum.* Idque eo magis cum, uti infra dicemus; Zacutus abhorreſcentiam aquæ ad ſolum ſymptoma veneni hydrophobici, tantum accidens referat. Et tandem dum horror aquæ à turbata phantaſia oritur hanc variando ideas, delirium etiam variare, & conſequenter variata animæ modificatione, ad unam formalitatem ab antecedente differentem determinare poſſe. Inſuper dantur autores clariſſimi, qui hydrophobos bibere poſſe adſerunt, ceu teſtimonia infra adducemus, In noſtro Caſu ad malum uterinum recurtendi cauſam nullam habemus. Unde morbum eſſe hydrophobiam ut demonſtrem, circumſtantias examinare neceſſe eſt.

Ridicula eſſet quæſtio, an homo hydrophobus fieri queat, cum continuas experientias deſuper habeamus. Et quamvis Ariſtotelis textus proſtet, qui in hiſtoria animalium dicit: *facit rabies furorem, & quæ momorderint omnia rabiunt excepto homine; intereunt canes hoc morbo, & quæ morſa ſunt, excepto homine*; nihilominus inter multos qui textum hunc interpretantur, Fracaſtorius verum ſenſum exponit dicens: *animalium verò quæ momorderint omnia rabiunt, & moriuntur præter hominem, quod idcirco fit, quia animalia propter feritatem in qua cum cane conveniunt concepta contage neceſſario rabiunt propter analogiam. Hominis autem natura longe aliena eſt ab ea feritate, & convenientia, propter quod nec analogiam promptam habet ad ſuſcipiendum. Unde fit, ut non omnes qui demorſi ſint rabiant, ſed multi beneficio temperaturæ ex ſe aut non contrahunt contagium aut ſuperant.*

Neque diſquiram, an alia animalia præter canem ex ſeipſis rabioſa fieri queant, absque eo ut contagium à canibus acceperint; cum ſi Galenus, cui Fracaſtorius conſentit, ſoli cani competere dicit, ut rabiem ſine contagio contrahat, Ariſtoteles contra, camelos rabioſos fieri poſſe adſerat. Avenzoar quem Zacutus allegat, leones, canes, equos, malos, aſinos rabiem pati poſſe adfirmat; & Avicenna vulpem, muſtelam, mulos in rabiem agi monet; quibus Velaſcus de Taranta lupum adjungit. Dn. D. Nicolini, vir de medica bene meritus, dum in vicinia Viterbi degebat, caſum in loco non longe abhinc diſſito accidiſſe mihi ſcripſit, quod cum duo galli invicem ad criſtarum uſque cruen-

tationem excanduissent, patrona eos separare volens supervenerit, unumque manu arripuerit, qui vero rostro brachium ejus, quod Seminudum erat, ad Sanguinis usque stillicidium læserit, unde hydrophoba facta, paulo post mortua fuerit.

Major difficultas est, an homo sine contagio in hydrophobiam labi queat? Noster casus adfirmativam comprobat, quod ipsum etiam Eustachius Rudius, & Petr. Salius confirmant; Cœlius Aurelianus, ab Aromatario citatus, ubi de hydrophobia disserit, *Est propterea*, ait, *possibile sine manifesta causa hanc passionem corporibus innasci.* Idem Aromatarius feminam se vidisse recenset hydrophobam sine contagii suspicione, & Soranus infantem vidit, qui ubera matris expaveſcebat. Nemo non scit, morsum humanum homini ex ira infligtum si qui mordet jejunus fuerit, tantopere infestum esse, ut non tantum Avicenna propterea curam ejus proposuerit, sed ego etiam aurigam, qui inter litigandum ab alio auriga dentibus læsus fuerat, per annum sanari non potuisse, vidi, etiamsi ipsi osticulum ex pollice læso fuerit exemtum. Quod etiam vehemens indignatio in temperamentum bilioſum cadens, plures personas occiderit, res tam nota est, ut exempla proferre superfluum foret. Sufficiat id notare, quod Plutarchus dicit: Cyrum & Pelopidam Thebanum ira peremit, priusquam se vindicare potuerint. Cur itaque dici nequeat, hydrophobiæ originem in casu nostro ab ira deducendam esse?

Si ira soli homini propria est (Seneca dicit, *feras ira carere, & omnia præter hominem. Nam cum sit inimica rationi, nunquam nascitur, nisi ubi rationis locus est,*) & ira juxta eundem Senecam *brevis insania* est, aut secundum Plutarchum, *comes insaniæ*, quis hydrophobiam, quæ ex Rufi sententia *genus insaniæ* est, ab ira ortum suum non posse habere negare queat?

Hoc supposito, in casu nostro ita ratiocinor: si homo, uti Niphus ait, *irascitur anima & corde: anima tanquam primo motore dijudicante rem dignam ira, corde tanquam parte primo mota*: quis nescit, ex vehementi animæ motu, cui vehemens cordis motus respondet, ubi non solum spiritus animales in motum irregularem concitantur in complexu propagationis nervorum paris vagi, intercostalis & recurrentium, sed etiam tota fluidorum massa (Seneca dicit: *mobilis agitatusque est sanguis in iratis*) bilem facile in motum concitari adeo, ut ad summam exaltationem suorum salium fixorum & volatilium perveniens, accedentibus partibus melancholicis, venenum hydrophicum constituat, quod sibi ipsi per morsum communicatum, non solum ad fermentationem, i. e. motum paucarum horarum Spatio ob copiam & activitatem perduci potuit, sed etiam per nervos cerebro communicatum, species ita alteraverit,

alteraverit, ut modificatione animæ variante, phantasia etiam alterata fuerit, dum metum & terrorem à corporibus lucidis & aquis, quin & ex solo harum nomine concepit, quod utpote inseparabile veneni hydrophobici signum esse solet, dum autem hac ratione spiritus animales majorem alterationem, & postea oppressionem subeunt, primo inde furor maniacus & postea mors sequi potuit; Vomitum quoque bilis porraceæ & postea sinceræ inverso fibrarum stomachi & intestinorum motui ex spasmodicis nervorum commotionibus attribuere licet.

Si quæratur: qualis genuina sedes & subjectum veneni hydrophobici existat? dicerem, quod, si per contagium communicetur, partem commorsam esse credendum sit, prius nempe, quam effectus inde se manifestent, uti Aurelianus loquitur. Bini casus hanc hypotesin confirmare possunt: Assisii in quadam femina hydrophoba effectus veneni rabiosi cum singultu se primo manifestarunt, dum à vulnere jam occluso quasi radium aliquem cum inflammatorio sensu per brachium versus pectus moveri sensit; & hîc Maceratæ ante paucos annos accidit, ut tres homines à cane rabioso fuerint demorsi, quorum duo mortui sunt, unus autem, cujus vulneri ignis sive cauterium fuit adplicatum, quatuor circiter annos vixit, cui vulnus ab igne factum occludi nunquam potuit, ex quo per illud tempus, quod morsum excepit, omni anno multum sanguinis exivit, usque dum in tibia, ubi vulnus contigit, vena dissecta fuit. Ex uno & altero casu cognoscitur, quod sedes veneni, antequam se manifestavit, pars à dentibus læsa fuerit.

De motu postea, quem venenum à parte offensum habuit, in cerebrum pertingere, credere debemus, eoque magis, quia Gajus Herophili discipulus docuit, *cerebrum & ejus membranas primario adfici*, & Democritus *esse incendium nervorum* subjunxit. Delira insuper, furor, motus convulsivi, faucium strangulatio, cerebrum & nervos esse offensos, demonstrant.

Si autem venenum hoc ut ingenitum consideremus, in sanguine id generari, & postea cerebro communicari, dicendum est.

In casu nostro in sanguine generatum atque per morsum ad modum contagii sibi ipsi fuisse communicatum, consequenter ad cerebrum pervenisse, dicere licet. Unde credere necesse est, quod veneni hydrophobici sollicitudo se manifestandi, nec non mors accelerata ab ejusdem veneni retrocessione contigerit. Ast si moveretur dubium; an æger mortuus fuisset, si digito morsus non contigisset, adfirmando responderem, quia, cum morsus eo modo evenerit, per quem venenum sibi ipsi communicatum iterum fuit, venenum jam antea fuit productum. Unde canem rabiosum moti videmus, absque eo ut venenum sibi aut aliis communicet.

Singulare est, quod omnes hydropobi eandem symptomatum formalitatem non habeant, dum tamen omnes timorem & terrorem ab aqua, corporibus lucidis, & ipso fluidorum nomine patiuntur.

Non displiceat, Domine Magliabechi, quod in horum fidem aliquot casus à me observatos describere præsumam. Todi juvenem vidi, qui se ex Nosocomio Romano della consolatione, ubi ob morsum canis rabidi, quem in Roncilione passus fuit, curam subierat, in monasterium P. Franciscanorum, tyrocinii Ordinis faciendi causa contulerat. Ubi hydrophobia se exseruit, mordere cum latratu conabatur, multam spumam emittebat, & gulam cum pectore sævum erysipelas letaliter inflammabat. Assisii juvenculam à fele commorsam observavi, quæ sine febre, de nullo alio malo quam faucium angustia conquerebatur, cum perpetuo ptyalismo, & postquam nihil bibere aut edere voluit, octo dierum spatio obiit: hanc ultimis horis vocatus, sedentem, sine pulsu inveni; post mortem dissecta nullam in visceribus labem exhibuit; sed cum à veneno rabioso ex morsu felis mortuam esse postea demum innotuerit, caput non fuit apertum. Alia femina quæ itidem morsum felis passa erat, per aquæ aversionem hydrophobiam patefecerat; hæc sine febre, delirio, cibum tamen admisit, solum vero singultum & faucium angustiam usque ad mortem perpessa fuit. Alius vir hydrophobus extinctus est, qui à morsu canis rabiosi parva febri fuit adfectus, quæ tamen recessit, & is cum obmutescentia cibum & potum fugiebat, sicque taciturnus in aliam vitam migrabat. Alius puer à cane rabido læsus non aliud fecit, quam stridere, & modo horrendo aquam ob sitim porrectam exhorrescens vita excessit. Hi casus intra paucas septimanas Assisii contigerunt; & sic mihi persuasi, quod febres, deliria, latratus, spuma non semper in omni hydrophobo observentur, cum interim in omnibus timor & aversio fluidorum deprehendatur; cæterum cum aliis Doctoribus ridiculum esse existimavi, si dicatur, quod hydrophobi aquam aversentur, quia expavescant dum in ea aut canes aut propriam personam conspiciunt. Arbitror autem magis probabilem esse Fracastorii opinionem, qui dicit: *In rabie potest contingere, ut phantasia fiat quædam liquidi eos extinguentis, unde formido fit quoties aut vident, aut audiunt offerri aquam*; & Aromatarius: *Timor aquæ absque ratione genitus ad mentem læsam, non ad iram est referendus.*

Interim nitebar, si non per demonstrationem, saltem per probabilitatem cognoscere, cur venenum hydrophobicum mentem, cui timorem impressit, in omnibus his ægris ad aquæ metum determinet?

Prius quam ideam conceptam efformem ne dedigneris, Dn. Magliabechi, patienter ferre reflexiones ad aliquas considerationes, quas præmitto.

Prima

Prima est, quod species non solum animæ repræsentent res, quarum sunt species, sed etiam modum rerum ipsarum, i. e. figuram, situm, magnitudinem, locum, motum, quietem, relationem, uti dicit Fracastorius; & prout specie alicujus rei gratæ recepta, dilatatio fit & animæ, & fibrarum cerebri, ita specie rei cujusdam ingratæ & incongruæ recepta, contractio animæ & fibrarum cerebri succedit; unde evenit, ut propter spirituum confusionem & mutatam fibrarum cerebri modificationem ideæ confundantur & aptæ reddantur ad præsentanda animæ objecta terribilia, & consequenter diversa ab illis, quæ revera sunt, uti in maniacis & aliis similibus accidentibus observamus. Religiosum novi, qui talem aversionem á visis vespertilionibus habebat, ut in furiosum timorem commotus occidisset eum qui tales cameram ipsius adportasset, & non mox celeriter aufugisset; atque se in tali facto adeo extra se rapi adserebat, ut etiam iram effudisset in eum, qui licet multæ autoritatis foret, jocum feciſſet ac præsens fuisset. Id quidem non potest intelligi, nisi quod, dum animo Religiosi idea animalis repræsentabatur, quæ cum horribili specie modificabat, illa ipsa anima talem terrorem conciperet cum mali imminentis conceptione, ut motus reconcentrativus spirituum fieret, & reliquæ etiam species turbarentur, cum reflexione vindictæ ipsam etiam ad odium modificante, unde anxia reddita tum à terrore, tum ira, cum terrore timido & ira operabatur.

Altera consideratio est, quod inter venenum hydrophobum & aquam talis contrarietas occurrat, ut per eam aliqui hydrophobi aut convaluerint, aut utplurimum interemti fuerint. Si inter convalescentes aliqui numerentur, id fieri potuit, quod aqua venenum rabiosum extinxerit; si utplurimum moriuntur, credi potest, id ab oppressione spirituum accidere, qui per metum cum impetu revocantur.

Tertia est, quod venenum hoc tanquam cerebro & nervis inimicum, & consequenter succum nerveum ac Spiritus animales alterans, considerare debeamus, qualiter effectus demonstrant. Quis negare valet, multas res venenosas dari, magis uni quam alteri parti corporis nostri nocivas? Cantharides id confirmant; hæ vesicam exulcerando offendunt; idque succedit, quia particulæ cantharidum, serum dum subeunt ob analogiam ejus sale lixivioso prægnantis, in toto fluidorum complexu ab eorum oleaginositate retusæ non operari queunt ad corrosionem tam facile inducendam, uti in vesica, in

qua

qua operantur, quia istæ particulæ Arsenicales cum sale urinæ lixiviali se uniantes in libertatem vindicantur. Dantur viperæ, quæ morsu suo icterum inducunt. Serpens qui Dipsas vocatur, risum inducit, & serpens hæmorrhois sudorem sanguineum causatur, si hominem læserint. Unde venenum etiam hydrophobicum magis cerebrum quam alias partes offendere potest.

Factis his considerationibus, sic differo: Venenum rabiosum quia in semine venenoso naturæ non minus viscidæ quam melancholicæ consistit, (viscositatem probante Fracastorio, dum scribit: *Quoniam igitur fomite non concipitur hæc contagio, nec in cute fit per contactum simplicem, sed dilaceratione cutis indiget, existimandum est, semina illius non admodum lenta esse, atque ea crassiore fortassa, quam in foraminibus condi possit*; melancholicam vero naturam: *Videtur ad melancholiam contagionem magis esse analogam, quia videmus rabiosos demum etiam furentes fieri, quemadmodum etiam melancholicos,*) necessario per illud Spiritus animales cum succo nerveo confunduntur, & tetri ac opaci fiunt, unde ideæ naturales in confusas & turbulentas mutatæ non solum animam ad confusam operationem, quare in intellectualibus, imaginativis & sensitivis actionibus alterata conspicitur, modificant, sed etiam novas ideas aquæ & aliorum corporum lucidorum per modum sensationis in videndo, aut imaginationis in nominando ea, producunt, quæ dum animæ tanquam lucida & diaphana præsentantur, eidem à præcedentibus ideis turbulentis & opacis jam modificatæ, graves, molestæ & contrariæ adeo evadunt, ut eorum adparentiam perferre haud valens, timida reddatur cum horrore, tum conspectu aquæ & corporum lucidorum, tum nominis harum rerum, prout nos lucem meridianam perferre nequimus, ubi per longum temporis spatium in tenebris detenti fuimus, vel prout perterriti redderemur, si amœnitate floridi prati gaudentibus vipera ad pedes nostras conspiciendam se daret. Recordatio etiam præcipitii nobis horrorem incutit. Interim dum in statu timoroso Spiritus animales alioquin confusi & turbati ab anima revocantur, fibræ cerebri ad contractionem coguntur, cum consensu propaginum nervearum ita, ut cum animæ terrore subsequantur tremores, horrores, suffocationes, inquietudines irregulares totius corporis, usque dum mente tota extra se posita, & cessante aquæ timore, delirium maniacum, & cum spirituum à veneno hydrophobo extinctione mors subsequatur.

Si

Si porrò quæratur : cur ſymptomata adeò in hydrophobis ſint diverſa, quamvis omnia cerebri & nervorum læſionem innuant, dum in omnibus aquæ timor exiſtit ? reſpondeo, timorem eſſe operationem mentis à confuſis ideis alteratam per ſpirituum animalium & ſucci nervei melancholicam alterationem, quam venenum hydrophobicum in omnibus æque inducit, ſecundumque majorem vel minorem activitatem, majorem minoremve copiam, & majorem minoremque reſiſtentiam ſpirituum animalium & ſucci nervei, celerius tardiusve ad motum promovetur, & efficacior vel remiſſior in operando redditur.

Quod vero ægroti in furore maniaco, ſi is ſuperveniat, non amplius abhorreant, & aliquando eam bibant, hydrophobia propterea non excludenda eſt, quia omne id ab inducta mutatione ſpecies procedit ; quam in rem inter recentiores legimus, Theodorum Zwingerum in Ephem. Naturæ Curioſ. *Revera potulenta Hydrophobi deglutire aut non valent, aut non niſi maximo cum labore poſſunt.* Martinus Liſter in ſuis de hydrophobia exercitationibus diſſerens, dicit : *Multi denique etiam bibentes raptu affecti ſunt graviori, & convulſi ex frigida interficiuntur* ſubjungens : *ſtrangulatio quandoque & mors ex ſorbitione aquæ accidere valet.* Et inter antiquos Aëtius de quodam Philoſopho hydrophobo ſcribit : *ſanatus eſt ab affectione, ubi citra timorem bibiſſet* ; & Avicenna de hydrophobo agens : *quandoque deſiderat aquam, deinde proclamat ex ea cum obviat ei, & quandoque ſorbet ex ea, quare ſtrangulatur per eam, & moritur.*

Duo adhuc mihi conſideranda ſunt : unum, an averſio aquæ ſit inſeparabile hydrophobiæ ſignum, ita ut ipſi ſemper & ſoli competat? alterum, utrum cutis læſio, ita ut ſanguis exeat, requiratur, ubi hydrophobia per contagium communicatur?

Circa primum dicerem, averſionem aquæ ſignum eſſe inſeparabile in hydrophobia, quia dum venenum rabioſum in homine conſideratur, non vocatur *rabies*, quæ de cane rabioſo dicitur, uti Aromatarius adſtruit ; ſed *hydrophobia* adpellatur, quia averſio aquæ ibi occurrit ; vocatur, quando metus omnium fluidorum adeſt ; *phobodypſia* dicitur, quando metus adeſt à potu, cum magna tamen ſiti : Unde infallibiliter ſuppono, non poſſe dari venenum rabioſum, ingenitum vel communicatum, quod timorem aquæ non habeat conjunctum ; uti non poteſt fieri, ut in alio aliquo morbo averſio aquæ adſit, ut non ſimul character veneni ingeniti, ſimilis veneno

rabioso jungatur ; cujus naturæ esse potuit febris maligna , à Dn. D. Joh. Bapt. Nucarino, mihi descripta , quem veneror , & cujus virtuosa merita invidiam superant , credasque mihi , Dn. Magliabechi, mereri eum, quem diligas & æstimes. Is observavit febrem cum intensissima siti, (quæ utplurimum hydrophobiam comitatur, unde Celsus scribit : *miserrimum morbi genus in quo simul æger siti & aquæ metu cruciatur*,) vigiliis , delirio , convulsiva faucium molestia, anxiosa perturbatione dum aqua offerebatur ; quæ tamen per vomitum plus quam 50. lumbricorum & aliorum innumerabilium vermiculorum fuit curata. Quis itaque neget , vermes posse esse venenosos, uti Fernelius adfirmat ? Duodecies icterum à vermibus productum vidi , inter quos duo saltem filioli fuerant sanati , uti in morsu viperæ fieri solet ; cur itaque ab iis venenum hydrophobo analogum oriri nequeat ? Si ex multis , qui venenum rabiosum contrahere potuerunt , aliqui , uti supra cum Fracastorio dixi , illud superant , aut non contrahunt , posita etiam ejus conjunctura , jam cur aliquis , qui ingenitum illud incurrit , non superare queat ? maxime cum evacuatione aut lumbricorum aut alterius materiæ , quæ istius veneni rabioso analogo fomes existit. Dicerem itaque , adversionem aquæ esse accidens , quod omni & soli veneno rabioso competat , insuper semper veneno rabioso sive sit ingenitum , sive per contagium communicatum ; unde Zacutus cum de aversione aquæ in hydrophobia differit, ait : *quod symptoma illi proprium & inseparabile existit, quia nullum alium morbum sequi solet* : non contradicit hisce , quod interdum illa aquæ repugnantia cesset , quia omne procedere potest à majore confusione spirituum, qui dum majorem confusionem imaginum in phantasia inducunt , diversa animi modificatio fit , quæ ad aliam aliquam rem , quamvis confuse & alterate determinetur.

Circa alterum , utrum ad hydrophobiam per contagium communicandam cutis læsio requiratur ? Aromatarius dicit, posse id fieri tum per halitum è directo ab animali rabioso inspiratum , tum à carnibus animantis in rabiem jam adacti manducatis , aut si rabidorum spuma labia vel ulceratam partem contingat. Per halitum inferri posse confirmat Arcæus , & Fabricius Hildanus multos casus sine morsu communicati veneni rabiosi recensent. Fracastorius tamen monet , cutem ab animalis rabiosi dentibus debere lacerari, ut contagium communicetur. Fernelius quoque adserit : *non enim rabidi canis solus halitus contagione quempiam polluit* ; ac de spuma differens dicit:

dicit : *si in integram cutem incidat, nihil officit.* Ego tamen statuerem, quod secundum intentionem majorem minoremque veneni, secundum promtam magis minusve receptionem, & secundum majorem aut minorem cutis resistentiam venenum hoc per contagium communicari possit ; non deest qui dicat, quod cum unguibus quidam canis rabiosus venenum communicaverit. Referam in hujus rei fidem casum egregium & rarum, ubi cutis non fuit ulcerata, paucum tamen venenum fuit illatum, quamvis propterea occidere nequiverit : Presbyter quidam Assisii, frater juvenculæ ex hydrophobia ob morsum felis rabiosæ supra descriptum mortuæ, & ipse angustia faucium cum ptyalismo, & aliquo metu, sine tamen aquæ horrore laborare cepit, cum ab eodem fele esset impetitus, sola dentium impressione relicta, sine cutis laceratione ; curatus post quindecim dies in circa liber evasit à ptyalismo & faucium angustia, quod tamen symptoma sicut per multos annos eodem anni tempore, quo impetum felis sustinuit, rediit, ita semper tamen aversio quædam aquæ remansit, ut flumina transiens oculos clauderet, & jam ea non utitur, nisi pauca illa in Calice, non tamen sine aliqua aversione. Pauperes Patres Discalceati Reformati in Todi, meo tempore carnem porci à cane rabioso demorsi, à quodam rustico pro aliquibus missis celebrandis, sine casus relatione, oblatam, comederunt, & tamen nullum ipsis damnum attulit, fortasse quod venenum non fuerit manifestatum, & ignis etiam res mutare possit.

Ubi venenum manifestatum est, remedio non est locus, unde etiàm Baldus sua Digesta cum veneno rabioso digerere debet ; & si quis per balnea illud superavit, pro casu raro & insolito habendum est. Antequam manifestetur, remedia ab omnibus authoribus proponuntur. Scias tamen, Illustrissimum Dn. Baronem Boccacium, Equitem Fanensem pulverem singularissimum contra hoc venenum dispensasse, quem cantharidum esse posse, ex visu colligitur, quæ etiam ab Avicenna proponuntur.

Hæc eo confidentius, Dn. Magliabechi, recensui, cum humanitas tua mihi sit perspecta, qua jam à 24. annis, in quibus servire tibi studeo, debilitates meas sustinere dignatus es.

Interim ne mireris, Dn. Antoni, quod hucusque tractatum meum de febribus nondum videris, cujus mentionem feci, cum Urbini, ubi eum composui, degerem ; siquidem practicæ occupationes me impediverunt. Amici editionem ejus urgent, ego vero eun-

dem correctiorem reddere cogito, & inveſtigare qui me adjuvare ſaveat, cum mihi ob mulas rationes illud ſit impoſſibile; præcipua eſt, quod Nobilibus aliquod febrium ſyſtema dare velim, maxime illis, qui aliquod judicium ſibi arrogantes, libertatem in cenſendis Medicis ſibi ſumunt. Quales (de ignorantibus non loquor, *quia latrant ad Lunam*,) ad eruditum librum periti & celebris viri, Dn. D. Antonii Franciſci Bertini- Florentini: *La difeſa della medicina dall' oppoſitione dè Dotti, e dalla cenſura del Volgo*, remittere deberem, ſed quia ipſis pro aliqua propriæ familiæ, dum ruri ſubſiſtunt, cura inſerviet, ubi animadvertent, ſimplicia & naturalia medicamenta naturæ, quæ in omnibus rebus *gaudet ſimplicibus*, magis eſſe congrua, certioresque fient, quod fundamenta mechanica, quæ Doctiores ſequuntur, probabiliora ſint (quia per demonſtrationes procedere non poſſumus,) ad inſiſtendum non ſolum doctrinæ Hippocratis, ſed etiam ideam faciendam, quæ veritati magis conſona adpareat; ad quam ſi reſpicerent aliqui naſuti cujusdam ſublimis metropolitanæ urbis terminos non nauſearent *particularum* & *molecularum* ab ipſis non intellectos, dum cerebello ſuo eas forſan metiuntur, & qui ob magnitudinem ac Magnificentiam loci, ubi morantur, ampulloſi atque ſagaces fiunt ad leges medicas mundo promulgandas. Tales Ariſtotelis Topica inſpiciant, & in libro 6. ubi de compoſitione partium diſſerit, invenient: *quædam ſic ſe habent ad invicem, ut nihil eis unum quippiam fiat.* An continuum ſine idea minimarum particularum concedi poteſt? Videant eundem Ariſtotelem in 6. phyſicor. dicentem: *ejusdem autem rationis eſt magnitudinem, & tempus, & motum ex indiviſibilibus componi, & dividi in diviſibilia.* Obſervent paululum Fracaſtorium, lumen in bene philoſophando egregium, qui de morbis contagioſis differens ſcribit: *Videtur contagio conſimilis, quædam infectio ſecundum ſubſtantiam, ſed tum magis, quum in particulis minimis, & inſenſibilibus quædam infectio fit;* & porro: *dicemus contagionem eſſe conſimilem, quandam miſti ſecundum ſubſtantiam, corruptionem, de uno in aliud tranſeuntem infectione, in particulis inſenſibilibus primo facta.* Quærant alteram Medicorum ideam Fernelium de abdit. morbor. cauſ. & reperient: *ex apta enim, & concinna partium ſimilarium poſitione, numero, figura, magnitudine partes illæ, quæ appellantur Organicæ conſurgunt.* Non itaque terribile eſt *particularum* nomen, quod ipſorum oculos obcœcare queat. Dum illic nominantur, non cogunt nos propterea, ut easdem prima eſſe principia credamus. Nec

Galeni

Galeni authoritatem obtrudere opus habent, quia in ingressu de usu part. dicit: *Quæcunque corpora, nec undequaque circumscriptionem habent propriam, nec undequaque conjuncta sunt aliis, hæc particulæ vocantur. Et si hoc verum est multæ erunt animalium particulæ aliæ quidem majores, aliæ minores, aliæ autem etiam omnino in aliam speciem indivisibiles.* Sanguis certe noster in minimas particulas vel globulos dividitur, ut motum per continuationem musculorum ex arteriis in venas obtineat. Si eorum stomachus particularum & molecularum terminos fastidiat, pro ipsis tractatum meum de febribus non scripturus sum; cujus frontispicium hoc est:

De Febribus
mechanicæ lucubrationes
Commoditati Virorum Nobilium ruri degentium
sine Medico, quorum sub manu medicamenta proponuntur.

Consequitur pro Medicis junioribus,
ideæ,
juxta leges mechanicas theoretico-practica,

De iis quæ vel critice, vel symptomatice cum eveniant in febribus,

casibus in Epidemiis ab Hippocrate descriptis confirmantur.

Præcedet utrumq; mechanica dissertatio de Fermentatione, hanc vero præfatio, qua manifestum fit, opiniones recentis Scholæ

à

priscis fuisse præmonstratas,

auctore I. B. S.

Hisce obsequiose me commendo, & glorior me semper esse

D.V. Illustriss.

Humilimum servum

Maceratæ de 14. Febr. 1702.

G. B. Scaramuccium.

MEMO-




SALOMO REISSEL·MED, DOCTOR
Sereniss, Ducis Würtenbergici Consiliarius &
Archiater, Acad, Cæsareo-Leopoldinæ Nat.
Curiosorum Collega.

MEMORIA REISELIANA.

MEMORIA

REISELIA-

NA.

MAgnum felicitatis gradum nos consecutos esse arbitramur, si ad voluntatem nostram omnia quandoq; fluunt, si Fortuna honoribus, divitiis, voluptatibus blanditur, sed erramus graviter,

Transit honor, transit fortuna, pecunia transit,
Fortuna nunquam sistit in eodem gradu,
Semper moveur, variat & mutat vices,

Vitrea est, quæ cum maximè splendet, frangitur, dum maximè blandicur, captatum venit, & subito terret maligno aspectu, quos celeri haud ita pridem gradu ad læta promovet; Rectius blandimenta ejus spernimus, & faventem gubernamus arte, consilio, prudentia; iratam, retundimus robore & invicto spernimus animo, rectissimè Deo Vias nostras commendantes & quæcunq; Fata, quæ Doctissimus Lipsius æterna ab æterno in æternum Dei Legem esse dixit, tranquillo & patienti ferentes animo, sic sapientes dominabimur astris, & quæcunq; nobis evenerint, superabimus feliciter. Forti sic Animo, prudenti Consilio, & christiana Patientia quamcunq; fatorum Vim risit, toleravit, superavit, Vir Magnificus, Præ-Nobilissimus atq; Excellentissimus Dominus SALOMO REISELIUS Dr. Sereniſſimi Ducis Würtenbergici Consiliarius & Archiater, Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Collega dignissimus, meritissimus, qui in prima statim & innocenti juventute sua, Fortunam jam habuit Novercam, felicissimo quidem partu, infelici tamen tempore in lucem editus,

Anno 1625. die $\frac{14}{24}$ Octobris, Parentibus ob insignem mortalium stragem, graſſante Peſte, fugam capeſſentibus in famoſis Sileſiæ Thermis Hirsbergenſibus, à Clariſs. Medico Martino Panſa publico Enconio celebratis; Patre, Viro Nobili ac Prudenti Domino, Davide Reiſelio, Civitatis Hirsbergenſis Senatore ac Mercatore nominatiſsimo, Matre, Maria Corneria, Virtutibus ſexum Muliebrem condecorantibus exornatiſsima, quibus maximè curæ erat, ut ſine mora Filiolum hunc ſuum Sacro Sancto Baptiſmatis fonte abluendum curarent, quod etiam factum, ſponſore ac teſte primario, Domino Salomone Opitio, Clariſsimi illius Martini Opitii Boleslavienſis Cognato, impoſito parvulo, Salomonis nomine. Senſit dulciſsimæ Matris adhuc ſugens ubera, crucis acerba primordia, una cum Parentibus ſuis ob Reformationem tunc ſuſceptam, Greiffenbergam in Exilium migrans. Vidit eheu! non ſine lachrymis An. 1634. die 9. Julij Puer novennis Chariſsimam Patriam ſuam una cum ſuburbiis Militum crudelitate, incendio fere deletam, quo Poly-Hiſtore illo Celeberrimo Martino Zeilero, Itiner. German. p. 633. teſte, hominum triginta ſex, pecudum bina millia, domuum ſexaginta tria, & horreorum quinquaginta ſex flammis conſumta, miſerè perierunt. Greiffenberga Hirsbergam ante triſtia hæc fata redux, ſub manuductione Danielis Wenckii Scholæ Rectoris, cujus memoriam jure ſervavit Reiſelius noſter, quod Jedidjam ſuum ſæpe nominaverit, & Filii inſtar amaverit, literas amare, ſed occluſo An. 1637. Schola Temploq; Uratiſlaviam cum Cœtaneis ſuis & fratre natu majore, (erat enim ſecundum natus) ad Matruelem Balthaſarem Cro-nerum Med. Doctorem & Practicum ibidem Celeberrimum miſſus, ejus Contubernio Medicinam amare didicit, inq; Gymnaſio Eliſabethano majore, Colero, Schulzio, Vechnero, Gebhardo, Schrô & Wagnero, Præceptoribus, literis humanioribus

nioribus asfuevit, Musicamq; didicit & exercuit, cum Æmulo suo & Conterraneo, Georgio Hofmanno, Secretario tandèm Consistorii Würtenbergensis, Sed cum Optimus Parens Mercaturam ut addisceret, suasisset, voluisset, nullo modo abstrahi â studiis potuit, tandemq; Amicorum precibus, ut continuaret, obtinuit, hac tamen lege, ut Patris Exulis impensis parceret, & pueros pro impetrando beneficio informaret, sicq; docendo disceret, quodstrenuè etiam fecit, & â Maximiliano Domigio, Mercatore inter primarios haud infimo, Hospitio exceptus, Filios latinitatem studiorumq; docuit fundamenta: Paternis tamen curis brevi orbatum se vidit, dum is Thorunis Borussiæ Emporio famigeratissimo,, quo mercium causa profectus erat, An. 1644. XVI. Novembris die, Jschuria contumaciſſima diem suum sexagenarius, obiit supremum, nihilominus An. 1645. feria secunda Paschatis studiorum prosequendorum causa, Danielem Fratrem studio Theologico strenuè incumbentem Argentoratum sequutus, Medicinam addiscendam constanter sibi elegit, sub Melchiore Patre & Johanne Alberto filio, Sebiziis, nec non Rudolpho Salzmanno, Medicinæ Professoribus Excellentissimis, Disputationemq; habuit A. 1646. de Facultatibus Medicamentorum. Chymiam etiam exercuit Manuductore Martino Kergero, Physico postea Lignicensi. Sed ne ob piæ Matris præmaturum obitum ac sumtuum necessariorum defectum desistere à studiis cogeretur, aliis .servire & informare liberos Miser coactus fuit, tamdiu, donec Basileæ An. 1652. die 23. Augusti tentatus 30. hujus Mensis examinatus, 6. Septembris inauguraliter ut vocant, pro summis Doctorum privilegiis & honoribus disputaverat de Valetudine, publice tamen creatus & renunciatus fuit Medicinæ Doctor A. 1657. die 21 Aprilis, â Dn. Doctore Johanne Jacobo le Brunn, Excellentiſ. Dn. Dr.

Johannis Caſpari Bauhini, Brabevtæ t. t. abſentis, vices gerente.

Sed meliora jam ſperare licebat fata, & feliciora appropinquare videbantur tempora, ſuperatis triſtibus; cum enim Dn. Friderico Kilburgero Præfecto Naſſovico Comite & Promotore mox Affine ſuo, Ottovillam Novembri Menſe conceſſerat, Praxin Medicam illic incepturus, vocatus fuit ab illuſtriſſimis Naſſoviæ Comitibus, Domino Johanne Ludovico, Domino Guſtavo Adolpho & Domino Wolrado, Fratribus, Medicus Aulicus, quare 1655. Menſe Martio Sarapontem ſe contulit, Præfectus ſimul Domini Comitis Johannis Ludovici filio Natu maximo, Ludovico Friderico, annuumq; âCœnobiis Tholey S. Benedicti & Wadgaſſen, Præmonſtratenſium Ordinis, nec non Cœnobio Sacrarum Virginum, Fraulautern dicto, accepit ſalarium. Cum verò ob Hiſpanorum Luxenburgenſium excurſiones militares minus tuta eſſet hæc ſedes, An. 1660. Februario Menſe Buxovillam abiit, ab Illuſtriſſimo Friderico Caſimiro Hanoviæ Comite, non modo ſoſtrum annuum accipiens, ſed & â Sereniſſimo Duce Comite Palatino Leopoldo in Lützelſtein, Comite Leiningenſi in Oberbrunn, & Rhein-gravio Johanne, multisq; in Vicinia habitantibus Nobilibus ad Conſilia Medica quæſitus, ex Voto ita vixit, ut Landaviæ & Colmaræ Poliatri officium oblatum, recuſaverit, donec beati Dn. D Wolfgangi Cranzii Conſiliarii Conſiſtorialis, Archiatri & Phyſici Hanovienſis, ab ipſo Domino Comite An. 1668. vocatus fuerit ſucceſſor digniſſimus, ubi terminum ſuarum ſedium, imo & ipſius etiam Vitæ ſtatuerat, ut Amicorum ſuaſu & conſilio tertium ſolicitatus, Wormatienſis Civitatis vocationem ſecutus ſit, eo facilius, cum Aula exiſe maluerit, quam invidorum & inimicorum diutius perrerre moleſtias, ut ut probe ſciverit, invidiam ſperandam

eſſe

esse bonis, metuendam malis, & verum esse Aristotelis effatum: Ignem exorientem plurimum fumum, gloriam vero exorientem, maximam excitare invidiam. Sed ægre ab Illustrissimo Domino Comite dimissus est, quod Donativæ Literæ salem annuum cum frumentis promittentes, valedicenti exhibitæ, testabantur sufficientissimè, & quidem An. 1674. Mense Aprilis, quamvis turbato à Gallis ipso Palatinatu, adfuit tamen & hic Manus tutelaris divina evidentissime, quæ Reiselium nostrum ex tot, tantisq; eripuit periculis, quæ Sarræpontem, Buxovillam, Ottovillam, loca ubi domicilium suum paucos ante annos habuit, tetigere; Licuit, hic quod quæsivit, honesto frui otio, ideoq; amicè invitatus Naturæ Curiosorum Academiæ, quæ Lemmatis loco sibi præfixit: Nunquam otiosus, Anno 1676. nomen suum dedit, accepto Amphionis cognomine: Oblatum etiam officium Medici Isenaci & Idstenii, quod tamen modeste deprecatus est. Sed cum infelici certe fato, fatis cederet, interq; musta funera numeraretur Celeberrimorum Stutgardiensium Mediorum triga videlicet, Breuningius, Cellarius, & Ulstadius, Sereniissimus Würtenbergensis Dux, Dominus Fridericus Carolus Administrator, supremusq; Tutor &c. &c. Reiselium legitime vocavit Consiliarium & Archiatrum Mense Junio Anno 1679. quam honorabilem certè spartam cum laude, & impetrata magna Serenissimi gratia, ad extremum vitæ suæ halitum exornavit.

Conjugium ejus quod concernit, Sapientissimi Israelitarum Regis Salomonis piæ Mulieris Elogium Proverbior 18. v. 22. probe perpendens Reiselius noster Salomo, elegit in matrimonium Virginem sibi similem, moribus simplicem & rectam, (sunt propria Beatissimi verba) Mariam Elisabetham, Dn. Friderici Richteri, Illustrissimorum Dominorum Rheingraviorum Quæstoris in Thronecken

cken Filiam, & ſponſalia celebravit Anno 1658. d. 25. Junij Nuptias verò 27. Aprilis, Ottovillæ in ædibus Affinis & Amici ſui ſingularis Dn. Kilhurgeri, ſuſcepitq; ex ea Filias duas, quarum primogenita Anna Margaretha mundum hunc intravit Anno 1659. d. 17. Auguſti & An. 1686. nupſit Dn. Johanni Friderico Reinöhlio, Pharmacopœo Stuttgardiano, peperitq; Liberos quinque & quidem, Anno 1688. Filiolum, primumq; Reiſelii Nepotem, ab Avo ſuo è S. S. Baptiſmatis fonte] ſuſceptum, dictum Johannes Salomo, ſed brevi huic mundo iterum valedicentem. A. 1689. alium ejuſdem nominis Filiolum. An. 1691. Filiam Neptim, Annam Johannam, 1692. Filium Chriſtophorum Fridericum, rurſusq; An. 1693. Filiolam Margaretam Charlotam, brevi tamen beatè defunctam.

Filia verò ſecundum nata Sibylla Maria, lucem hanc aſpexit An. 1663. quam duxit in matrimonium 1690. Vir Excellentiſſimus Dn. Johannes Jacobus Bachmannus, Ulmenſis, Med. Doctor, exq; ea, benedicente Deo nata fuit 1691. Filiola Anna Sibylla, quæ Aſthmate convulſivo ſuffocata, vivere iterum deſiit; quam ſequenti ſtatim An. 1692. ſecuta eſt Filiola ſecunda Johanna Magdalena. Sed ut vix ullum tantæ felicitatis reperitur conjugium, quod ſuas non patiatur manes, ubi triſtia non miſceantur lætis, & riſus non ſequantur haud raro lachrymæ, ſic rerum humanarum viciſſitudines, calamitates, miſerias, ſæpe ſæpius expertus eſt Reiſelius; cum enim Epidemia febris A. 1679. toti ferè Germaniæ erat infeſta, ipſe cum Conjuge charisſima, & Filiabus correptus fuit, qui brevi quidem convaluit, Filiæ vero non niſi poſt diuturnas conflictationes, Uxore poſt Quartanam, Maraſmo eheu! penitus conſumta, miſerias haſce mundanas cum Vita ſempiterna, gaudiisq; cœleſtibus 14. Decembris commutante. Cujus

memo-

memoriam ſuamq; ſimul, vivus ſibi erexit in Tumulo ΥΓΙΕΙΑC Titulo, quem ab Anno Chr. LVusq; meditatus eſt, Mortem certam expectans, ſanitatemq; veram in cœlis ſperans, corpore quieſcente, quam hic deſperavit in quotidiano agonizantium ſpectaculo, & Amicorum calamitatibus continuis. Funus Uxoris Anno 1681 unici ſequebatur Fratris Davidis, Paſtoris in Groſſaul Ducatus Wolavienſis pago; Quo ipſo anno ſecundum iniit Conjugium cum Anna Catharina Dn. Johannis Chriſtophori Reinöhlii, Senatoris & Pharmacopœi Stuggardienſis relicta Vidua, natu Menderlinia, olim jam Dn. Joh. Ludovico Medingero, Medicinæ D. & Phyſico Kirchheimenſi expertisſimo, juncta matrimonio. Anno 1682. in Veſpera D. Thomæ Milites Galli contra datam fidem Stuggardiam invaſerunt, cæſisq; aliquot civibus, funditus eam devaſtaſſent, flammiſque delevisſent, ut Manhemium, Wormatium, Oppenhemium, aliaq; Rheni loca triſti proh dolor! Exemplo ſuo teſtantur, ni per Exercitum Svevicum, veluti per Dei Angelos, fugati fuiſſent & impediti; hinc infinitas Deo T. O. M. Reiſelius perſolvit gratias, quod ab extremo hoc periculo, unà cum tota ſua Familia clementisſimè non tantum fuerit defenſus, ſed & â Wormatienſi excidio & exilio evidentiſſime extractus, cumq; Auguſto menſe hujus anni, An. 1692. ob Gallorum furias iterum metuendas cum familia Nortingam fugerit, ſalvus & incolumis ſervatus. Anno 1692. optimus eheu! Gener. Dn. Johannes Jacobus Bachmannus, Sereniſſimum Dominum Fridericum Carolum Ducem Würtenbergicum & Generalem Equitatus Cæſarei ſequutus Medicus Caſtrenſis, ultra Rhenum ad rudera Spirenſia, tormenti Gallici glande pede dextro læſus d. 27. Auguſti quarto â reſecto pede die, diem ſuum obiit ſupremum Heidelbergæ, ibiq; gratioſo Principis favore ſepultus fuit, prout in Themate

Genethliaco Ulmensium Æsculapius, Dn. D. Johannes Caspar Beutelius, illud præviderat.

Sed omnia patienti tulit animo Reiselius Christianus, probe sciens, Deo charissimum, flagello esse proximum, pietatem enim â Parentibus formatam, persecutione firmatam, cruce & calamitatibus probatam, & contra adversarios intrepide defensam, pro viribus excoluit Lectionibus, Meditationibus, Exemplo. Agnitis etiam per Conscientiæ examen, sæpius institutum, erroribus & peccatis suis, Deo & proximo se reconciliavit per Absolutionem & S. S. Cœnam, correctionem quantum pote vitæ proponens & studens. Quoad Mores, modestiam semper tam in vestitu quam vita amavit, ambitionem exosus, honestatem sensu & actu ostendit, unde pro symbolo electo, ubiq; simplex rectusq; esse & videri voluit, sine ostentatione omnibus placere neminemq; lædere studuit, odium verò, detrectationes, calumnias, invidiam, ab aliis sibi illatas, patientia sæpe delevit: Officio interim suo rite & conscientiose functum esse, querelæ & desideria Amicorum testantur eorum, á quibus decessit. Αὐταρκείαν etiam amavit eaq; maximè gavisus est, unde nec opes quæsivit per fas & nefas, nec honores ambivit, quamvis Archiatri & Consiliarii Ducalis nomen adeptus fuerit nec famam quæsivit per scripta publica, ut potius, licet summus Studiorum & Curiosarum Rerum haud mediocris fuerit Amator, semper tamen consideraverit multum esse quæ nescimus, textumq; funebrem sibi elegerit Verba Pauli Apostoli, I. Corinth. XIII. ℣. 9. & 10. Ne tamen unquam otiosus esset, nec Meditata sua omnia sepeliret, quin potius publico prodesset, Observationes suas rariores Academiæ Naturæ Curiosorum communicavit, Collega diligentissimus, ita ut singulos Ephemeridum Annos, â Primo, Decuriæ I. ad VIII. usq; Decuriæ III. (quod â memine Collegarum dici potest,) his ipsis, singulari etiam

Episto

Epistola, de quibusdam in arte Medica expolienda requisitis, Descriptione etiam Siphonis Würtenbergici, sive Siphonis inversi, cruribus æquialtis fluentis & refluentis hactenus inauditi, item hoc ipso Siphone Würtenbergico per majora Experimenta firmato, in vertice effluente, correcto & detecto, imo & Cogitatione de Thermometro correspondente, exornaverit &c. ut Descriptionem Thermarum Niderbronnensium taceam, nihil q; dicam de mutuo Literarum commercio, quod cum Viris Clarissimis & Collegis amicissimis Astone, Fehrio, Grævio, Halleio, Jenisio, Kirchero, Mauritio, Oldenburgio, Papino, Paullini, Scheffero, Schröckio, Sturmio, Volkamero, Volgnadio, Wedelio, Wurffbainio continuavit: medias tamen inter occupationes, semper Meditationibus Mortis indulsit, & quamvis â juventute integra gavisus fuerit sanitate, usq; ad annum 1679. quando Tertiana, vixq; effluxo anno Maligna Febre decubuit, Pedumq; doloribus quovis ferè triennio laboravit, nihilominus tamen æternitati se præparavit, & Mori adhuc didicit Vivus; hinc cygneam Cantilenam sibi ipsi elaboravit Germanicam, Vitæ Curriculum conscripsit, Funus ordinavit, Animam Deo commendavit, quotidie moriturus, Mortem tamen vix sensit, cum enim d. 20. Junii Anno 1702. in Urbe hinc inde obambulasset, atq; optime cœnasset, hora prima antelucana, Apoplexia fortitactus, subito extinctus est, Anno ætatis Septuagesimo Septimo.

Ita repentinam licet, opportunam tamen oppetiit Mortem senio & laboribus confectus Reiselius, damno certe Superstitum majori, quam suo; seceſſit enim ad veram quietem, ubi nullus morbus, nulla calamitas, nullus dolor illum amplius tangit, quin tanto jam fruitur gaudio, quod nemo nostrûm usurpavit oculis, hausit auribus,

con-

concepit mente, unicetamen omnes desideramus. Luget Academia Cæsareo-Leopoldina, indefesso suo Amphione orbata, lugent ægroti innumeri, qui salutem suam huic Æsculapio suo ejusq; dexteritati debuerunt, & si liceret, porro concrederent: Quibus tamen solatio esse poterit, quod non ereptus nobis aut extinctus prorsus sit Reiselius, sed spiret ac vivat in relictis bene multis præclari ingenii sui Monumentis, saluberrimisq; quibus tot hominum myriades Libitinæ faucibus eripuit, Consiliis. Istorum sane, ut & pietatis, candoris, prudentiæ, cæterarumq; Virtutum fama, quæ in Beato nostro eluxerunt, tantum Virum mori vetant; Lumen enim, quod Virtus vivaci flamma accendit, nunquam extinguitur!



ME-


NAT. 29. Nov. MDCXLI
DEN. 19. Apr. MDCCL
GEORG. ABRAHAM. MERCKLINUS. D. ADM. PR. MAG. TEUT. ORD. CONSIL. MED. REIP. NORIMB. PHYS. ORD. ACAD. LEOP. NAT. CVR. CHIRON, I.
Patre satur Medico, Medicus, Genitorq; Medentis
Collegæ, Nati, mors tibi præda cadit;
Sed niveus mentis Candor, Solertia, Virtus,
Non poterunt, Illô tum moriente, mori.
Æternæ Sanctiss. Parentis memor. p. Jo: Abrah: Mercklinus. D.
J. M. Krieger pinx.
E. Nunzer. f. et sc.

MEMORIA MERCKLI-NIANA.

NOn Nobis solum nati sumus, sed Homo Homini natus est, Homines enim, ut Romanæ eloquentiæ Princeps *Cicero, Lib. I. de Officiis*, rectè loquitur, Hominum causa generati sunt, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint: Sed, heu nos miseros! qui dum Lumen á nostro accendimus Lumine, proprium imminuitur, offuscatur, extingui-tur; dum Lampades curamus alienas, Oleum nobismet ipsis deficit: At, quid inde? Obligamur ad commune hoc servitium proprio Naturæ instinctu, quippe quæ ipsa abunde docet, qua ratione nos adversus Homines gerere debeamus. Obligamur Amore Proximi, si enim Matres erga Fœtus suos tanta afficiuntur charitate, multo magis nos oportet erga Proximum simili charitate affectos esse; nam, ut verbis utar *Rev. P. Soc. Jesu, Triverii*, nexus Spiritus calidiores sunt & vehementiores, quam Naturæ. Obligamur Officii ratione, imprimis, qui Saluti mortalium unicè intenti, nec Morbos nec Mortem reformidare debemus; ut enim iis maximum est in Prælio periculum, qui maxime timent, sic Medici minus animosi, Morbum Mortemque facile sibi accelerant, revalescentibus sæpe ægris; nec tamen timidissimos semper consequitur Mors, prout nec ii, qui Mortem contemnunt, effugiunt: cadunt in prælio & Duces & milites, intrat etiam Pharcopolarum tabernas Mors, pulsat fortissimi animi Medicorum ostia, ita, ut dum languidos corroborant, ipsi enerventur & langueſcant, deq; sanitate ac longævitate aliorum maxime solliciti, Valetudinarii, media moriantur ætate, & sic aliis inserviendo, consumantur.

Semetipsum hoc modo, aliis inserviendo, consumsit, de Languentium salute indefesso studio ultra Tricennium vigilantissimus, sed eheu! extrema tandem Tabe languidissimus, & emaciatissimus, fortissimi dum viveret animi Medicus, *Vir Præ-Nobilissimus, Experientissimus atq; Excellentissimus Dominus, Georgius Abrahamus Mercklinus, Medicinæ D. Reverendissimi & Serenissimi Principis Palatini, Supremi Teutonici Ordinis Magni Magistri, Consiliarius Medicus, Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ Naturæ Curiosorum Collega, & Illustris Reipubl. Norimbergensis Physicus ac Medicus Ordinarius*, qui aura vitali vesci cepit, in Libera Imperii Civitate Weisenburgensi Nordgojæ ad Regnetum fluvium sita, ex Balneis ferinis saluberrimis sat celebri; Patre, *Viro Præ-Nobilissimo Experientissimo ac Excellentissimo Dn. Georgio Abrahamo Mercklino, Med. D. t. t. Patriæ, mox Oppidi Hersbruccensis, hinc Reipubl. Norimb. Physico, Domusque Teutonicæ, quæ ibidem est, Medico ordinario Celebratissimo*; Matre, Nobilissima Virtutibusq; Sexum Muliebrem imprimis condecorantibus Exornatissima *Helena*, Viri Nobilissimi, Maximeq; Strenui Dn. Georgii *Hieronymi Schneideri*, Quæstoris Cæsarei Pragensis beate defuncti, legitimo ex thoro nata Filia, Præ-Nobilissimi ac Consultissimi Dn. *Georgii Ludovici Fürstenhauseri I.V. D.* diversorum Principum, Statuumq; Consiliarii dexterrimi, relicta *Vidua*. Avo Paterno, Nobili ac Prudenti *Dn. Georgio Mercklino*, Senatore Winsheimensi, Avia Materna, singulari Virtutum decore Commendatissima *Ursula*, Dn. *Laurentii Mezleri*, Viri ibidem Consularis Vidua, nata *Schmidia*.

Ex S. S. Baptismatis fonte renatus, alboq; Christianorum *Georgius Abrahamus* inscriptus *Mercklinus noster*, optima tam Pietatis quam Eruditionis futuræ, crescentibus annis

nis posuit fundamenta, Pietatis, cum verissimè dicente *Lipsio*, sine Pietate & Virtute nemo Vir honestus esse unquam possit, Eruditionis, cum Mens Hominis discendo alatur & cogitando, pulcherrimumq; in senectute Viaticum sit Eruditio; quam ut eò felicius meliusq; acquireret, informatione primum usus est Dn. *Abrahami Döderlini*, Con-Rectoris & *M. Michaëlis Nudingi*, Rectoris Scholæ Weisenburgicæ, mox *Georgii Widmanni* & *Johannis Heldii*, Gymnasiarcharum apud Norimbergenses, tam eruditione quam informationis singulari fidelitate non incelebrium, tanto humaniorũ, ut vocant, Studiorum posito fundamento, ut dignus jam visus fuerit frequentare Academias, ex quibus Dn. Parenti eligere placuit Wittenbergensem, cujus Studiosorum albo, Magnifico t. t. Rectore, Dn. *Christiano Klengelio*, Jurium Doctore ac Professore, An. 1660. Mense Junio, nomen suum more solito inscripsit, ibiq; fundamentis Philosophico-Physicis optime primum positis, Medico se mancipavit studio, Manuductoribus Fratribus germanis, *Michaele* & *Andrea Sennertis*, facultatis hujus Professoribus celebratissimis, & sub Majoris natu umbone, Disputationem de Corde, pro viribus, proprio quod ajunt Marte conscriptam, Mense Septembris, Anno 1664. mascule defendit. Exacto biennio, Hersbruccenses resalutavit Lares, & optimi Parentis Physici t. t. Oppidi ordinarii, fidelissima informatione, durante hyeme usus est, mox Vere ineunte Anno 1665. Majo Mense, Altdorffium se contulit, ibiq; tam publicorum quam privatorum Collegiorum Excellentissimorum Dominorum Doctorum & Professorum, *Mauritii Hoffmanni*, & *Jacobi Pancratii Brunonis* Auditorem se præbuit industrium, utriusq; sub Præsidio in Circulo, ut vocant, sæpius & Respondentis & Opponentis spartam per vices exornans, Disputatorẽ egit strenuũ, binisq;

insuper Anatomiis publicis interfuit, studiumq; Botanicum in Horto Academico satis celebri, excursionibusq; publicis & privatis crebro institutis, egregiè excoluit. Sed, ut non omnis fert omnia tellus, sic non omnem in uno semper loco haurire se posse sapientiam credidit, hinc peregrina etiam loca peragrare & exteras Academias frequentare decrevit, maxime, florentissimum Lyceum Patavinum, incluta t. t. Excellentissimorum Professorum, eruditionis, dexteritatis experientiæ Nominumq; fama, allectus, v. gr. *Francisci Frisimelicæ*, *Raymundi Johannis Fortis*, *Antonii Molinetti*, *Petri* Patris, & Filiorum *Dominici & Antonii de Marchettis* Fratrum uterinorum, quorum ex Prælectionibus, Prosectionibus & Operationibus Chirurgicis, in Nosocomio cumprimis S. Francisci, peritiam suam Medicam multum adauxit, ita, ut Anno 1670. Norimbergam reversus, in Academia Altdorffina, uberrimam diligentiæ suæ segetem, Doctoris Medici Titulum, Jura & Privilegia, summa cum laude reportaverit, Brabevta Maxime Venerando, hodienum vivente, & totius Academiæ Seniore, *Dn Dr. Jacobo Pancratio Brunone*, Disputatione, exantlatis prius consuetis Examinibus Inaugurali, de Palindromia, absque Hercule quod ajunt, habita, & contra Oppugnantes mascule defensa ac propugnata.

Sequebatur honorem Honor, hoc ipso enim adhuc Anno, in gratiosum Collegium Medicorum Norimbergensium receptus, tanta gavisus est felicitate, ut *Genitorem* suum *Collegam* salutarit, hocq; beate defuncto, à *Filio* etiam suo, *Collega* salutatus fuerit. Officio Decani & Visitatoris Officinarum Pharmacevticarum Senioris, non sine applausu laudati Collegii, qvarta vice functus est; Praxin Medicam ultra Triginta annos, multa multorum salute, non sine eximia Nominis sui Fama, exercuit, & *Optimo Parenti* suo,

Septua-

Septuagenario majore, An. 1684. Vitam hanc miseram, cum beata feliciter permutanti, in Officio succeſſit Domus Teutonicæ, quæ Norimbergæ est, Medicus Ordinarius, hinc factum, ut Reverendisſimorum & Serenisſimorum Dominorum Dominorum, Domini Ludovici Antonii, Glorioſisſimæ Memoriæ, & Domini Francisci Ludovici, Principum Palatinorum, Supremi Teutonici Ordinis Magnorum Magiſtrorum &c. Dominorum noſtrorum Clementiſſimorum, Conſiliarius Medicus & Archiater fuerit denominatus ac conſtitutus. Receptus etiam in Academiam noſtram Cæſareo Leopoldinam Naturæ Curioſorum, Anno 1676. & Agnomine *Chiron* ſalutatus Collega dignisſimus, qui Lemmati noſtro omnino ſatisfecit, & *nunquam otioſus*, ſingulos Dec. II. & III. Ephemeridum annos, Curioſis ac Eruditis Obſervationibus locupletavit, aliaq; utiliſſima Scripta, admirandæ diligentiæ ſuæ teſtimonia ſufficientisſima, non obſtante PraxiMedica amplisſima, in publicum emiſit, v. gr.

Anno 1674. *Joſephi Pandolphini Tractatum de Ventoſitatis Spinæ ſævisſimo Morbo reviſum, correctum, & Annotationibus, noviſq; cum propriis tum alienis Obſervationibus, ex variorum Autorum monumentis erutis, illuſtratum*; in forma 12.

Anno 1676. *Tiberii Malphi* Handleitung zur Barbier-Kunſt/aus den Italiäniſchen Teutſch überſetzet / und mit einer langen Vorrede verſehen. in 8.

Anno 1679. *Tractationem Medicam, de Ortu & Occaſu Transfuſionis Sanguinis*, in 8.

Anno 1686. *Lindenium Renovatum, de Scriptis Medicis*, in 4.

Anno

Anno 1696. Neu ausgefertigtes Historisch-Medicinisches Thierbuch/ enthaltend wider fast alle Kranckheiten und Leibes Zufälle/ so wohl fremde als eigene verschiedene heilsame *Secreta*, und bewehrte Genes-Mittel/ in 8.

Anno 1698. *Syllogen Casuum Medicinalium, Incantationi vulgo adscribi solitorum, maximeq; præ cæteris memorabilium*, in 4to.

Animum Studio Medico Practico, Scriptisq; in publicum emittendis dicto jam modo occupatum, curis domesticis ultra biennium in cœlibatu vivens, turbare amplius noluit, probè secum perpendens, prudentissimum *Taciti de Agric.* Consilium; Non aliud esse honestæ Mentis levamen, quam assumere Uxorem, in prosperis dubiisq; Sociam, hinc Anno 1672. Matrimonio sibi junxit, Patritiæ gentis Virginem Præ-Nobilissimam *Ester Julianam*, Præ-Nobilissimi ac Prudentissimi Domini *Caroli Nüzelii à Sünders-bühl*, Illustris Reipubl. Norimbergensis Senatoris Gravissimi, *Filiam* lectissimam, exq; ea Filium suscepit primogenitum, Dominum *Johannem Abrahamum Mercklinum, Medicinæ D. & Physicum Reipubl. Norimberg. Ordinarium*, Paternarum Virtutum ex asse Hæredem, natum, An. 1674. d. 9. Julii, ut & A. 1676. Filiam *Helenam Magdalenam*; An. 1678. vero Filiolum *Johannem Conradum*, qui ambo tamen mundo huic, quem vix salutarunt, brevi valedixerunt. Valedixit etiam 14. Octobris die, Anni 1682. Optima hæc *Mercklini nostri Conjux* rebus hisce mundanis, morte præmatura, per omnem ferè vitam Valetudinaria, ita ut merito exclamare potuisset:

Auspicor cum lacrymis, in iisdem finio Vitam,
In lacrymis Vita tota peracta mihi.

Cujus rari & incogniti Morbi speciem, brevis post obitum instituta sectio detexit, cui Mæstissimus Dn. Viduus, primus omnium, Hydropis Saccati nomen imposuit, & sub

Titulo

Titulo Inauditæ Hydropis Abdominis ſpeciei, Saccatæ ſive cum Folliculo fortaſſis dicendæ, addito Eruditiſſimo Scholio deſcripſit, & Ephemeridum noſtrarum Dec. II. Anno I. Obſervatione 183. inſeruit.

Anno 1683. Secunda iniit Vota, cum Virgine itidem Præ-Nobiliſſima *MariaRoſina*, Præ-Nobiliſſimi Dn. *Georgii Jeremiæ Harsdörfferi*, Rerum Vectigalium Præfecti ſupremi meritiſſimi, *Filia*, Virtutibus Muliebri ſexui convenientibus addictiſſima, quæ *Mercklinum noſtrum* Parentem fecit quatuor Liberorum, Filiorum nempe trium, ex quibus *Johannes Chriſtophorus* natus, An. 1684. d. 17. Junij, in Academia Salana Studio Medico ſtrenue incumbit; *Georgius Andreas*, An. 1690. d. 8. Januarii natus, Genevæ Mercaturam diſcendi gratia hodie vivit, & *Septimus Andreas*, die 20. Octobris An. 1691. in lucem editus, Gymnaſii Ægidiani Claſſem II. frequentat; uniusq; Filiæ, *Mariæ Magdalenæ*, mundum hunc An. 1687. d. 17. Junii ingreſſæ, cumq; dulciſſima Matre optimè quidem viventis, ſed præmaturam Beati Parentis Mortem iteratis quandoq; ſuſpiriis adhuc lugentis. Cœterum Pietatem, Virtutum omnium primam, per omnem Vitam religioſe coluit Optimus Collega, facie liberalis, pectore candidus, cujus Oculi ſingulare monſtrabant Ingenii acumen, Geſtus modeſtiam, Greſſus gravitatem, Actiones prudentiam, Scripta eruditionem, Conſilia experientiam; quid mirum, ſi in Animis Collegarum & Ægrotantium, ſaluberrimis ſuis auxiliis & conſiliis ex orci faucibus ereptorum, priſtinæq; ſanitati reſtitutorum, perpetuum ſui deſiderium poſt ſe reliquit; quid mirum, ſi ob Praxin ampliſſimam, quam magna dexteritate, prudentia, felicitate, ultra tricennium continuavit, diesq; noctesque mortalium Saluti invigilavit, viribus, curis, ſtudiisque fractis, Semetipſum conſumſerit, cum durabile non ſit,

quod alterna caret requie: hinc variis quandoq; Morbis, Erysipelate nempe, cum symptomatibus Scorbuticis diversis, binisq; vicibus Febre maligna correptus fuit, quibus tamen salutaria semper, benedicente Deo, opposuit remedia: At hæreditaria ad Phthisin dispositio, quo ipso Morbo, *Hippocrates* suo jam tempore *Lib. de Glandulis*, fassus est, Homines semper, longo tempore curatos, perire, defloresce re ac mori, (prout etiam piisima *Mercklini nostri* Mater, Frater, peritissimus apud nostrates Pharmacopœus, tresq; Sorores, tali fato concesserant,) tantas sensim egit radices, ut lecto ultra semestre affixus, fatorum effugere legem non potuerit, quicquid Pharmacorum vel proprio ex pænu, vel Collegarum Consiliis, vocaverit in auxilium. Divinæ itaq; Voluntati totum se mancipavit, probe sciens, Mortem esse Munus necessarium Naturæ jam corruptæ, quæ non fugienda, sed amplectenda, ut fiat Voluntarium quod futurum est necessarium. Benedixit itaque Conjugi, Filiæ, Filiis, optimo Marito, desideratissimo Parenti, copiosissimas inter lacrymas, planctus, ejulatus, valedicentibus, Deoq; Creatori suo Animam suam, prætiosissimo Christi sangvine redemtam, placida reddidit morte, sicq; Anno MDC CII. d. 19. Aprilis, Ætatis Quinquagesimo & Octavo, vivere desiit.

Vale, *Beatissime Domine Collega*! O Te felicem, qui superatis rerum humanarum molestiis, quicquid mortale habuisti, deposuisti; labores quiete, vanitatem æternitate exoptatissime commutasti. Sit Ossibus Tuis terra levis, Anima verò Tua, cum Cœlicolis æterno fruatur gaudio; Interim tamen, ob merita Tua, Fama Nomenq;

Tuum, apud nos sine fine vigebit,
florebit.

Ut

UT doleam carum quem fata tulére, Parentem,
Ipsa mihi Pietas pectore fixa jubet.
Flamma movet, dius quam Cordibus indidit Ardor,
Quique Patri, Natum jungit & unit Amor.
Quis igitur vitio mihi vertet, more decenti,
Si pando Luctûs publica signa mei?
Si memor illius Candoris, Amoris & Oris,
Ora piis Lacrymis, mente dolente, rigo.
Ergo fluant Lacrymæ! Lacrymarum fundere rivos
Me Pietas Oculis officiosa jubet.
Ite piæ Lacrymæ! Sic justum explere Dolorem
Flendo & pro meritis exsatiare libet.
Atque utinam Cordis testari vulnera possem,
Altius hæc fixit Mors properata Patris.
Ah! quoties queruli fundo suspiria Cordis,
Qualia Dicta Animo qualia Voce dabas.
Commoda, mi Genitor! Solamina, Gaudia mille,
Quæ mihi Te steterant stante, cadente cadunt.
Auxilium taceo, taceo Monitoria fida,
Quëis potui Rebus consuluisse meis.
Tu mihi vivus eras alter, post Numina, Phœbus;
Nec minus ipse Tibi gaudia multa tuli.
Fidus eras Ductor mihi semper in Arte Medendi:
Perpetuus tanti Præco laboris ero.
Ergo Tuos nunquam dabitur mihi cernere Vultus:
Amplius & Tecum non velut ante loquar?
Quid loquar, atque meum qua tester voce Dolorem,
Omnia sunt Luctu verba minora meo.
Æternas autem fas sit persolvere Grates
Pro tot Consiliis Auxiliisq; Tuis.
Quæ sum foturus (dum Spiritus hos reget Artus)
Pectore sub calido non-moriente fide,
Quæ quoque fovissem, Tibi quando mihiq; dedissent
Amplius extensos invida fata dies.
Sed, Tibi parva fuit Vitæ mora, magna Laborum,
Quæ nequit Ætates æquiparare Patrum.
Et bene: namq; quid est Annos attingere multos,
Quam tormenta diu, quam Mala multa pati?

Et Labor & Dolor est, hic quicquid vivitur Ævi,
Quæ facienda Labor, quæ patienda Dolor.
Fallor, an Exemplum, Pater, horum. care, licebit
Sistere Te; *Vitæ tempora quando* Tuæ
In mentem revoco. Quas Curas quosque Labores
Pertuleris, vix est, quem latuisse potest.
Omnia sed prudens Animi Constantia vicit,
Et Spes in Domino quæ bene fixa fuit.
Dum, Pater, *ah! gravibus Morbi cruciatibus ustus*
Longo langueret tempore, tristis eram;
Sæpe tamen ducebam Animo, rebarque futurum:
Tempora denumerans, sed mea Spes abiit.
Corporis in tenues totus contabuit Artus
Phthysi cum victus, clausit in Orbe dies.
Multa tulit, sed acerba tulit, quia Militis instar
Bellans cum Morbis, Victor ubique fuit.
Fama Tui Venerande Parens! *Nomenque perenne est,*
Mors parcens nulli, nil nisi Corpus habet.
Hæc tamen & Libitina Patrem *qua condidit Urna,*
Condidit & quotquot nobiliora mihi;
Spemq; fidemq; meam, qua non præstantior ulla.
(Quæ quæso Patris sit mage fida Fides?)
Sed nimium doluisse vetat Sors illa beata,
Qua fruitur Genitor *Numinis ante thronum.*
Plus Lacrymis pia Vota valent, pia Vota recepto:
Manibus ô bene sit, post pia Fata piis!
Si non pro Meritis supremi Munus Honoris
Solvo, nec Pietas sufficit ipsa sibi,
Id Luctus Lacrymæq; negant; quis Sole cadente
Miretur Mentis lumina Nube tegi?
Æternum ergo, simul Salveto idemq; Valeto!
Mi Pater: acclamo, Sit Tibi terra levis!

Ita Beat. Manes
Desideratiss. Dn. Parentis sui
ultimum veneratur,
Johannes Abrahamus Mercklinus, D.
Georgg. Abrahh. Fil. & Nepos,
Reipubl. Noriberg. Physic. Ord.

INDEX

INDEX EPHEMERIDUM.

A.

Abdominis Tumor sponte sanatus. pag. 267.
Abscessus Uteri curat Passionem Hystericam. 280.
Tunicæ Intestinalis glandulosæ. 315
Accessorii Nervi Willisiani descriptio App. 142
Acco & *Alphito* Terriculamenta Veterum. 91
Acetum Belladonnæ Remedium. 170
Acidulæ Roitschenses Ischuriam malè curant. 42
Acustici Nervi descriptio. App. 141
Adamantis innoxia deglutitio. 180
Adamas minimè venenum est. 182 seqq.
Æstus Venereus subitaneæ mortis causa. 293
Alp. spectri genus. 100
Alphito Terriculamentum. 91.
Altitudo glacialium montiũ quid confert. App. 52. 58.
Alvi constipatio nimia curata. 42
Lethalis ex lapillis Cerasorum. 383
Amavrosis ozenæ superveniens salivatione Mercuriali soluta. 231
Ambræ Essentiæ vis anodyna. 437
Ambusta curat succus supervivi.
Amentia à Terrore. 131 275
Ammonis Cornu maximum. App. 214
minus. App. 215
Anasarcæ curatio. 39
Anatome Sectione calculi defuncti. 43
fulminis ictu exanimati. 121
Atrophia ex fluore sanioso denati. 122

Anatome Vulnere dorsi defuncti. 126
Epileptici cum Febre acuta. 184
ex Ulceribus Tibiæ defunctæ. 186
Partu difficili defunctæ. 189.
Hædi Hermaphroditi. 191.
Puellæ ex Mesenterii Tumore denatæ. 194
Asthmate & convulsionibus defuncti. 284
Gemellorum coalitorum. 332
Fœtus adulti emortui ex collo Uteri ovilli in Ligamentum coalito. 344
Fœminæ omphalocele defunctæ. 408.
Crapula defuncti. 418
Pueri Ascitici 422
Puelli Rhachitici. 423
Cachectici Plevropnevmonici. 423
Phthisici. 425.
Hydropicæ. 431
Cerebri ejusque Mechanica. App. 76. seqq.
Anemometron Verönse. App. 245
Angina Epidemica Uratislavienſis. App. 9.
Ani procidentiam Balneum limacum curat. 17.
Anni 1699. 1700. 1701. Constitutio Epidemica uratislavienſis. App. 1. seq.
Antapoplectica Rad. Verbasci virus. 246.
Anus Cerebri. 131 App. imperforatus. 364.
Aphonia singularis. 160
Apoplexiæ causa Tumor cranii. 436
Apostasis per secessionem in scirrhū degenerans. 226
Aqua Pericardii in Bove. 312
ferrata curat Diabetem. 378
Aranea Animal Hermaphroditicum. 26
Arsenici Noxæ. 390
Artemisiæ carbonum usus in Epilepsia. 244
Arteriæ Cerebri. App. 92. 97.
Arteria in V. S. læsa. 86.
Iliaca matetiam ossea continet in calculoso. 301.
Arthritidem Vinum Hungaricum præ cæteris promovet. App. 2
Arthritis vaga à Terrore. 16
ejus dolores sunt spasmi scorbutici. 17.
Ascites curatus ℥ij gumi Guttæ. 17
Ascitici pueri Anatome. 422
Asthmate & convulsionibus defunctæ Anatome. 284 (8
Auditionis depravatæ species. App.
Avenæ in Agro Uxoricidæ cruentatio. 366
Augustana constitutio Epidemica. App. 32
Avium maritimarum copia in Insula Werder. 156. seqq.
ad fluv. Mosköe-Stroom. App. 240
Aurigo in febri maligna non sine successu felici. 433.

B.

B*Alsamum Tereb.* nimius usus producit Hydrop. 10

Barba odontalgiæ præservatrix. 407
Batavus Vultus quid denotet. 97
Bellæ donnæ Clusii noxa & remedium. 170.
Berolinensis constitutio Epidemica. App. 27
Bertha Terriculamenti genus. 101
Die eiserne quale spectrum. 102
Bovis Aqua Pericardii 302.
Brachii dolor ex Imaginatione. 375
Brassicæ marinæ genus duplex in Insula Werder. 157.
Βρίμω Terriculamentũ veterum. 93
Bubonocele pro Utero male tractata. 3. 4
Buccinites species. 215. App.

C.

Caars-Trold serpens marinus. App. 246
Cachectici Epilepsia V. S curata. 328
Pleuropnevmonici Anatome. 423
Cachexia Ulcere in crure soluta. 34
Cadaverum iterum effossorũ inspectio an necessaria? 12 seqq.
Calce noviter illitæ cameræ periculosissima symptomata. 139.
Calculi Infelix sectio 43 seqq.
per octennium in urethra gestati. 67
è naribus extracti. 268
cystidis felleæ dolorum Colico-Nephriticorum & Icteri causa. 430
humani vera genesis App. 224
Calculum menties Nephritis. 411
Calculus cum materia ossea in Arteria Iliaca. 301
Vesicæ ℥j. pondere citra sectionem excretus. 425
Cordis in Hydropica. 163
è vesica Canis. 302.
Calculosi Urina sanguinea calculi materiam exhibens. 147 (56
Calidiorum Abusus in Febb. acutis
Camphora Cordis scrobiculo appensa febrim curat. 83.
externe quoque nocet. 18. App.
Camphoræ vis alexiteria exigua. App. 4
Cancrorum Appetitus ex matre gravida in Infantem transiens. 251
Cancrosum Sarcoma. 361
Ulcus mammæ sanatum. 427
Canis rabidi morsus levior pernitiosus tamen. 5
calculum in vesica habens. 301
Martyr Chirurgiæ Infusoriæ 376
Capessantæ Conuchæ figura signat lapides. 372
Capitis dolor pertinax in canem. transplantatus. 265
Capræ lac recenter mulctum Napelli antidotus. 169 (psia. 244
Carbonum Artemisiæ usus in Epile-
Catalepsis biduana cum Cordis Palpitatione in moribundo. 422
& Epilepsia à fascino. App. 165
Caudiforme monstrum humanum absque sexu & pedibus. 413
Centri ovalis Vieussentii descriptio. Convulsio. App. 187. (App. 129.
Cephalalgiæ & Apoplexiæ causa humor Cranii. 436
pertinacis transplãtatio in Canẽ. (165

Cephalalgiæ obstinatæ Casus. 331
Cerasorum lapilli causa lethalis obstructionis Alvi. 383
Cerebelli Specialis descriptio. App. 135
differentia à Cerebro. App. 135 seqq.
Processus sive Pedunculi. App. 136
Absentiæ exempla. 151. seqq.
Cerebri Anatome hujusque mechanica App. 76
descriptio in specie. App. 127
substantia. App. 118.
Vasa in genere. 92. App. in specie. App. 97. seq.
Sinus. App 93
Motus App. 103.
& Cerebelli Absentiæ exempla. App. 151
Cranii absentia in puero. 197
fibræ evidentiores in hydrocephalo 294
Cerebrum officulum in se continet.
Chinæ Chinæ fatalis usus. 201
Gentiana præstat. 39
Chirurgiæ Infusoriæ usus in Affectibus desperatis. 144
Chorda medullaris Cerebri ejusq; descriptio App. 133
Ciceria vel *Citeria* qualis ap. Veteres Imago. 97
Clavos ferreos & soleas frangendi modus. 158
Cocco tinctorio infectum sericum curat menstruorum fluxum nimium. 418
Cochiis Pilulis Gallina cœca curata. (68
Cœcus ex Amore Maniacus. 32
Cœca Gallina M. Pil. Cochiar. curata. 68 (rata. 146
Colica acutissima Mercurii ope cu-
Colicæ, Nephriticor. dolorum & icteri causa calculi Cystidis felleæ. 430
Spasmodicæ solutio Terrore Incendii. 384
Colicis doloribus fœminæ quoque obnoxiæ. 190.
Collyrium optimum spiritus Vitrioli. 324
Conchites Anomii. App. 215
Conchylii figura signat lapides. 372
Constitutio Epidemica Uratislaviensis. App. 1
Berolinensis. App. 27
Augustana. App. 32
Contracturæ subitaneæ causa Vermes. 85
Convulsiones lethales absque manifesta causa. 141
Convulsivorum motuum universalium rarum Exempl. 307
Cor magnum. 399
Cordis Calculus in Hydropico. 163
Polypi frequentes. 290
Ruptura à Thoracis Ictu. 293
Corporum striatorum Cerebri descriptio. App. 130
Corpus callosum melius dicitur fornix. App. 128
Cortex Peruvianus in substantia melior. App. 7
Cranii & Cerebri absentia in Puero. 197 (ta. 162
depressio per Cataplasmata cura-
Cranii

Cranii Tumor Cephalalgiæ, Guttæ Serenæ & Apoplexiæ causa. 436
Crapula defuncti Anatome. 418
Criminalia judicia cautè danda. 439
Crucifixus depictus in Fagi Trunco 287
Cruentatio Avenæ in Agro uxoricidæ. 366
Crystallinorum Lapidum Helveticorum Classis App. 216
Crystallus montana optime profuit in Dysenteria Augustana. App. 36
non est exglacie indurata. App. 61
Cunina & *Rumina* inter Manias recensentur. 96
Cystidis fellea Calculi Ictteri & doloris Colico-Nephriticorum causæ. 430

D.

Delirium ridiculum ex nimio Sp. frumenti Ingurgitatione. p. 29
Dentitio Tussim convulsivam producit. 162
Dentium læsio ex nova Tabacum fumandi more. 24
Dentes Canis an virus contineant. 6
Diarrhæa cum pelliculorum excretione. 124
Colliquativa diabethe notha soluta. 405
Digitus maximus pedis feliciter servatus. 269. 436
Diluvium tempestuosum. 261
Dislocatio viscerum 387
Dorsi vulnere defuncti Anatome. 126
Dorsch Piscis in Femara Insula abundat. 154
Duræ Matris vera constitutio. App. 84
Duplicatura. App. 84
fibræ duplicis generis earumque usus. App. 85
Processus App. 87
Arteriæ. App. 82
Venæ an dentur. App. 93. seq.

E.

Lectuarium hydragogum Sylvii curat hydropem. 59.
antifebrile Kienii. 82
Elva Septentrionalium quid. 100
Epilepsia à Terrore. 87.
incurabilis 114
curata ex Terrore. 115. 278
in febrem acutam lethalem desinens. 184
lethalis cum memoriæ imbecillitate post lethargum. 232
Epilepsia curata. 240
curatur carbonibus Artemisiæ. 244
in cachectico V. S. curata. 328
ex Erysipelate perfrigerato. 371
à fascino in Catalepsi admiranda. App. 165. seq.
Saltatoria sive rotatoria. App. 175
dæmoniaca, App. 177

Eruca siliquis hastæ similibus. 156
Erucarum contagium producit febrem malignam. 368
Eryngium marinum in Insula Werder 156
Erysipelaceis pustulis pulvis sempervivi nocet 276
Vesiculis Pulvis sempervivi medetur. 275
Erysipelas perfrigeratum producit Epilepsiam. 371

F.

Fabæ St. Ignatii usus in Epilepsia. 243
Fagi Truncus crucifixum depictum habet. 287.
Falx duræ Matris ejusque usus. App. 87
Farriæ Insulæ an nomen à Firn habeant. App. 46.
Fascinum quomodo morbos producat. App. 178. 183
Fatua Fauna Veterum. 95
Febris acuta lethalis ex Epilepsia. 184
catharralis Epidemica Uratislav. App. 13
chronica vicennaria. 77
lenta Hecticodes antiscorbuticis & ♂libus expugnata. 432
lethargica in strabismum desinens. 1
maligna musica curata. 41
è contagio Erucar. 368
Tumore brachii soluta. 265
Febris maligna per ptyalismum ex ☿io. assumpto, post biennium curata. 166.
maligna causa nebulæ. 174
Petechialis cura. 40
ictero soluta. 198
Quartanæ infallibile remedium. 37
Curatio per Ebrietatem. 204
quartana sæpius recidiva curata. 80
triplex. 79
scarlatina Epidemica Augustana. App. 38 (378
Tertiana simplex cum surditate.
duplex Epidemica Uratislav. App. 7
Febrim Tertianam sequuntur Pediculi. 367
Febris semi tertianæ typus. App. 7
in Tympanitidem desinens curata. 183.
Scarlatina Epidemica Augustana. App. 38.
Febrium Urina fallax cum sedimento. 151
Femaræ Insulæ descriptio. 153. seq.
Insula procellis instantibus altius conspicitur. 156
Ferrata Aqua curat diabetem. 378
Filorum manipulus Alvum adstrictam solvit. 42
Firn quid sit. App. 46. 57
Flatuum Eruptio per Penem. 251
Tragœdiæ in corpore humano. 304
Fluor albus Ipocacoanha curatus. 24

Fluor albus salivatione sponte orta cessans. 266
tribus remediis curatus. 297
Salivatione optime curatus. App. 18
Fœtus in Tuba reperti impugnantur. 347
Formido Dea Romanorum. 95
Fornix appellatus à Vieussentio corpus callosum ejusque descriptio. App 129
Fractura humeri ossis rara. 309
Fulmine tacti curatio. 149
non tanguntur tecta semperviva florida. 275
Fulminis ictu exanimati Anatome. 121
Fusculus Terriculamenti genus. 99

G.

Galli Gallinacei acus vindicta. 271 (68
Gallina cœca Pilulis cochiis, curata habet medullam lapideam in ossibus Femoris. 434
Gallinæ ovarium molam continens. 285
Gello Terriculamentum Veterũ. 93
Gemellorum coalitorum Anatome. *Sceleton* Janiforme. 341 (322
Generatio partium simultanea impugnatur. 334
Gentianæ Radix melior China Chicurat Anasarcam. 39 (na. 39
Gichtbaum ejus Effectus. App. 204
Gillo Terriculamentum vett. 93
Gingivarum hæmorrhagia cum Eruptione petechiarum absq; febre. 200
Glacialium Montium onomatologia. App.
definitio. App. 47 (49
Distinctio ab aliis analogis. App.
Reductio ad genus. App. 51
Phœnomena. App. 51
Locus natalis. App. 51
Altitudo & Latitudo. App. 52
Incrementum App. 59
Forma & figura. App. 53
Puritas fragor ac mugitus. App. 54. 63. 64.
Situs versus Polum. App. 56
Ortus an ante an post diluviis. App. 59
Figurarum variarum causæ. App. 61
Puritas in quo consistat. App. 63
Usus medicus. App. 66
Oeconomicus. App. 68
Damna. App. 70
Loca natalia. App. 72
Glaciales montes natantes in septentrione. App. 50
Glacies marina salsedinem deponit. App. 56
inveterata successu temporis dissolvitur. App. 62
Glaciei communis naturam exuunt montes glaciales. App. 53 61
Juga Schnee faher dictæ App. 60
Origo & natura. App. 55
Glandula Pinealis pertinet adglandulas conglobatas. App. 116

Glandula non est sedes Animæ. App. 117
Glandulæ Pinealis magnitudo. App. 116
Glandulæ Pituitariæ vera constitutio. App. 112.
Substantia differt à reliquis, Ap. 112
Glaux marina in Insula Werder. 156
Glessariæ Insulæ quales. App. 46
Glessum Tacito succinum. App. 45
Gletscher *qualis* vox App. 45
Globuli Plumbei in fonticulo. 133
Gonorrhœa pertinax globulis fugata. 266
rotulis sæpius profligata. 267
Spontanea curat Ulcera Pedum. 404
Gorgo Terriculamentum Veterum 92
Gummi Guttæ ʒij. Asciticum curant. 57
Guttæ serenæ & tandem Apoplexiæ causa Tumor Cranii. 436

H.

HÆmorrhagia Gingivarum, Narium & *Uteri* cum petechiarum eruptione absque Febri. 200
Narium salutaris in Octuagenaria. 328
Umbilici. 267
Uteri sanguine excreto propinata curata. 386
Hæmorrhoides oris. 208
Vesicæ. 217
Hecate Terriculamentum vett. 93
Hectica cum Urina bona. 152
Hecticoides Febris antiscorbuticis expugnata. 432
Helveticorum lapidum figuratorum Idea. App. 208 (26
Hermaphroditicum Animal Aranea.
Hermaphroditi Hœdi Anatome. 191
Hernia Pubis pro Utero habita. 3
Umbilici defunctæ Anatome. 410
Herniam intestinalem antecedentia signa. 276
Hœdi Hermaphraditi Anatome. 191
Hulda Terriculamenti genus. 103
Humeri ossis fractura rara. 309
Hydrocephalus insignis. 202
curatus in Infante recens nato. 294 (323
dat fibras Cerebri evidentiores.
Hydrophobia ex Indignatione. App.
Hydropicæ Anatome. 431. (249
Hydropica Ventris crepatura sanata. 230
Hydropicus calculum in Corde habet. 164
Uterus Ovilis. 194
Infans curatus. 295
Hydropis rara species. 204
Hydrops ex nimio Balsamo. usu. 10
curatus ʒij. Gummi Guttæ. 57
Electuario hydragogo Sylvii. 59
purgantibus non sudoriferis curatus. 58
Hygrometron Veröense. App. 245
Hyosciami pessima Effluvia & Effectus. App. 178. seq.
Seminis tragicus Effectus. App. 179

Hypochondriaci mali singularia symptomata. 133
Hysterica Passio per uteri Abscessum soluta. 280
Hystericæ Passionis miranda symptomata. 309

I*Cterus* aliaque symptomata à calculis cystidis felleæ. 430
Ictero soluta febris petechialis. 198
St. Ignatii Faba curat Epilepsiam. 24 (sublata. 147
Iliaca Passio ex Hernia Mercurio
Iliacorum loquela ad mortem usq; robusta. 8 (chii. 375
Imaginatio producit dolorem bra-
Imaginationis stupendæ Vires. Ap. 185 (rabilem. 326
Incantatio Tumorem producit mi-
Infusio liquorum in venas. 34
Infundibuli constitutio. App. 114
Usus. App. 114
Infusoriæ Chirurgiæ usus *in Canibus.* 380
in Affectibus desperatis. 144
Insectorum ovula absque prævio coitu non tamen sterilia. 27. 28
Inspectio Cadaverum effossorum an necessaria. 12
Insulæ Femanæ descriptio. 153
Insula Heiligenland interitui proxima. 154 (156
Insula Werder in mari Balthico.
Intercostalis nervorum paris descriptio. App. 140
Intestinalis Tunicæ glandulosæ Absceſſus. 315
Intestini recti Vulnus lethale. 416
Ipecacoanhæ antidysentericus usus. 22
optime in principio exhibetur.
Usus in fluore albo. 24 (25
Iridis solaris in Planitie terræ conspecta Phænomena. 28. seq.
Ischuria ex Tumore vaginæ uteri-
Renalis curata. 42 (næ. 10
absque manifesta causa lethalis. 175 (273
ex cervice Vesicæ clausa lethalis.
Ilei ad Insulam Maris Balthici. 153
Judicia criminalia caute danda 439
Juga Glaciei Schneejäher dicta. App. 60

Κ*αλαβαυκα λησεις* Græcorum quid sint. 88
Κρυσταλλωδες ὄρος. App. 46
Κρυμωδες ὄρος. App.

L*Abinæ* nivium maximæ conglomerationes. App. 49
Labiorum mira intumescentia. 248
Lac Capræ Napelli antidotum. 169
Lactis Saccharum. 280
Lactis Lunæ accurata descriptio.
Lunæ usus. App. 212 (App. 210
Lacus in Styria mirabilis. 42
Lallare unde ortum traxerit. 89
Lamiæ quot. 92
Lapidea medulla in ossibus Femoris Gallinæ. 434
Lapis titubans Helveticus. Appen. 213
odoris violacei unde. App. 213
Lapides conchylii Capessantis figuræ signati. 372 (ra. 155
Lapidum generatio in Insula Fema-
definitio. App. 209

Lapidum generatio App. 209
Lapidum figuratorum Helvet. Idea. App. 208
Generatio & causa. App. 213
Ordo. App. 214
Pictorem Classis. App. 217
Crystallinarum Classis. Ap. 316
Incustatorum Classis. App. 218
Intortorum Classis. App. 218
Turbinatorum. 220
Helicem non habentes. Ap. 221
Conchitorum Classis. 221
Tubulosorum Classis. 223
Larvarum Natalitiarum Noxæ, 106.
Lentiscini Ligni utilitas. 252
Lepra curata. 279
Lethale in casibus criminalibus quid significet. 439
Lethargica Febris in strabismum desinens. 1. seqq.
Lethargũ sequens Imbecillitas memoriæ & Epilepsiæ lethalis. 232
Libani Montis nomen Hebræum ab Albedine. App. 46
Libanus Mons dictus nivosus. Ap. 47
Lienis excisio absque noxa. 370
Ruptura à percussione. 12
Lien triplex. 127
Ligni lentiscini utilitas. 252. seq.
Lilith Terriculamentum veterum. 93
Limacum Balneum in Ani procidentia proficuum. 17
Lithiasi defuncti Anatome. 43
Loquela in Iliacis ad mortem usq; robusta. 8
Lügenbach sive Torrens mendax. App. 75
Lunæ Lactis accurata descriptio. App. 210
Usus. App. 212
Luna crescente aucta scabies. 377
Lunaticus sanatus. 278
Louvvinen niviũ maximæ conglomerationes. App. 49
Maal-Stromo sive Europi septentrionalis vera descriptio. App. 225
Magia intra opera Carnis referenda. App. 184
Majoranæ Olei vis in Epilepsia. 47
Mali nucleus in Ventriculo germinans. 32
Maligna Febris cur maligna vocatus. App. 3.
Epidemica Uratislavienſis ejusque signa. App. 2. 3
Maliga Febris Musica curata. 41
per ptyalismum ex ☿io. assumpto post bieñium curata. 166
Mammarum Strumæ. 152
Manducus vel *Mandæus* qualis ap. Vet 96.
Mania Cœci ex Amore. 32. 33
Manniæ & *Manioli* Larvæ Veterum. 95
Manuum ambarum curvatura. 72
Medulla ossium femoris lapidea in Gallina. 434. (App. 137
Medullæ oblongatæ vera descriptio.
Melleus ros vitiosus. 171
Memoriæ stupenda felicitas. 54
imbecillitas post Letharg cũ Epilepsia lethali. 232
Memoria Reiseliana. App.
Merkliniana. App.

Men-

Menstrui fluxus immodici remedium. 417
Menstrua in simia. 387
Menstruus fluxus per Penem. 258
in Muliere 83. annorum 405
Mercurio Iliaca passio ex Hernia sublata. 147
Colica acutissima curata. 146
Mercurii vivi usus internus non lethalis. 439
Mercurialis Unguenti inunctio XII. instituta absq; salivatione. 50
Mercurius post biennium febrim malignam ptyalismo solvit. 166
Merckliniana Memoria. App.
Mesenterii vasorum & Hepatis obstructionum reseratio. 142
Tumor sanguinolentus suppuratus. 194 (ci lethalis causa. 387
Glandularum obstructio Atrophi-
Mola in Gallinæ ovario. 285
Vesicularis præter spem procidua. 288
Momel9 quale Terriculamentum. 103. 104
Montrosi Prunorum fructus. 137
Tumores pedum. 234
Monstrum humanum absque sexu, & pedibus, caudiforme. 413
Morbus complicatus. 391
Mormo Terriculamentum Veterum. 91 (94
Μορμολυκεῖα Veterum Græcorum.
Montium ortus unde App. 44.
Glacialium onomatologia. App. 45
vid. Glacialium Montium.
Nivalium qualitas App. 49
Montis Libani Nomen unde App. 46. 47.
Morsus Canis non rabidi levior, tamen pernitiosus. 4
Moschum revolens Sudor. 179
Moskoë-Stroom sive Eusipi septentrionalis descriptio. 225
Situs. App. 227
Ratio. App. 232 (App. 113
Motus Musculorum quomodo fiat.
Animalis species & differenti. App. 144. (App. 229
Maris vorticosi Moskoë-Stroom
Mugitus Montium glacialium unde proveniat. App. 65
Musica curat febrin malignam. 41
Muscularis motus quomodo fiat. App. 113 (tus. 172
Mutterkorn quomodo produca-

Napelli noxa & remedium. 169
Napellus in alienam Terram translatus venenum verè amittit. 169
Naribus extracti Calculi. 268
Narium hæmorrhagia cum eruptione petechiarum absque febre. 200
Natalitiarum Larvarum noxa. 106
Natium Cerebri descriptio. App. 132 (128
Natura in suo opere non turbanda.
Nævos per secundinam delere noxium. 249
Nebula febris malignæ causa. 174
Neniarum vox quid denotet. 88. 90
Nephritico-Colicorum dolorem & Icteri causa calculi cystidis felleæ. 430

Nephritis calculum mentiens. 411
Nervorum accurata divisio & descriptio. App. 138
Sensatio & motus quomodo fiat. App. 144
Ninna vox quid denotet. 88
Nitratorum utilitas in deliriis. 30
in *Febribus Epidem.* Uratislavien. *Hæmaptysi. App.* 5 (App. 4
Nivales Montes. App. 49
Nix congelata dicitur Firn. App. 46
Nucleus Mali in Ventriculo geminans. 32

Oblongatæ Medullæ accurata descriptio. App. 137
Obstructionum pertinacissimorum Mesenterii Hepatis reseratio. 142
Odontalgiæ Præservatrix Barba. 407
Olfactorii Nervorum Paris descriptio. App. 138
Ὀλιγαιμία. 70. seqq. (33
Olivarum oleo curata phthiriasis.
Omphalocele defunctæ Anatome. 410 (App. 139
Optici nervorum Paris descriptio.
Opticorum nervorum Thalami descriptio. App. 131
Oris hæmorrhoides. 208
Ὄρος Κρυσταλλώδες. App. 46
Κρυμώδες App. 46
Ossa inter Pleuram & Pulmonum Tunicam. 59. seqq.
Osseculum in Cerebro natum. 294
Ossis humeri rara fractura. 309
Ossium femoris medulla lapidea in Gallina. 434
Ovale Centrum Vieussentii. App. 129
Ovalis Centri convulsio sive Catalepsis. App. 187
Ovarium Gallinæ Molam in se continet. 285
Ovillus Uterus hydropicus. 194
Ovorum Testæ calcinatæ Lepram curant. 279
Ovula Insectorum absque coitu prævio non tamen sterilia. 27, 28
Ovum quadratum. 85
cotyledoniforme secundinæ abortivæ. 359
Ozenæ superveniens Amaurosis Salivatione curata. 231

Palpitatio Cordis cum Catalepsi biduana in moribundo. 422
Panis nimia ingurgitatio Mortis subitaneæ causa. 420
Pappare vox qualis & unde? p. 89
Paradisy Röstensis. App. 245
Paralysis particularis digitorum quorundam obbasilicæ Venæsectionem. 334
Partium generatio simultanea impugnatur. 334
Partu imminente V. S. salutaris. 36
difficili defunctæ Anatome 180.
Pathetici Nervorum Paris descriptio. App. 140
Pediculi post Tertianam. 367
ex fascino App. 182
Pedis digitus maximus feliciter servatus. 269
dextri pollex gangrænosus in viro Septuagenario majore feliciter separatus 436
Pelliculorum per diarrhæam excretio 124

Penis copiosos protrudit flatus 255
præbet menstruum sanguinis fluxum 258
Pericardii Aqua in Bove. 312
Peristromatis villosi Abscessus 317
Pes sponte decidens. 206
Petechialis febris cura 40
solutio per Icterum 198
Petechiarum eruptio absq; febri cum hæmorrhagiis. 200
Phlegmonis progenies p. 74
Phthiriasis oleo Oliv. curata. 33
Phthisici Anatome. 425
Piæ matris constitutio App. 86
Duplicatura App. 90
Utilitas & officium App. 90
glandulæ an dentur Ap. 91
Plexus App 91
Vasa sanguifera. App. 91.
Piscatio miranda in Styria. 42 (92
Plevram & Tunicam Pulmonum inter, ossa. 59 (tome. 413
Plevropnevmonici & cachectici Ana-
Plexus Choroidæus est duplex. App. 206 (App. 208
Plexus Choroidei glandulæ variæ
Pluvia cruenta falso credita 202
Podagra Lacuna stercore vaccino & equino repleta, curata. 40
Pollex Pedis dextri gangrænosi in viro septuagenario majore feliciter separatus 436. 269
Poloniæ Regis obur 158
Polygonum Marchicū cocciferū. 132
Polypi cordis frequentes 290
Popelus quale Terriculamentum. 103
Prunorum fructus monstrosi. 137
Pubis Hernia pro Utero tractata. 3
Putendi Tumor ablatus. 126
Pudor noxius Ægrotorum. 7 (ossa 59
Pulmonum Tunicam inter & Pleuram
Pulsuum indicia fallacissima. 19.
Purpura Scorbutica cum maculis violaceis cutis 298.
Puerperâ sv. febris miliaris maligna, 329. (App. 17.
Purpura alba Epidemica Uratislav.

Quadratum ovum. 85.
Quartanæ febris infallibile remedium. 37
curatio per Ebrietatem. 204.

Rachitici Puelli Anatome 413
Rachitis Spinam bifidam sub se continet. 321 (170
Ranunculi hortensis fl. Pleno Noxæ
Reiseliana memoria. App.
Retis mirabilis ortus App. 109.
Rete mirabile exilius in hominibus quam in quibusdam Brutis. App. 109.
an venis destituatus App.
Usus App. 110. (110
Ros melleus vitiosus. 171.
Rosæ proliferæ 249.
Rotulæ contra Gonorrhæam. 267.
Rubigo quomodo producatur. 172
Rumina & Cunina inter Nænias recensentur. 96.
Rupertus der Knecht Ruprecht quale Terriculamentum p. 111.
Ruptura lienis à percussione. 12

Sabulum coloris Aurei in Urina calculosi 55
Saccharum Lactis. 280
Sal Volatile Tartarum optimum deobstruens. 144

Salivatio absque mercurio procurata 47
Sponte orta fluorem album curat, 266.
ex XII. Mercuriali Inunctione non secuta 50
Salivatione Mercuriali curata Amavi, rosis ozenæ superveniens. 231
Sanguis excretus propinatus Hæmorrhagiam uteri curat. 386
Sarcoma cancrosum ab externa parte propullulans. 361
Scabies malè curata mortem infert. 32
ferina Chirurgia Infusoria curata. 145
luna crescente aucta. 377
Scarabæus Cornutus in ovo quadrato latens. 125 (App. 38
Scarlatina febris Epidemica Aug.
Scirrhus Tali dislocati 207
Sanguineus ex Apostasi per secessionem. 226 (ta. App. 60
Schneeäber *Juga* Glaciei inveterata.
Secundinæ in delendis nævis noxa. 249
abortivæ ovum cotyledoni forme. 359
Sementis (der Saat) usus in præservatione morborum. 31
Semitertianæ febris Typus App. 7
Sempervivum in tectis virens â fulmine præservat 275 (stis 275
Sempervivi succus prodest in Ambu-
Sempervivi Pulvis curat vesiculas Erysipelaceas. 275 (ceis. 276
nocet pustulis Erysipela-
Sensatio quomodo fiat. App. 144
Septi lucidi descriptio App. 30
Sericum cocco tinctorio infectum curat Mensis fluxum nimium 418
Serpens marinus in Paradiso Roëstensi. App. 246 (213
Silex perforatus Helveticus. App.
Simiæ Atrophia læthalis ex Tumoribus Mesenterii 386
Simia Menstruans. 307
Simplicium utilitas 129
Soleas ferreas frangendi modus. 158
Sonus quidam dubius. 138
Spasmus uteri 52
Speculum ustorium ex glacie. App. 69
Spina ventosa rara 310
bifida. 321
pertinet ad Rachitidem 321
Stercore vaccino & equino repleta lacuna curat Podagram. 40
Strabismus ex febre lethargica. 1. seq.
Stranguria periodica. 329
Strumæ Mammarum. 153
Sudor Moschum redolens. 179
Sudoris varii colores. 180 (tiana. 378
Surditas Symptomatica in febre Ter-
Susannine vox unde. 88. 89.
Sympathia in distans agens. 388

Tabacum fumandi novus modus dentibus noxius. 24. 25. (25
Tabaci fumato â morbus præservat
Tali dislocati Scirrhus. 207
Tartari Sal Volatile optimum de obstruens. 146
Tempestas exorta ex Piscatione lacus intempestiva. 43
Tempestatum præsagia ex montibus glacialibus App. 68
Tempestuosum diluvium 261
Terriculamenta veterum varia. 91
Terror Arthritidis vagæ causa 16. seq.
curat Ani procidentiam. 18
uteri Prolapsum. 18
pro-

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
1116/1951 gyarapodási naplószám